


0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

2 400 40 

De collegio de la comp. de J. de Granada B
R3595

246




(1)

P A L L A D I I
D I V I E V A G R I I
DISCIPVLI LAVSIACA
quæ dicitur historia,


ET
T H E O D O R E T I E P I S C O P I
C Y R I Θ E O Φ I A H ' Σ, IDEST, RELIGIOSA
historia. Quorum uterque continet instituta, res gestas,
& miracula piorum virorum sui temporis,
Gentiano Herueto Aurelio Interprete.

*Quibus accessit S. Platonis, patris spiritualis vite, per
Theodorum Studitem.*

Omnia F. T. B. D. Th. annotationibus illustrata.



PARISIIS,
Apud Gulielmum Chaudiere, via Iacobæa, sub
Temporis Insigni & hominis Siluestris.
1570.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



De collegio de la comp. de J. de Granada R3595

PALADII
DIVI EVAGRII
DISCIPVLI LAUSIACA
quæ dicitur historia,

246




(1)

ET

THEODORETI EPISCOPI
CYRI ΘΕΟΦΙΛΗΣ, IDEST, RELIGIOSA
historia. Quorum uterque continet instituta, res gestas,
& miracula piorum virorum sui temporis,
Gentiano Herueto Aurelio Interprete.

Quibus accessit S. Platonis, patris spiritualis vite, per
Theodorum Studitem.

Omnia F. T. B. D. Th. annotationibus illustrata.



PARISIIS,

Apud Gulielmum Chaudiere, via Iacobæa, sub
Temporis Insigni & hominis Siluestris.

1570.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

EXTRACT DV PRIVILEGE
DV ROY.

PAR grace & privilege du Roy, est permis à Guillaume Chaudiere marchand Libraire, en l'Vniuersite de Paris, imprimer ou faire imprimer vne ou plusieurs foys PALLADII *diui Euagrii Lausiaca quæ dicitur historia*, & THEODORETI *Episcopi Cyri religiosa hist.* &c. annotée par F. T. B. Docteur en Theologie, & defences par ledict Seigneur à tous autres de nostre Royaulme de quelque qualité qu'ils soient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ou distribuer en ses païs, terres & seigneuries ledict liure, sans congé & consentement dudit Chaudiere, iusques au temps & terme de dix ans: comme plus à plein est contenu es lettres patètes dudit Seigneur. Donnée Paris le septiesme iour de Septembre, l'an de grace mil cinq cens soixante dix, Et de nostre regne le dixiesme.

Par le Roy en son conseil,
Signé DE PUYBERAL.

Exemplaire	Calderius
ANADA	
Sala	2
Estante	29
Table	2
Numero	1



GVLIELMVS CALDERIVS

PIO LECTORI.



Vt potior instituendæ vitæ regula ab historiis repetenda est, seu quis politicam, seu ab hominum consortio seiunctam vitam delegerit, sic & illis maximè in lucem edēdis hætenus animum appuli. Habuisti, lector optime, è nostro prælo Corpus vniuersæ Bizantinæ historiæ, quo Zonaras, Nicetas, Nicephorus gregoras, & Laonicus Chalcochondylas sui temporis monimenta descripserunt. Habes nunc historiam piissimorum virorum Ascetarum, qui in Nitria, Sceti, Ægypto, Thebaïde, Ponto, & cæteris Eremiticis penetralibus vitam austeram, sed tamen tam Angelicam quàm à mundi tumultibus liberam duxerunt. Audies quoniã instituto se suamque carnē refrenarunt, membra super terram mortificarunt, seque Christo confixerunt: vt sicut passionem, ita & gloriæ participes fierent. Habes & eius instituti primos professores. Præclarum opus vtique, & quod maximam adferat cōsolationem ei, qui primam catholicæ Ecclesiæ faciem & puritatem contemplari desiderat. Hæc hauries ex optimis, illisque antiquis patribus, Palladio & Theodoro, quos Gétianus Heruetus de Christiana Repub.

optime meritis, latinis reddidit: & nuper Thomas
Beauxamis Carmelita, doctor Eximius, & de re litera-
ria, ut scis, benemeritis, annotationibus illustravit.
Porro mirandum non est Palladium paulo fuisse ini-
quiores in D. Hieronymum, & Paulam Rom. Hoc
enim contigit tum propter amicitiam, quæ Palladio
cum Rufino intercedebat, & reuerentiâ, quam Ioan-
ni Hierosolymitano, (ut patri) multi Ascetarum defe-
rebant, in quos tamen scripsit Hieronymus. Addam
etiam, austeros illos & à mulierum contubernio, immo
& colloquio & aspectu semotos patres, mirari potui-
se, quid illis (sed sanctissimis tamen) mulieribus cum
Hieronymo: quod primum quidem penitus expêde-
re vix potuerint. Speramus autem (deo dante) breui
habituro te Ioannis Hierosolymitani opus ad Ca-
prafium monachum.

Vale, & hos labores nostros æquibonique cõsule.


RENALDO POLO

CARDINALI AMPLISSI-

mo, & sanctæ Rom. ecclesiæ in Anglia

Legato, Gentianus Heruetus

S. D. P.

 *Vm sit omnis historia, plurimis & iustissimis de cari-
sis, vita humana in primis necessaria, Antistes ex-
cellentissime, nulla certe Christianis hominibus ex-
potest esse conducibilior, quæ illorum qui cū Christo nomen de-
dissent, integrè, innocenter & sanctè vitam egerunt, refert mo-
res & instituta & res præclarè gestas. Nam cū Christiani hic
vnus debeat esse scopus ad quem omnia sua consilia & actio-
nes dirigat, ut Christum Ducem sequens, vitam æternam pos-
sideat: quem quidem nunquam attinget qui non eius præceptis
parens, & eius adiutus gratia, difficultates omnes forti animo
superauerit: dici non potest quantum ad eam rem incitamenti
& adiumenti afferant bonorum virorum exempla nobis pro-
posita ad imitandum. Quis enim est qui ea legens quæ ab illis
admirabiliter gesta sunt, & considerans eos non ex alijs quàm
ceteros constituisse elementis, nec alijs fretos præsidijs, quàm
quæ nobis, si velimus, minimè sint defutura, illa gessisse: non e-
rubescat, sicum ij tanta fecerint, ipse non præstet saltem me-
diocria? Atque non defuerunt quidem ex omnibus homi-
num generibus & ordinibus, qui per Christum, qui solus est
vera via, sibi viam in cælum munientes, eò tandem peruene-
runt: nulli autè maiori laude & admiratione digni sunt, ijs qui
ad perfectionem Euangelicâ omni animi studio contendentes,
rebus omnibus mundanis sua sponte, abiectis & repudiatis,*

ita in terra vixerunt, ut eorum animus semper in caelis ver-
retur. Quorū qui pulcherrimam legerit historiam, facile intel-
liget etiam in terris aliquid esse praeter naturam: Deūque ijs
qui ipso per suam gratiā digni sunt hominibus ea cōcedere, quae
homo animalis & qui solius naturae ductum sequitur, fieri nō
posse arbitratur. Neque enim animalis homo percipit ea quae
Dei sunt. Quorum enim Deus venter est, & qui nō possunt in-
satiabilem explere ingluuiem, cum veterum monachorum au-
dierint tantam fuisse abstinentiam, ut alij solum tertio, alij nō
nisi sexto quoque die cibum caperēt: nec defuisse aliquos qui to-
tam quadragesimam sine cibo & potu saepius transegerint, ijs
ea res videbitur ad cōcredibilem ut etiam irrideant. Qui verò
sunt adeo molles & dedicati, ut ne minimā quidē ferre possint
aëris iniuriam, ij ut aliquos sine tecto atque adeo sub dio pluri-
mos annos perpetuò vitam egisse credant, qui poterunt in ani-
mum inducere? Metiuntur enim ex sua aliorum tolerantiam.
Qui autem in libidinibus totos dies & noctes volutantur, po-
terunt ne sibi persuadere fieri posse ut aliquis sibi perpetuā in-
dicat continentiam? Qui verò accumulandis inhiant pecunijs,
quorum auaritiā ne totus quidem mundus suffecerit, cum au-
dierint plurimos ex antiquis monachis, postquam omnes suas
facultates pauperibus distribuissent, manuum suarum labori-
bus sibi tenuē victum suppeditasse, & quae supererant paupe-
ribus erogasse, ij aut nullos vnquam tales extitisse, aut stultos
fuisse pronuntiabunt. Quasi verò propter Christum esse stultū,
ut mundus putat, non sit summa sapientia. Iam verò qui ho-
nores ambiunt ecclesiasticos, & specie quidem pulchros, sed ijs
qui illis malè utuntur perniciosos, quous modo cupiunt habere
titulos, cum audierint hos viros planè diuinos, non nisi reluctā-
tes & inuitos, ut sibi mandatū Episcopatum susciperent fuisse

inductos, ridentes, dicent hac esse vetera & à nostri temporis
moribus aliena. Rursus cum eosdem legent, postquam inuiti
creati fuerāt Episcopi, sui officij memores, relicta solitudine &
quae eis erat gratissima contemplatione, ad suum gregem verbo
& exemplo pascendum toros se cōtulisse, multi, nisi fallor, cuius-
modi sunt haec nostra tempora, non tam sibi eos proponunt imi-
tandos, quàm eos ducent audiendos, qui illos à grege pascendo
quouis pretextu auocant. Quorum autem intelligentia non al-
tius extollitur, quàm quantum potest sensus apprehēdere, cum
ea audierint facta esse miracula, quibus maiora ne Christus
quidem ipse cum in terris esset aspectabilis, imo verò quae ipse
Christus per eos fecit, quàm est verisimile eos illis fidem non esse
habitueros? Verum enimvero nō est spectandum quid natura per
se possit, quae eum sequi solet cursum quem ei suus Architectus
constituit: sed quid in diuinis hominibus, Dei cui serua paret
natura possit virtus efficere. De monachorum autem vita, mo-
ribus & institutis cum multi multa sparsim scripserint, duo
celeberrimi & magni nominis authores, Palladius & Theo-
doretus, ea literarum monumentis mandauerunt, quae cum ij de
quibus scribunt, vel illorum temporibus, vel paulò ante eorum
tempora vixerint, aut à viris fide dignis qui ea viderant acce-
pere, aut ipsi suis oculis praesentes aspexere. Quorum alter qui-
dem, nempe Palladius, antea Latine versus, sub Heraclidis no-
mine in lucē exijt, sed non integer, cū in eo plus quàm triginta
patrum vita desideretur. Theodoretus autem Θεοφιλης, id est reli-
giosa historia, cuius ipse saepius meminit in historia ecclesiastica,
cū christiana reip. vtilem censerem me nauare operam si mea
opera in lucē prodiret, eam verti Latine: & cum, ut dixi, mā-
cus ac inutilis fuisset antea editus Palladius, non satis habui
id quod ei deerat supplere, nisi eum denuo à capite verterem.

Quos ambos multa me mouerunt vt sacrosancto tuo nomini dedicatos vellem in lucem exire. Primum quidem, quod ij qui de monachis scribunt authores, nescio ad quem mitti debeant conuenientius, quam ad eum, qui, quod vt difficillimum, ita est in primis admirandum, vel in medijs grauissimarum rerum agendarum occupationibus, antiquam illam vitam propè agit monasticam. Accedit his, quod cum multis iam seculis lapsam veterem ecclesiasticam disciplinam in integrum restitui cupere, magnopere semper præ te tuleris, vt fieret, & quantum licuit, pro viribus contenderis, Palladij & Theodoreti historia non parùm adiumenti ad id sit allatura, quæ præstantissimorum virorum pulcherrima quæ sequamur adducit exempla. Quæ et si non dubito tibi satis esse cognita, vt qui ea ex ipso Græco fonte hauseris, mihi tamen persuadeo non fore tibi iniucundum si ea Latine quoque versa relegas, quæ nunc tuis felicibus auspicijs in publicum prodeunt. Quod quidem vt facerem eò lubentius sum adductus, quod Ioannes Moruillerius Aureliæ Episcopus, vir, vt scis, & doctissimus & longè humanissimus, & tui obseruantissimus, qui me iam pridem in suam asciuit familiam, tuis potissimum auspicijs hoc opus in lucem emittendum censuerit. Quod vt grata manu sumas, & meam in te obseruantiam, quam quomodo possum significo, non auerferis, etiam atque etiam rogo. Vale. Lutetiæ Parisiorum Idibus Augusti.

I 5 5.

AD


HAnc Theodoreti historiam, quæ Θεοφιλις, id est religiosa dicitur, sua auctoritate, eâ citando, cõprobat & confirmat synodus septima quæ fuit secunda Nicæna: & Ioannes Damascenus in libro qui inscribitur aduersus vituperatores imaginum.

Hoc autem esse opus Palladij nemo dubitauerit qui vicesimum tertium caput legerit historię ecclesiasticæ Socratis scholastici: qui loquens de sanctis de quibus paulò antè scripserat, hæc dicit. Si quis autem velit scire ea quę ipsi egerint & fecerint, & quæ ad eorū qui audierunt locuti sint vtilitatem, & quemadmodū eis obedirent bestię, à Palladio Monacho scriptus est liber vnus, qui Euagrii quidem erat discipulus, de iis autem omnia accuratè pertractauit. In quo etiam meminit mulierum quæ par vitæ institutum cum viris prius dictis susceperunt. Quod autem hic liber scriptus sit ad Lausum, probatur testimonio Ioannis Damasceni in libro qui inscribitur, De iis qui in fide dormierunt. Quod si quis dixerit id quod Macario ab eo ascribitur, non inueniri in hoc nostro opere, duorum alterum necesse est, vel id fuisse in hoc opere tempore Damasceni, & fuisse postea ab Hæretico aliquo malitiosè sublatum, vel eum librum qui inscribitur, De doctrina patrum, fuisse etiam à Palladio conscriptum, quem constat fuisse è Græco conuersum: cum de capite mortui miraculum quod Macario ascribit Damascenus, iisdem verbis in eo opere re-

feratur, libro quarto, capite de exemplis & doctrinis vitæ spiritualis.

Non est autem quod à Palladio nostro Ciceroniana expectetur eloquentia. Nam cum ipse nullo adhibito orationis ornamento, humilique ac planè plebeio stilo scripserit, visus sum mihi fidelis interpretis non functurus officio, si aliter vertissem quam scripsisset. Leges ergo non ut ex eius lectione sis eloquentior, sed ut melior, & in iis quæ ad pietatem & pulcherrimæ historiæ cognitionem pertinent, eruditior. Theodoretus autem est huiusmodi, ut præter res præclaras & admirabiles quas narrat, stilus ipse facillè arguat eloquentissimi magistri, Ioannis, inquam, Chrysostomi, egregium fuisse discipulum. Vixit autem Palladius imperante Theodosio maiore, quo tempore vixit etiam Diuus Hieronymus. Theodoretus verò imperante Martiano, quo tempore Romæ pontificatum gerebat Leo primus, ad quem etiam elegantissimam epistolam scripsit idem Theodoretus, quàm Romæ vertimus, & eiusdem in epistolas Pauli commentario à nobis verso & in lucem edito adiunximus. Vale.

CATALOGVS TAM VI-
rorum, quàm mulierum quorum
vita narratur in hoc opere.

A		B	
 A. S.	297	B Aradatus.	423
Abel.	448	Bassanila.	216
Abramius.	197	Beabbas.	126
Abraames.	362	Beniamin abbas.	36
Acephemas.	357	Bisarion abbas.	206
Adolius abbas.	196	C	
Adolia.	216	C Andida.	230
Aenesius abbas.	198	Cheremon.	186
Alexandra.	19	Chronius abbas.	185
Albina.	215	Gopre abbas presbyter.	145
Amon & eius coniux.	26	Constantius.	215
Ammona abbas.	125	Chronius presbyter.	68
Amianus.	289	D	
Ammonius & fratres simul cum fororibus.	35	D Idymus orbis.	18
Ammonius abbas.	165	Diocles abbas.	191
Ammona abbas presbyter.	164	Dioscurus abbas presbyter.	
167		Domnion abbas.	176
Anuph abbas.	149	Domnina.	430
Anachoreta qui illudebatur.		Dorotheus.	15
192		Dorotheus abbas.	191
Apelles abbas.	154	Dorotheus abbas.	93
Aphrates.	314	E	
Apollo abbas.	128	E Lias abbas.	200
Apollonius <i>ὑπὸ ἑρασμίου</i>		Elia abbas.	127
<i>παν.</i>	37	Eleemon monachus.	204
Apollonius abbas.	161	Elpidius abbas.	297
Aphthonius abbas.	297	Ero.	87
Artfacius abbas.	246	Esaia abbas.	149
Afclepius.	403	Euagnius diaconus.	177
Afella.	216	Eulogius Alexandrinus.	68
Auita.	ibidem	Eulogius presbyter.	169

I N D E X.

Eusebius.	367	Mæsymas.	354
Eusebius.	288	Magna.	216
Eustathius abbas.	198	Maccus abbas.	61
Eustochium.	216	Maro.	360
F			
Ellia presbyteri & Eusta-		Marana & Cyra.	227
thius diaconus.	222	Marcianus.	274
Fœmina nobilissima quæ fuit		Maris.	371
semper virgo.	232	Melania Romana.	112
Frater qui cum Palladio ver-		Melania parua.	213
fabatur.	237	Mercator.	160
G			
Addana abbas.	199	Moses abbas Libycus.	184
Gelasia.	231	Moses abbas.	62
H			
Ellen abbas.	150	N	
Hieronymus.	171	Athanael abbas.	41
I			
Jacobus Nisibita.	248	O	
Jacobus.	373	R abbas.	30
Innocentius abbas.	194	Opianus.	215
Ioannes abbas.	168	Olympia.	228
Ioanes abbas vrbis Lyco.	103	P	
Ioannes monachus.	154	Achomius abbas.	95
Ioannes.	396	Pachon abbas.	81
Isidorus presbyter & Xeno-		Pæsius & Esaias.	38
dochus.	13	Palladius.	311
Isidorus abbas.	166	Pambo abbas.	33
Iubinus.	227	Pammachius.	215
Iuliana.	232	Paphnutius Cephalas.	185
Iulianus Saba.	257	Paphnutius abbas.	156
Iulianus abbas.	194	Paulus simplex.	75
M			
Macarius iunior.	40	Paulus abbas.	149
Macarius Aegyptius &		Paulus abbas.	66
Macarius Alexandrinus.	44	Paula Romana.	215
Macarius ex vicaria.	215	Petrus Galata.	324
Macedonius.	344	Philemon martyr.	162
		Philoromus presbyter.	201
		Photina.	216
		Piamun Amma.	94
		Pior abbas.	183
		Pityrion abbas.	168

I N D E X.

Pityrum anachoreta.	100	Thalelæus.	425
Pœmanic.	124	Theona abbas.	126
Posidonius abbas.	170	Theodosius.	333
Potamiæna.	17	Theodora.	216
Protocomes.	158	Tibicen.	156
Ptolemæus qui excidit.	89	V	
Publius.	299	Alens qui excidit.	85
R			
Romanus.	338	Venerca.	216
Rufinus presbyter.	209	Virgo quædam quæ labora-	
S			
Abbatius.	200	bat amore diuitiarum.	21
Salamanus.	370	Virgo de qua fuerat dictum	
Serapion sindonites.	172	fallum testimonium.	99
Seuerianus & eius vxor.	203	Virgo quæ renũciauerat.	220
Siluania.	226	Virgo quæ excepit Athanasium	
Sifinus abbas.	199	episcopum.	218
Solomon abbas.	190	Virgo lapsa quæ egit pœnitē-	
Stephanus abbas.	84	tiam.	221
Stephanus lapsus.	186	Virgo quæ faciebat septingē-	
Symeones priscus.	305	tas orationes.	67
Symeones stelites.	404	Virgo lapsa.	90
Sur abbas.	148	Vsa.	216
T			
Alida.	219	Vxor viri Senatorij.	234
Taor Amma.	220	Z	
Thalassius aut Limnæus.	393	Ebinas & Polychronius.	
		397	
		Zeno.	340

FINIS.

b iij

INDEX EORVM QUÆ IN

HOC LIBRO VIDENTVR NOTATU DIGNA, & QUÆ VEL AD MORES PERTINENT, VEL AD DOGMATA ECCLESIASTICA.

A		
A bstinentia à carne & vino quomodo vtendum. - pag. 10	culis. 113. 240	
Adorare oportet fratres. 141	Athanasius scripsit vitam S. Anthonij. 29	
Aegyptij cur animalia allium que & cepe adorabāt. 133	B	
Angelorum ordines à quibus discant. 4	Basium quomodo plātetur & colatur 27	
Angelica apparitio. 30	Basilii episcopus Caſariensis promouit in lectorem Euagriū diaconum. 178	
Animam in vano accipit, qui eam putat dissolui cū corpore. 21	Bellum aduersus dæmones. 242.	C
Animam eius qui rectè in virtute exercetur, vel discit, vel docet. 5	Caput serpentis cōterere, significat malas cogitationes ab initio vincere. 131	
Aqua benedicta capiti infusa mulierem curauit Macarius. 48	Carnis esus & vini potus quouis foco melius corpus calescunt. 436	
Aqua benedicta expelluntur locusta. 323	Casu omnia fieri sentire, oriuntur à vana gloria. 89	
Aqua benedicta. 320. 351. 400	Calumnia cauenda & patienter ferenda. 225. & 226	
Ab aqua omnino abstinuit Abraames. 365	Charitas est ieiunio præstantior. 283	
Aquam bibebant Pythagoras, Diogenes, Plato, & Machæi. 10	Charitas in Deū in quo maxime consistat. 291	
Arrogantiæ mater est ignorantia. 4	Charitas in Deum quanta efficiat. 437	
Aures sunt minus fideles oculis.	Charitatis in Deum euidentis signum est eius mandatorum obseruatio. 454	
	Cibi aut potus materia nō est	

INDEX.

vituperanda vel laudāda, sed mens eorum qui rectè vel malè vtuntur. 10	Crucis signaculo se munit Dorotheus aquam bibiturus in qua fuerat Aspis. 16
Cogitationibus est in principio repugnandum. 131	Crucis figura imponebatur cucullis monachorum Tabennesiotarum. 96
Cogitationibus quomodo resistendum. 61	Crucis signo signatus Copres, flammam ingressus abiit illæsus. 147
Cōmunicare bona an iis renunciare vtrū melius. 39	D
Cognatorum amoris prætextus efficit vt nascatur auaritia. 21	Dæmonum differentia. 47
Contemplatiua vita est melior actiua. 122	Dæmon principalis. 79 & 80
Conuentus Virginum. 14	Dæmon superbiæ. 129
Corpus affligendū quod nos affligit. 59	Dæmon fornicationis. 181
Crucis signo munita virgo quædam euasit incorrupta. 234	Dæmon blasphemia. ibidem.
Crucis trophaeum digito ostendere. 263	Dæmones ignorantes vt qui aufugerint à magistris. 5
Crucis figura digito expressa quid fecerit. 278	Dæmon in pueri figuram. 43
Crucis signum aquæ impositū qua curatus fuit equus. 321	Dæmonum multitudo per totū orbem dispersa. 389
Crucis signo curata mater Theodoretī, quæ laborabat dolore oculorum. 326	Dæmones expelluntur vincendo animi affectiones. 168
329.	Dei placito vel Dei permissione fiunt quæcunque fiunt. 186
Crucis signo facto curatur morbus ingluuici. 349	Deo sunt adscribenda omnia nostra bona opera. 187
Crucis signo curatur dæmoniaca. 351	Deus cur sanctos quandoque derelinquit. 190
Crucis signo curatus morbus cholicus. 394	Desertum plures habebat qui seruabantur quàm terra habitata. 132
Crucis signo curatus morsus viperæ. ibidem.	Deus solus non potest doceri. 4
	Diaboli fraude prætextitur cognatorum amor ad inducendam auaritiam. 21

Diaboli tela sunt membra no-
stra. 244
Doctrina nō cōsistit in syllabis
aut verbis, sed in moribus. 4
Doctrinæ diuinæ non est or-
nata vti oratione, sed ver-
bis persuadere veritatis. 7
Dona spiritus sancti sunt varia
& Deus maiora largitur
perfectioribus. 246

E

Ecclēsia ædificata in illa pe-
cta sub qua moyses Deum
vidit. 267
Elatione animi tanquam cane
& accipitre vtendū in sto-
lidos. 209
Elemosynæ admirabiles 205
208. 210. 214. 217. 228. 396
Episcopus eligi potest etiā qui
est trūcatus naribus, si mo-
do sit præditus bonis mori-
bus. 35
Episcopi quales esse debeant
solicitudines. 252
Episcopatus repudiatus ab ab-
bate Ammonio. 35
Eucharistia à viris spiritualibus
olim sumebatur priusquā
aliquod aliud alimentum
acciperent. 31
ab Eucharistiæ participatione
diu cessare est periculosum.
48 167
Eucharistia ex altari Marco da-
ta ab angelo, quæ etiā ibi-
dem vocatur oblatio. 61
ab Eucharistia abstinebatur

propter turpia somnia. 66
Eucharistiæ communicabant
prius quàm aliud alimentū
sumerent. 140
Eucharistiæ sacramento con-
sequimur remissionem pec-
catorum. 141
Eucharistiæ ne communicet
monachus qui phantasmam
habuit mulieris. 164
ad Eucharistiæ sacramentum
non accedendum ei qui ma-
las habuit cogitationes no-
ste præcedente. 169

F

Fides consecuta actionem,
facit vt non condemnē-
tur qui comedit & bibit,
propter fidem. 11
Fiduciā in se & operib⁹ suis ha-
bere non oportet. 114 188
Fornicatus presbyter iubetur
esse laicus à Macario. 57
Fornicationi solitæ quàm sit
difficile resistere. 63
ad Fornicationem tripliciter
impellimur. 82
Fornicationi difficile resist. 83
Fumo oculos præstrigere 209
Fucari cur non debeant mu-
lieres. 327

H

Hermipolim ingresso Ser-
uatore cum Maria corrue-
runt omnia idola. 128
Homicidium est aliquādo vir-
tutis occasio. 40
Hospites quomodo exciperē-
tur in monasteriis Netriæ. 26

Humi-

Humilitas quātopere sit am-
plectenda. 113. 188

I

IAnne & Mambre sepulchrū
adiit Macarius. 51
Idola ceciderunt in Aegypto
Hermipolim ingresso Ser-
uatore. 138
Ignorantia est mater arrog. 4
Ieiunium & abstinentia à cibis
admirabilis. 15. 50. 55. 64.
76. 77. 78.
Ieiunio & abstinentia à cibis
domatur libido. 64
Ieiuniū admirabile. 88. 128
130. 150. 170. 175. 182.
195. 197. 258. 276. 283.
287. 292. 326. 343. 345.
369 407.
Ieiunium est postponendum
charitati. 283
Ieiunium quartæ & sextæ fe-
riæ non esse soluēdum. 141
Imagines Symeonis Romæ
erant positæ ante fores cu-
iuslibet. 411
Intercedunt sancti pro nobis
385.
Ira nunquam motus Dauides
spacio quadraginta quin-
que annorum. 295
Ira est motus naturæ non no-
stri arbitrii. 296
Iustorum & peccatorū locus
reuelatus Antonio. 74

L

Lætos Domnionis curauit
Lætos post mortē. 176

Lucas & Marcus qui audierūt,
fide digni sicut Matthæus &
Ioannes qui viderunt. 248

M

Maria lacus. 24
Maledictio sanctorū viro-
rū tā in res inanimatas quā
animatas, quantam vim ha-
beat. 250. 251. 359.
Marcus & Lucas qui audierūt
sūt fide digni, sicut Matthæ⁹
& Ioānes qui viderūt. 247
Māsfuetudo quid efficiat. 356
Marutinarum & vespertino-
rum hymnorū cātatio. 302
Membra nostra sunt tela dia-
boli. 244
Membrū quodlibet docebat
virtutem Ammianus. 294
Mens non natura cōsequitur
victoriam aduersus dæmo-
nes. 243
Mens quæ recedit à Dei con-
templatione, fit vel dæmon
vel bestia. 191
Monasteria mille fratrum. 30
Monachi in mōte Netriæ vi-
ctum sibi parabant faciēdo
vestem lineam. 24
Monachi operabātur suis ma-
nibus. 454. 76. 84. 95. 98.
185. 202
Monachorum Tabennesiota-
rū quale fuerit institutū. 36
Monachi memoriter sciebant
scripturas. 98
Monachi quomodo procedē-
bāt obuiā venientibus. 140

I N D E X.

ad Monasterium foeminarum nullus tráibat præter presbyterum & diaconum, idque die dominico. 98
 Monachæ erant tonsæ & cucullis indutæ. 100
 Mortem virgo sibi consciscit ad conseruandam virginitatem. 235
 Mortis perpetua meditatio efficit vt in magnis nõ pecemus. 6
 Mortuum esse mundo, significat impatibilitatem. 176
 Moses splendore gratiæ accepto scripsit res gestas sanctorum. 248
 Mulier curatur à paralyfi. 58

N

Negotij gerendi cupiditatem quæ mala consequatur. 9
 Netriæ mōtis monasteria cuiusmodi. 24
 Nona hora canebatur psalmi & hymni. 25
 Nonæ peragere officium. 282

O

Oblatio dicitur fieri à presbytero. 25
 Oblatio nõ fit pro eo qui sibi mortem consciuit. 99
 Obluionis remedium sunt scripta. 240
 Oleo benedicto morbi curatur ab abbate Beniamin. 36
 Oleo sancto à Macario curata paralytica. 57

& Oleo sancto vngitur ab eo curatus dæmoniacus. 58
 Oleo benedicto vngens multos curauit Ioannes. 110
 Oleum benedictum. 322
 Oleum sanctificatum. ibidem.
 Olei martyrum lecythus. 384
 Oleum benedictum à Symeone. 418
 per Opera bona omnes qui Christum diligunt, Deo vniri properant. 6
 Oratio incantationis abolet operationem. 322
 Oratio sanctorum est cōmune omnium morborum remedium. 361
 Oratio non debet interrumpi, sed esse perpetua. 391
 Orationes numeratæ calculis. 67
 Orationes fiebant in ingressu cellæ eremitarum. 19
 Oratio pro messe. 146
 Orationes absque vita honesta, sunt spicæ quæ à vento iatereunt. 188
 Oratoria ædificata vt in ea sanctorum transferrentur reliquia. 286
 Ordo presbyteri impositione manuum cōferebatur ab episcopo. 359
 Ordo sacerdotalis conferebatur ab episcopis impositione manuum. 346. 396

P

I N D E X.

Patrum vitæ cur narratur. 8
 Peregrinatio ex voto Romanam & Alexandriam & Hierosolyma. 203
 Peregrinationis Hierosolymitanæ quænam sit causa. 308 & 325.
 Petrus rogauit carnifices ne crucifigeretur eo modo quo dominus. 446
 Philosophus quisnam verè sit. 470
 Piorum hominum varia sunt vitæ instituta. 447
 Pœnitentia potest esse tanta vt propter eam Deo plus placeat qui peccauit, quàm si perpetuam exercuisset virginitatem. 222.
 Pœnæ quibus afficiebatur delinquentes in monasteriis Netriæ. 24
 Presbyter fornicator peccatum cōfessus curatur à Macario, sed prohibitus ne sacrum amplius celebraret. 57
 Presbyter dicitur offerre oblationem. 24
 Presbyteri octo erant in ecclesia monasterij Montis Netriæ, sed vnus solus offerebat. 25
 Profectus virtutum quodnam sit argumentum. 132
 Propositio bono agens nõ incidit in inposturam dæmonum, cōtrà qui malo agit. 187

Q

Quadragesima variè ieiunabatur à Tabennesiotis & quomodo eam ieiunauit Macarius. 58
 Quadraginta totos dies ieiunus permanebat Symeones 409. 410
 Quo studio teneretur Palladius. 7
 Quomodo à cibo & potu abstinentum. 10

R

Reliquiæ Abramis. 367
 Reliquiæ Ioannis Bap. 384
 Reliquiæ Symeonis. 422
 Reliquiæ Ioannis Baptistæ in quodam martyrio. 195
 Reliquiarum sanctorum causa extructa oratoria. 286 287
 Reliquiæ Theodosij. 338
 Renunciare mūdo quid sit. 300
 Renunciare bonis an ea communicare, vtrū melius. 39

S

Sabbato & die dominico cōueniebant monachi in ecclesiam. 26. 167
 Sabbato & dominica accedebant monachi ad communionem. 96
 Sacerdotium inter monachos honorandum. 85
 Sanctorum preces inuocandæ 249.
 Sanctorum benedictionem & intercessionem implorat Theodoretus in fine vniuscuiusque vitæ.

Sancti pro nobis intercedunt 384	nes. 52
Sacrificare dicitur presbyter. 57	Vana gloria quātā impietatis causa fuerit Valenti. 85
Sacrificium diuinum & mysti- cum offertur à Theodore- to. 372	Vana gloria Eronis qui nullū alium atrēdi volebat magi- strum præter Christum. 87
Sepeliendi monachas ritus. 98	Vana gloria in quantum erro- rem impulerit Ptolemaum. 88
Scientia absque bonitate est inutilis. 189	Vanae gloriae seruiens peccata grauia facile prolabitur. 90
Serpētis caput conterere quid significet. 131	Veispertinorum hymnorū cā- tatio. 275.302
Scripta sunt medicamenta ad- uersus obliuionem. 241	Virginitatis honor. 432
Spiritus sancti dona varia. 247	Virtus quandoque fit occasio pro lapsionis. 86
Spiritus sanctus maiora dona largitur perfectioribus. Ib.	Virtutū profectus quodnam sit argumentum. 132
Superbia sanctis viris est val- de cauenda. 227	Virtutes, aliæ ex instituto, aliæ ex casu nascuntur. 42
T	Virtus est bonum constans & stabile. 447
Theodoretus cur sic appel- latus. 353	Vita verborum veritati non respondens, est panis sine fa- le. 188
Theodoretus quantum labo- rauit aduersus Marcioni- stas. 382.384	Voti causā veniebat Romā, Alexandriam, Hierosolima. 203.210
Theologia consequitur natu- ralem cognitionem, theo- logiā autem beatitudo. 191	Votum ab Ismaelita factum quod nihil animatum co- mederet, violatum, & à Deo punitum. 416
Tricesimus dies obitus Palla- dij tempore celebratur. 73	Zona miraculosa. 333
V	
Vanae gloriae tētationi quā fortiter restiterit Maca- rius. 58	
Variae daemonum apparitio-	

F I N I S.



P R O O E M I V M H I S T O R I A E
S A N C T O R V M P A T R V M,
quæ dicitur Laufraca.



N H O C L I B R O S C R I P T A
est qua in virtute vtebantur exer-
citatio, & admirabilis vitæ agen-
dæ ratio, beatorum & sancto-
rum Patrum, qui degebant in so-
litudine. vt eos æmulentur ac imi-
tentur, qui coelestem volunt vitam agere, & quæ

*Huius li-
bri argu-
mentum.*

Intentio.

ad regnum coelorum deducit, vitam ingredi. a-
nuumque mulierum memoria, & inclitarum ma-
trum à Deo inspiratarum, quæ magno & forti ani-
mo virtutis exercitationis peregere certamina. vt
exemplar proponatur, & amor excitetur iis quæ
continentiæ ac castitatis volunt coronam redime-
re. ex sententia & voluntate viri, qui est varia ac
multiplici doctrina præditus, moribus pacificus,
& corde pius, mentēque religiosus, & in iis quæ
sunt opus egentibus communicandis liberalis, &
propter morum bonitatem multis viris eximiis est
in summis honoribus præpositus, & omnino custo-
ditur virtute diuini spiritus. Qui quidē nobis iussit,
vel si verum potius dicere oporteat, ad eorum quæ
sunt meliora contemplationem, hebes nostrum &
obtusum excitauit ingenium, vt ad proponendam

A

*Quis lau-
sus.**Humilitas
auctoris.*

ad imitandum virtutum exercitationis decertationem sanctorum, & immortalium, & spiritualium patrum nostrorum, qui vt Deo placerent, in dura & aspera tractatione corporis vitam egerunt, præclarorum athletarum vitam à nobis descriptam ad eum mitteremus, vniuscuiusque ex magnis euidentes prædicâdo virtutes. Diuini autem huius & spiritualis desiderij amator est Lausus, cui post diuinum auxilium, mandata est custodia diuinitus afflati & religiosi imperij. Ego igitur qui & lingua sum ineruditus, & spiritalem cognitionem summis quodam modo labris attigi, & indignus sum qui recenseam spiritalem vitam sanctorum patrum, & si reformidem præcepti magnitudinē, quod meas vires superat, & iussum ægrè feram, qui & magnam externam sapientiam, & spiritalem requirit intelligentiâ, reueritus tamen primum, & eius qui ad hoc exequendum nos excitauit, virtutem, & reputans eorum qui hæc legent vtilitatem, & extimescens periculum quod essem aditurus, etsi iure parere recusarem, cum egregium primùm iussum diuinæ adscripsissem prouidentia, magnâque vsus essem diligētia, sanctorum patrum intercessione erectus, ad ea sum aggressus, veluti quodam compendio præclarorum athletarum, & magnorum virorum summa solùm certamina & signa describens. Nec solummodo clarorum virorum, qui optimam ac præstantissimam ex virtute vitam egere: sed etiam beatarum mulierum, quæ in excellentissimæ vitæ genere se honestè exercuere. Et aliquorū quidem

ex iis sacros vultus vt ipse coram viderem sum dignatus, qui iam antè sunt consummati in certamine pietatis. aliquorum autem coelestem vitæ institutionem didici à diuinis athleticis. Multas autem vrbes & multos vicos, & omnem speluncam, & omnia tabernacula deserti monachorum pedestri itinere obiens, diligentissimè cōsideraui eorum pietatem ac religionem. Atque cum quæ partim quidem ipse vidi scripsissem, partim autem quæ à sanctis Patribus audiui, magnorum virorum certamina, & mulierum, quæ propter spem in Christum erant fortiores quàm earum ferebat natura, huius libri scriptis mandassem, misi ad tuas aures amicas diuinorum eloquiorum, optimorum virorum, & religiosorum decus, fidelissimique & religiosi imperij splendor, germane & Christi amice serue Dei Lause, pro ea quæ mihi inest exiguitate, vniuscuiusque ex Christi athleticis tam masculis quam foeminis insigne nomen exprimens, & ex multis & magnis vniuscuiusque certaminibus pauca breuiter exponens. Plurimorum quoque genus etiam adiciens, & urbem, & locum mansionis. Meminimus autem virorum & mulierum, qui ex virtute quidem vitam perfectè instituerunt, propter arrogantia autem matrem inanem quæ vocatur gloriam, in infimum inferorum barathrum, & fundum præcipitati fuerant, & quæ longo tempore & plurimo labore sibi pepererant, amplectenda, & acerrimo studio comparanda exercitationis benefacta, vno temporis momento arrogantia & vana de se per-

*Vnde didi-
cerit Palla-
dus quæ
scripturus
est.*

suasione amiserant. gratia autem nostri Seruatoris, & sanctorum patrum prouidentia, & viscerum miseratione, erepti sunt à spiritualibus diaboli laqueis, & sanctorum precibus recuperauerunt priorem vitam quam agebant ex virtute.

EXEMPLAR EPISTOLAE SCRIPTAE
ad Lausum praepositum, ab Heraclide
Episcopo Cappadociae.

Fortè dicen-
dum, verbi
adificium.
vt sit Graece
ἀδὺς οἰκοδο-
μῆς.

Angelorū
ordines.

Quae vera
sua doctrina.

BEatum censeo tuum esse institutum. Par est enim vt incipiat epistola à beatitudine, quòd cum omnes vanis rebus inhient, & lapides aedificent, ex quibus nullam capient vtilitatem, ipse velis doceri rationes aedificij. Solus enim est vniuersorum Deus qui nequit doceri. quandoquidem & ipse per se est, & ante se non habet alium. Alia autem omnia doceri possunt, quoniam sunt & facta & creata. Atque primi quidē ordines magistrum habent summam trinitatem. Secundi autem discunt à primis. Tertij autem à secundis. Et sic deinceps, & per ordinem, vsque ad extremos. Qui enim sunt praestantiores honore & virtute, docent eos qui sunt inferiores cognitione. Qui ergo existimant se egere magistris, aut non parent iis qui docent in charitate, laborant morbo ignorationis, quae est mater arrogantiae. Inter quos primas partes tenent ad interitum, qui eodem vitio exciderunt à coelesti habitatione in aëre volantes daemones, vt qui aufugerint ab iis qui erant in caelo magistris. Non enim dictiones aut syllabae sunt doctrinae, quas nonnunquam habent etiam qui sunt

peffimi: sed mores rectè compositi, & molestiae, & terroris, metus, & irae vacuitas, & in rebus omnibus fiducia ac dicendi libertas, & quae rationes non secus gignit quàm ignis flammam, mansuetudo. Nam si ita non esset, non diceret magnus magister suis discipulis. Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde. non verborum ornatu instituens & dirigens apostolos, sed morum bonitate neminem molestia afficiens, praeter eos qui verbum habent odio, & oderunt magistros. Oportet enim animam, quae Deo conuenienter exercetur, vel fideliter discere ea quae non nouit, vel apertè docere ea quae sit. Si enim alterutrum horum nolit, laborat insania. Defectionis enim principium est doctrinae fatietas, & verbi fastidium, quod semper esurit anima eius qui Deum diligit. Vale ergo, & sis fanus, & fortis. & tibi Deus concedet vt persequaris Christi cognitionem.

Matth. 11.

EXEMPLAR EPISTOLAE SCRIPTAE
ad Lausum praepositum, à Palladio
Episcopo Cappadociae.

CVM multi multa & varia diuersis temporibus scripta vitae reliquerint, quorum alia quidem, ex Dei supernae gratiae inspiratione, sunt ad aedificationem & securitatem eorum qui fideli proposito sequuntur dogmata seruatoris: alia autem, ex corrupto, & quod hominibus placere cupit proposito, luxuriant ad eorum consolationem qui inanis gloriae morbo laborant: alia autem ex importuna quadam insania, & daemone, qui quae sunt ho-

Quanta se
eorum quae
scripta sunt
differētia.

nesta habet odio, impulsione, ad leuium hominum perniciem, & intemeratæ catholicæ Ecclesiæ labem, ira & arrogantia irruperunt in mentes stultorum, vt vitam honestam & puram obscurarent: visum & mihi quoque humili propter spem in Christum, magnificentiæ tuæ iussum reuerenti, vir studiosissime, primum omnium narrare ea quæ ad me pertinent, & ætatem, & mentis meæ ad virtutem, in Deum profectum, incipiendo à iuuenili ætate. Cùm tricesimum quidem & tertium annum agerem in conuersatione cum fratribus & vita solitaria, vicesimum autem episcopatus, totius autem vitæ meæ quinquagesimum tertium: necessarium existimaui, spiritalis vtilitatis gratia, tibi cupienti in scriptis narrare, quæ à sanctis patribus rectè & ex virtute gesta sunt, tam masculis quàm sceminis, quos & ipse vidi, & de quibus audiui ab animis fidelissimis, cum quibus versatus sum in Aegipti solitudine, & in Libya, & Thebaide, & Syene, sub qua sunt etiam qui dicuntur Tabennesiotæ. deinde in Mesopotamia, Palæstina, & Sirya, & in partibus Occidentis, & Romæ, & in Campania, & in iis quæ sunt circa eas partibus: vt tibi ab initio accuratissimè in hoc libro exponam instar narrationis. Vt cùm habeas honestum & animæ vtile monumentum, perpetuum & non intermittendum pietatis & religionis medicamentum, omnem quidem obliuionis dormitationem, quæ ex cupiditate rationis experte in anima ingeneratur, omnem autem infide dubitationem, omnésque in rerum vsu fordes

& parcitatem, omnémque dubitationem pusillique & abiecti animi vitium, & nimiam ad iram propensionem, perturbationémque, & ægritudinem rationis expertem, & intempestiuum timorem per id expellas. & ne à corrupti mundi vana spe pendeas, effugias: perpetuo autem desiderio in spe ad Deum proficias, & in proposito pietatis, sis & in via dux tuus, & eorum qui tecum sunt, & eorum qui tibi subiiciuntur, & maximè piorum Imperatorum. Per quæ quidè bene facta omnes qui Christum diligunt, Deo vniri properant, expectantes scilicet quotidie resolutionem animæ à corpore, » prout scriptum est. Coarctor cupiens dissolui & *Philip. 1.*
 » esse cum Christo. est enim multo melius. Et illud,
 » Para in exitum opera tua, & præpara te in agrum. *Prover. 24.*
 Qui enim semper mortis meminit, quæ necessario omnino veniet, & non tardabit, in magnis non offendet, sicut scriptum est. In omnibus operibus *Eccle. 7.*
 tuis, memento nouissima, & in æternum non peccabis. Neque verò præter alia omnia hæc te fallat breuis admonitio narrationum: neque respuas rudem & inornatam dictionem. Non est enim diuinæ doctrinæ, ornata, & ad ostendendam sapientiam composita vti oratione, sed verbis persuadere veritatis, vt scriptum est. Aperi os tuum verbo Dei, & *Prover. 31.*
 » iudica omnia sanè. Et Rursus. Ne declines à narratione senum. Ipsi enim didicerunt à patribus eorū. *Eccle. 8.*
 Ego itaque, vir cognitionis Dei studiosissime, aliqua ex parte sequens hoc dictum, multos conueni sanctos. Neque verò ea cogitatio mihi aliud a-

Quo studio teneretur palladius.

genti in mētem venit. sed cūm triginta atque adeo bis totidem dierum viam confecissem, & Dei gratia pedestri itinere, omnem Romanorū regionem peruasissimam, viā molestiam nihili feci si conuenire possem virum pium ac Dei amicum, vt lucrifacere quod nō habebam. Si enim qui me est longē praestantior, atque adeo forte etiam vniuerso mundo, multosque superauit & vitæ agendæ ratione, & cognitione, & spiritali intelligentia, & fide in Christum, beatus apostolus Paulus, Tarso in Iudæam profectus est, vt conueniret Petrum & Ioānem & Iacobum: & ideo veluti glorians id narrat, referens suos labores, ad eos incitandos qui in socordia & ocio vitam transigunt, dicendo, Ascendi Hierusalem vt viderem Cephā, non contentus sola fama illius virtutis, sed desiderans eius quoque intueri faciem: quāto magis ego qui sum innumerabilium talentorum debitor, debui hoc facere, nō illos sanctos beneficio afficiens, sed mihi peccatori vtilitatem afferens. Nam ij quoque qui patrum vitas conscripserunt, Abrahæ, & Isaac, & Iacob, & Moysis, & Helix, & Ioannis, & eorum qui deinceps consequuntur, non narrarunt vt eorum illustraretur gloria, sed vt prodesse iis qui eas legerent. Hæc ergo cūm scias fidelissime & in primis venerande Christi serue Lausa, te ipsum sæpe admonens, feras patienter nostras ineptias, vt piam tuam mentem custodias, cui natura est insitum vt diuersis vitiis, quæ sub aspectum cadunt & quæ non cadunt, tanquā vndis agitetur, potest autem sedari sola perpetua

*Quantofer-
uore pios
vros adire
debeamus.*

Salut. 20

petua oratione & propria tui ipsius cura. Multi enim etiam ex fratribus paulo religiosioribus, qui & de exercitationis & eleemosynæ laboribus sibi placebant, & de coelibatu perfectæque & absoluta virginitate se iactabāt, & in diuinorum eloquiorum meditatione animum vehementer intendebant, & rerum bonarum disciplina freti erant, aberrarunt ab impatibilitate temperariæ suæ sententiæ, seruentes. vt qui alicuius scilicet pietatis pretextu negocij gerendi cupiditate laborarēt. ex qua oriuntur & gerendi negocij nimix solitudines, & ad mala negotia animi applicationes. quas consequuntur curæ alienorum negociorum, quæ honestorū negociorum curam euellunt radicitus, quæ est mater propriæ sui ipsius curæ. Esto ergo, rogo te, fortis in omni intelligentia, non pingues & nitidas efficiēs diuitias. quod quidem certe fecisti, eas satis minuens, impertiendo iis qui indigent. eaque ad exercendam virtutem tibi fuere ministerio, cū nec impetu aliquo, nec vlla quæ ratione careret anticipatione, neque vlllo pretextu quo placeres hominibus, iurando obligasses tuam liberam eligendi voluntatem, sicut multis euenit hominibus, qui cū non comedendi vel bibēdi contentiosa vanæ gloriæ seruire fecissent liberum arbitrium, necessitate iurissurandi, ei rursus miserabiliter succubuerunt, vel vitæ amore & ignauia, vel imbecillitate corporis, vel cupiditate alicuius voluptatis periurium patientes. Si ergo & ratione participes, & ratione abstineas, nunquam peccabis. Diuina est enim in nobis ratio, quæ ab iis quæ sunt in nobis motionibus exterminat quidem ea quæ

Cœlibatus.

*Vnde eorū
fit ruina &
perditio,
qui se semel
statui per-
fectiori ad-
dixerūt, &
ab eo desci-
nerunt.*

Vorum.

*Ratio con-
tra peccatū*

i. Tim. 1. sunt noxia, assumit autem ea quæ sunt vtilia. Iusto enim, inquit, lex non est posita. Melius est ergo vinum bibere cum ratione, quàm aquam cum fastu & superbia. Atque mihi quidem aspice, eos qui cum ratione pietatis ac religionis vinum bibunt, esse viros sanctos: eos autem qui inconsideratè, & citra rationem, cum arrogantia aquam biberunt, esse homines prophanos & corruptos. & nec amplius vituperes aut laudes materiam cibi aut potus: sed beatam vel miseram iudices mentem eorum qui rectè vel malè vtuntur materia. Bibit aliquando Ioseph vinum apud Ægyptios: sed non fuit mente læsus. erat enim animo munitus. Aquam autem biberunt Pythagoras & Diogenes & Plato, inter quos etiam Manichæi, & reliquus coetus Theologorum Philosophorum, & eo vanæ eos perduxit opinionis intemperantia, vt ipsum Deum vniuersorum effectorem ignorarent, & inanima simulachra adorarent. Vsum vini tetigerunt ij quoque, qui cum beato Petro apostolo erant discipuli, adè vt ipsi domino, & eorum magistro, omnium autem Seruatori, id probro daretur, ob participationem increpantibus Iudæis & dicentibus, Quare discipuli tui non ieiunant, sicut Ioannis discipuli? Et rursus insultabant discipulis, & exprobrantes dicebant infideles. Magister vester cum publicanis & peccatoribus comedit & bibit. De pane autem & aqua non reprehendissent, nisi de obsonio & vino scilicet, ij qui vini quidem potionem vituperant, aquæ verò laudant & admirantur. Respondet autem Seruator pulchrè dicens. Venit Ioannes in via iustitiæ, neque comedens,

Quomodo à cibo & potu abstinendum. Vinum bibere vt bonum. Aquam bibere vt malum.

Mat. 11. Mat. 6. Marc. 2. Luc. 5. Mat. 11.

nec bibens. carnem scilicet & vinum. nã absque aliis non potuisset viuere. & dicunt, dæmonium habet. Venit filius hominis comedens & bibens. & dicunt. Ecce homo vorax & vini potor, amicus publicanorum & peccatorum, propterea quòd comedat & bibat. Quid nos ergo faciemus? Nec eos qui vituperant sequamur: nec eos qui laudant. Sed vel cum Ioanne ratione ieiunemus, etiam si nobis dicant Iudæi, Dæmonium habetis. vel cum sapientia Iesu vinum bibamus, si corpus indigeat, etiam si nobis dixerint, Ecce homines voraces & vini potores. Neque enim re vera esca est aliquid, nec potus, sed fides quæ per charitatem extenditur operibus. Cùm enim omnem actionem fides fuerit consecuta, condemnari non potest qui comedit & bibit, propter fidem. Quid quid enim non est ex fide, peccatum est. Sed quando aliquis ex voluptariis, vel ex iis qui quodlibet aliud peccant, dicit, Fide participo, vel aliquid aliud ago, à ratione aliena cupiditate, vel corrupta conscientia innitens fidei, labitur. Seruator enim distinxit, dicens. A fructibus ipsorum cognoscetis eos. Quòd autem fructus eorum, qui diuina ratione vitam instituunt & spiritali intelligentia, sit ex diuini Apostoli sententia, charitas & gaudium & pax, & longanimitas, benignitas, bonitas, fides, māsuetudo continentia, castitas, est extra controuersiam. Ipse enim dixit beatus Paulus. Fructus autem spiritus est hoc & hoc. Quòd autem qui studet tales habere fructus, citra rationem, aut inconsideratè, aut intempestiuè non comedet carnes, nec bibit vinum, neque cum vlla mala cohabitabit

Ieiunandum cū ratione.

Rom. 16.

Quando manducare & bibere.

Mat. 7.

Galat. 5.

Ratio, tempus, discretio.

1. Cor. 9. 33

*Aegyotis
& cibus
potus lici-
tus est, ut
iis viantur
quasi medi-
camentis.*

conscientia, rursus dixit idem beatus Paulus. Omnis qui certat, ab omnibus abstinet. cum sana quidem est caro, abstinens ab iis quæ pingue faciunt. Quod si sit ægra vel mœrore confecta, vel aliquo casu afflicta, tunc utetur quidem vel cibo vel potione tãquam medicamento, ad ea curanda quæ molestiam afferunt. abstinebit autem ab iis quæ sunt animo noxia, ira & inuidia, vana gloria, tristitia, & detractio, superbia & elatione, Deo agens gratias. Cum de his itaque satis differuerim, tuæ rursus pietati aliã affero adhortationem. Fuge pro viribus eorum virorum congressiones qui nullam habent vtilitatem, & pellem exoriant aliter quàm conueniat. etiam si sint orthodoxi, non solum hæretici: & lædūt hypoerisi, etiam si cano capite & corrugata fronte præ se ferant longitudinem temporis. Nam ut propter mores generosos ab eis nihil lædaris: id certè quod videtur esse minimum, te fauciabit. Insolens enim redditus, animo effereris, eos irridens. Quod quidem tibi detrimētum afferet, ut qui in superbiam incideris. Super lucidam autem fenestram persequere & virorum & mulierum sanctas cōgressiones. ut per eorum veluti subtiliter scriptum librum, possis tuum cor apertè videre, & per collationem probare socordiam tuam vel diligentiam. Multa enim sunt quæ probitati ferunt testimonium. color vultus qui in ea vita quæ degitur efflorescit, & vestium ornatus, & mores compositi, & modestia orationis, & verba non exquisita & affectata, elegans sententia, cogitata sensûque sapientia. Dominus autem vires dabit tuæ mansuetudini, & omnibus

*Quæ ali-
cuius probi-
tati adse-
rant testi-
monium.*

qui sequuntur scopum pietatis, etiam si vel desidia, vel casus aliquis acciderit. Amictus enim, & gressus pedis, & risus dentium annunciabit de ipso, ut ait Prouerbiū. Incipiens itaque tibi narrare vitam sanctorum patrum, neque eos, qui sunt in vrbibus, vel vicis, vel speluncis, vel solitudinibus tibi ignoti, prætermittam oratione. adiiciens eos etiam qui sunt in cœnobiis. Neque enim locus quæritur in quo se rectè, & ex virtute gesserunt, sed modus rectè eorum institutionis, per quam Christi auxilio vitam egerunt angelicam.

Eccl. 10.

VITA ISIDORI PRÆBYTERI
& Xenodochi.

CVM ergo primum venissem in Alexandrinam ciuitatem, secundo consulatu magni Theodosij magni imperatoris, qui propter suam rectam in Christū fidem nunc est cum angelis: in ipsa ciuitate incidi in quemdam virum admirandum, & omni ex parte ornatum, sermone, moribus, & cogitatione, nempe Isidorum, qui erat & presbyter & Xenodochus Alexandrinæ ecclesiæ. Is dicebatur prima quidem iuuentute versans in solitudine, peregisse certamina exercitationis. Cuius etiam cellam vidi ego in monte Nitriæ. Offendi autem eum senem septuaginta annos natum. qui cum vixisset alios quindecim annos, in pace obiit. Hic sanctus vsque ad horam obitus nihil lineum gestauit extra vitam, non balneo est vsus, non tetigit carnes, nunquam à mensa recessit repletus ad satietatem. Erat autem corpore à Dei gratia tã bene temperato, ut omnes qui ignorabant eius

*A quibus
abstinuerit
Isidorus.*

*In ieiunio
laticies.*

victus rationem, persuasum haberent eum lautè viue-
re & opiparè. Huius virtutes animæ si velim sigilla-
tim narrare, narrantem me tempus deficiet. qui erat
adedò mitis, benignus & pacificus, vt etiam infideles
eius inimici, propter rectam in Christum fidem, vel
eius vmbra reuererentur, ob insignem viri bonita-
tem. Tantam autem habuit spiritalem gratiam & cog-
nitionem sanctarum scripturarum, & comprehen-
sionem diuinorum dogmatum, & etiam in ipso con-
uiuio hora solita refectiois fratrum, sancti huius fie-
ret mentis excessus, mutusque euaderet ipse & obstu-
pesceret, & cum rogaretur vt quæ in excessu euene-
rant narraret, diceret. Mente sum peregrinatus ab a-
liqua raptus contemplatione. Scio ego eum sæpe in
mensa fuisse lachrymatum. & cum rogaretur causam
cur esset lachrymatum, audiui eum dicentem. Pudet
me vesci cibo à ratione alieno, cum sim ratione præ-
ditus: & sim futurus in paradiso deliciarum, & replen-
dus ambrosiæ nutrimento, propter eam quæ nobis à
Domino data est potestatem. Is erat Romæ notus
cuncto senatui & procerum vxoribus, quo tempore
cum beato Athanasio episcopo prius recesserat, de-
inde cum sancto Demetrio episcopo. Is cum abuda-
ret opibus, & iis quæ sunt ad vsum necessaria, non scri-
psit testamentum decedens, non pecuniam reliquit,
non rem vllam suis fororibus quæ erant virgines: sed
eas Christo commendauit, dicens. Deus qui nos cre-
auit, vobis quoque victum prouidebit sicut & mihi.
Erat autem conuentus virginum quæ erant cum so-
roribus eius, septuaginta. Is, cum ad eum venissem a-

*Extasis, &
raptus men-
tis.*

*Cibus bea-
titudinis
consolatur
esurientem.*

Athanasius

*Conuentus
virginum.*

dolenscens, & rogarem vt ad vitam cooptarer mona-
sticam, mea adhuc ætate lasciuente, & non opus ha-
bente sermonibus, sed laboribus qui carnem subige-
rent, durâq; & aspera viuendi ratione quæ corpus cõ-
pesceret: is, inquam, tanquàm bonus domitor pullo-
rum, duxit me extra ciuitatem ad eas quæ dicuntur
cellæ eremiticæ circiter quinto ab vrbe lapide. & me
tradit cuidam Dorotheo exercitatori Thebano sexa-
gesimum annum agenti in spelunca, & iubet me im-
plere apud ipsum tres annos ad demandas animi per-
turbationes. Sciebat enim senem agere vitam admo-
dum duram & asperam. & postquàm annorum nu-
merum implesem, rursus ad eum reuerterer, manda-
uit ob reliquam doctrinam spiritalem. Cùm autem
non poruissem apud eum implere numerum trium
annorum, eo quòd in morbum incidissem vehemen-
tem, ab eo recessi ante tempus præstitutum. Erat enim
eius vitæ ratio longè asperrima, squallida, & planè
arida. Toto enim die, atque adedò in ipso æstu meri-
dici, in solitudine quæ est propter mare, colligebat
lapides, & ex eis semper ædificans, & cellas faciens,
eas cedebat iis qui non poterant ædificare, singulis
annis cellam faciens. Cùm autem ego aliquândo huic
sancto dixissem, Quid agis pater, in tanta senectute
corpuseculum tuum occidens caloribus intolerabili-
bus, respondit mihi, dicens. Illud me occidit, ego quo-
que ipsum occidam. Comedebat autem singulis die-
bus sex vncias panis, & minorum olerum decem.
Aquæ autem bibebat quantum sufficiebat. Deum au-
tem testor me nunquam cum cognouisse pedes ex-

*Monacho
iuueni nor-
tam sermo-
nibus quæ
laboribus
opus est.*

*Palladij a-
doleſcentia
ſpirabat
monaſticū.*

*Trinum in
norū ſpatiū
concupiſcē-
tiæ domādæ
Vita Ab-
bat̄is Do-
rothei. xi.*

*Labor cor-
poreus.*

*Affligēti
corpus, ne
illud nos
occidat.*

*Victū sibi
parat mani-
bus Doro-
theus.*

tendisse. nō dedita opera dormiisse, aut super lectum. sed per totam noctem sedens contexebat catenam ex ramis palmarum, vt ex eo sibi victum pararet. Cū autem suspicarer, eum, cum adessem solūmodo, tam extrema vsum esse exercitatione, sciscitatus sum vt scirem à compluribus eius discipulis, an perpetuò vteretur tam accurata exactaque exercitatione. qui quidem manebant ipsi quoq; deinceps seorsum, se rectè & ex virtute gerentes. Hi mihi dixerunt quòd à iuuentute vitam suam ita instituit, nunquàm dedita opera dormiens, nisi quod inter operandum vel comedendum aliquando conuiebat oculis deiectis. adeò vt sæpe frustum quoque ex eius ore excideret esus tempore propter nimiam dormitionē. Cū autem ego aliquādo cogere hunc sanctum paululum iacere super storem, ægrè ferens mihi dixit. Si quando persuaseris angelis vt dormiant, tum virtutis studio quoque persuaseris. Quodam autem die, ad puteum suum me misit circa horam nonam, vt implerem cadū, quò eo in refectione vteretur cū instaret hora cibi capiendi. Accidit autē vt cū accessissem, infrā in puteo viderē aspidem, & præ metu aquā minimè haurirem, sed currendo reuersus ei nunciarem, dicēs. Perimus Aba, vidi enim aspidem inferius in puteo. Ille autem honestè subridens, quoniam mei magnā habebat rationem, & caput quatiens, dixit. Si visum fuerit diabolo in omnem puteū iniicere serpentes, & aspides, vel testitudines, aut alia venenata animalia, in omnes fontes aquarum: tu manebis nunquā bibens. Ipse autem è cella egressus, cū per se hausisset, bibit ieiunus, cū prius

Ne sopor obruat virtutis studiosum.

Miraculū.

Aspis in puteo.

prius signaculo muniisset, & dixisset: Quo venit Seruator, illic viribus caret diaboli improbitas. *Crucis signum.*

ACTA ET TEMPERANTIA
Potamiana.

III.
Beatus ergo Isidorus Xenodochus, qui beatū Antonium conuenerat, narrauit mihi se ab eo audiuisse rem dignam quæ mandetur litteris. Potamiana quædam puella formosissima, tempore Maximini persecutoris, fuit ancilla cuiusdam intemperantis & libidinosi. Quam cū multum rogasset, & ei varia promisisset eius Dominus, eam non potuit decipere. Quo factum est vt is tandem furore percitus, eam traderet præsidi Alexandrino, qui erat eo tempore, tanquā Christianam, & quæ tempora & imperatores infectaretur maledictis propter persecutiones. pollicitus se ei magnam pecuniæ vim daturum ob eius calamitatem, dicens. Si ei persuaseris vt meo desiderio assentiatur, eam custodi nullo affectam supplicio. Quod si mansisset in ea quam ab initio ostenderat austeritate, rogauit vt ea supplicio affecta moreretur: ne, dicens, viua meam irrideat intemperantiam. Producta autē ante tribunal virgo fortis, diuersis ad pœnas sumendas comparatis instrumentis, corpore fuit excruciatā, & aduersus multas ac varias rationes mente tanquam turris firma ac stabilis resistebat. Inter instrumenta autem suppliciorum, crudelius quoddam cæteris tormentum ab eo qui tunc erat iudex inuentum est. Iubet enim magnum lebetem pice repletum vehementissimo igne accendi. Cum bulliret ergo pix & valde arderet, conuersus ad illam beatam sæuus

*Constantia
Potamiana*

*In lebetem
bulliente
pice repletū
deicitur.*

præses, dixit. Abi pare voluntati Domini tui. alioqui, vt intelligas, iubeo te deuolui in lebetem. Illa verò respondit, dicens. Absit vt sit iudex adeò iniquus, qui me iubeat parere libidini & intemperantiæ. Ille itaque furore percitus, iubet eam exui, & in lebetem iniici. Illa verò vocem emittit, dicens. Per caput imperatoris quem tu times, si statuisti sic me supplicio afficere, ne iusseris me exui. sed iube me paulatim in picem feruentem demitti. vt videas quantam mihi largitus est patientiam Christus quem tu ignoras. Quæ sic paulatim demissa, spacio trium horarū, emisit spiritum, cum pix peruenisset ad eius collum.

VITA DIDYMI ORBI.

IIII.

*Didymus
oculis orbatus.*

Psalm. 145

Plurimus ergo coetus sanctorum virorum & mulierum, tunc fuit consummatus in ecclesia Alexandrina, qui sunt inuenti digni terra mitium. Inter quos consummatur etiam beatus scriptor Didymus qui fuit orbis. Cum quo fuit mihi quater congressio, cum decem annorum interiecto interuallo ad eum proficiscerer. Is autem consummatur natus annos octoginta quinque. Fuit autem is orbis, vt qui cum esset quatuor annos natus, oculos amiserit, vt ipse mihi narravit. & neque literas didicit, neque ventitauit ad præceptores. Habebat enim secundum naturam magistratam, firmam ac validam propriam conscientiam. Tanta autem spiritalis cognitionis fuit exornatus gratia, vt re vera impleretur in eo quod scriptum est. Dominus illuminat cæcos. Vetus enim & nouum testamentum interpretabatur ad verbum

Dogmata autem subtiliter & tam strenuè exponebat, vt omnes veteres superarit cognitione. Is cū aliquando me cogeret in cella facere orationem, ego autem nollē, mihi dixit narrans. Ter in hanc cellā ingressus est beatus Antonius vt me viferet. qui à me rogatus vt faceret orationē, statim genu flexit in hac cella, neque commisit vt quod dixeram iterum repeterem, re ipsa quidem docens in obedientia. Quare si tu quoque eius vitæ vestigia sequeris, vt qui sis monachus & hospes ob virtutem, omnem depone contentionem. Hic ipse hoc quoque mihi narravit. Cū quodam die, aiebat, de vita miseri Iuliani imperatoris, vt potest persecutoris, effem sollicitus, & animo angerer: accidit vt propter hanc sollicitudinem ad vesperam vsque feram nihil comederem, & cū in in sedili sederem, me somnus opprimeret, & viderem in extasi equos albos cū infessoribus percurrentes, & annunciantes. Dicite Didymo. Hodie hora septima mortuus est Iulianus. Surge ergo & comede: & quod tu scis domū mitte ad episcopum Athanasium, vt ille quoque hoc sciat. Notauit autem, inquit, & horam & diem & hebdomadem & mensē. & sic inueni.

ALEXANDRÆ VITA.

Narravit autem mihi quoque hic beatus de quadam ancilla nomine Alexandra, quæ relicta ciuitate in monumento se inclusit, per foramen accipiens quæ erant necessaria, neque in virorū neque in mulierum conspectū veniens spacio duodecim annorum. Duodecimo autem anno aiunt beatam cum dormiis-

*Grece est Co
piti sed le-
go qoriti.*

*Sacras scri-
pturas no-
ueat, et si
non didi-
cisset.
B. Anto-
nius.*

*Ne qua in
hospite con-
tentio.*

*Mors apo-
stata Iulia-
ni reuelat-
ur didymo*

*Includi
monimento
per 12. an-
nos.*

set, seipsam composuisse. adeò vt quæ solita erat ad eam venire, cum illi non respōdisset, nobis renunciauerit. Cùm nos ergo accessissemus, & monimenti ostium amouissemus: ingressi sumus & inuenimus eam obdormisse. De ea autem dicebat etiam beatissima

S. Melania. Melania Romana, cuius vitam narrabo tempore & loco conuenienti. Huius, inquit, beatæ faciem non potui intueri. stans autem ego circa foramen, eam rogavi vt mihi diceret causam propter quam secessit quidem à ciuitate, seipsam autem inclusit monimēto. Illa autem, inquit, per foramen me est allocuta, dicēs.

Cur se incluserit. A. Alexandra. Quidam, inquit, infano mei amore tenebatur. & ne eum videre, molestia afficere, vel in inuidiam vocare, malui me viuam in hoc monumentum inferre, quàm offendere animam quæ facta est ad Dei imaginem. Cùm autem ego ei dixissem, Quomodo ferre poterua Christi Dei, cū nullo omnino colloqui, sed sola pugnare cum desidia & cogitationibus? mihi respondit, dicens. A mane vsque ad horam nonam oro, per horam nens linum. Reliquis autem horis mente reuoluo vitam sanctorum patrum & patriarcharum, & certamina beatorum apostolorum & prophetarum & martyrum. Postquam autem aduentarit vespera, cùm Dominum meum glorificauero, cibum capio, plurimas horas noctis perseuerans in oratione, & finem expectans quando hinc dissoluam cum spe bona, & apparebo ante faciē Christi Dei. Non præmittam autem in narratione eos quoque qui ita vixerunt, vt speciem quidem præ se ferrent pietatis ac religionis, sed eam cōtemnerent, ad laudem quidem eorum

*Quibus va
cari sic in-
clusa.*

*Pia medi-
tationes.*

qui rectè & ex virtute se gerunt, & vt cauti sint & attentij qui legunt.

DE QUADAM VIRGINE QUÆ LABORABAT amore diuitiarum.

ERat quædam Alexandria virgo solùm nomine, ha-
bitu quidē humilis, animi autē instituto parca, glo-
riosa & insolens & laborās avaritia, auri potius quàm
Dei amās: ex rebus suis nulli vnquam exhibens, non
hospiti, non pauperi aut afflicto, non monacho, non
virgini, non ecclesiæ vel obolū vnum. Ea multis san-
ctorum patrum admonitionibus incitata, non repe-
lebat graue pondus diuitiarū. Erat autem ei quoque
genus, ex quo sororis suæ filiā in filiam adoptauerat.
cui noctu & diu sua pollicebatur, cùm ipsa excidisset
ab opibus cœlestibus. Nam hæc quoque est vna spe-
cies fraudis diaboli, qui prætextu amoris in cognatos,
efficit vt nascatur avaritia. Nam quòd ei nulla sit
cura generis, hinc patet. Ipse enim docuit & fratrem
& matrem & patrem occidere. Id quæ est ex scripturis
extra controuersiam. Sed etsi videatur nonnullis curā
cognatorum inferere, non hoc facit quòd illis bene-
velit, sed vt eorum qui ei parent animam apertè exer-
ceat ad iniustitiam, cùm ipse sciat latam sententiam,
quæ dicit. Iniusti regnū Dei non possidebunt. Potest
autem aliquis & spiritali motus intelligētia, & diuino
desiderio, neque suam negligere animam, & cognatis
opem ferre, si quid eis defuerit. Quando autem
quis ita totam suam instituit animam, vt ea despi-
ciatur & obruatur præ cura cognatorum, is incidit in
legem, vt qui suam pro vano æstimet animam. Canit

*Vt mutata
sit à seipsa
virgo insolen-
s, & in
pauperes
dura.*

*Deut. cap.
12. d.*

*1. Cor. 6.
Quomodo
possit quis
cognatis suc-
currere ci-
tra anima
nafragiū.*

Psal. 23.

autem David quoque psalmographus de iis qui ani-
 « mæ curâ gerunt, dicens in timore Dei, Quis ascendet
 « in montem Domini? Pro eo quod est, Raro. Aut quis
 « stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mun-
 « do corde. qui non accepit in vano animam suam. Illi
 enim animam suam in vano accipiunt, qui existimant
 eam dissolui vnâ cum hac caruncula. qui virtutes spi-
 ritales negligunt. Huic virgini, quæ solo nomine sibi
 parauerat appellationem, moribus autem erat aliena
 ab exercitatione, cû venam, vt dicitur, vellet incidere
 ad leuandam auaritiam, sanctissimus Macarius pres-
 byter & præfectus Ptochotrophij eorû qui sunt cor-
 pore mutilati, talem actum excogitat. Erat enim ei à
 iuuentute lapidarius. Ad eam autem accedens dicit.
 In me inciderunt pulchræ gemmæ, smaragdi & hia-
 cinthi. nec scio an sint furtiui, an alicuius mercatoris.
 Non constituitur enim eis pretium, cûm æstimatio-
 nem superent. Qui habet autem, vendit eas quingen-
 tis nummis. Si ergo tibi visum fuerit eas accipere, da
 quingentos nummos. potes ex vna gemma accipere
 quingentos, reliquis autem vti ad variandum mundû
 filiæ tuæ fororis. Cûm autem quæ dicebatur virgo,
 tota penderet à puella: inescatur eius ornandæ cupi-
 ditate: & procidit ad eius pedes, & dixit, Rogo te ne
 quis alius eas accipiat. Eam ergo adhortatur sanctus
 dicens. Veni vsque ad domum meam, & eas aspi-
 ce. Illa autem noluit. sed ei præbet quingentos dena-
 rios, dicens. Rogo te, ipse eas vt vis cape. Nolo enim
 videre hominem qui eas vendit. Cûm autem quin-
 gentos denarios ab ea accepisset sanctus Macarius,

*Qui in va-
no suam a-
nimam ac-
cipiunt.*

*S. Macari-
us quo asse-
virginem
reduxerit.*

*Domus ho-
spitalis mss
tilatorum.*

dat eas ad vsûm Ptochotrophij. Cûm autem multum
 tempus præterisset, quoniam existimabatur Alexan-
 driæ senex vir esse summè pius ac misericors, vixit
 autem ad centum vsque annos, cuius tempore nos
 quoque fuimus, verebatur eum admonere. Tandem
 cum eum inuenisset in ecclesia, dicit ei. Rogo te, quid
 iubes de lapidibus, pro quibus dedimus nûmos quin-
 gentos? Ille ei respondit, dicens. A quo die mihi de-
 disti aurum, eos impendi in precium gemmarum. &
 si velis eas videre, veni in hospiciû. Illic enim sitæ sunt
 gemmæ, & vide. Quòd si tibi non placeant, tolle au-
 rum tuum. Venit autè illa lubentissime. Habebat autè
 Ptochotrophium, in superiori quidè parte mulieres,
 in inferiori autem viros. Cûm ea autem accessisset, in-
 trodicit eam in vestibulum, & dicit ei sanctus Maca-
 rius, Quid vis primû videre, hyacinthos, an smarag-
 dos? Ea verò illi dicit, Quòd tibi videtur. Ille verò
 eam ducit in partem superiorem, & ostendit ei mulie-
 res mancas ac mutilatas & orbatas oculis. & dicit ei,
 Ecce hyacinthi. Deinde deducit eam in partem infe-
 riorem, & ostendit ei viros, dicens. Ecce smaragdi.
 & existimo non inueniri his preciosiores. Quòd si ti-
 bi non placeant, accipe aurum tuum. His ergo sic ge-
 stis, pudore affecta virgo exiit, & domum reuerfa ma-
 gnum accepit dolorem, quòd hanc rem ex Deo non
 fecisset, sed adducta necessitate. Postea autem gratias
 egit presbytero, cûm puella cuius curâ gerebat, post
 nuptias mortua esset sine liberis. ipsaque deinceps
 vitam suam rectè instituit.

*Pauperes
& agroti
gemma sicut
maximè
precij.*

VITA ABBATIS ARSACII, ET
eorum qui cum eo erant.

Maria
lacus.

Quinque
millia vi-
rorum in
quodam
monte.

Ecclesia.

Flagellum.

Cum ego cum multis sanctis essem congressus, & conversatus tres annos in monasteriis quæ sunt Alexandria, & mansissem cum magnis, studiosissimisque & optimis viris circiter bis mille, omni virtute ornatis: illinc recedens veni in montem Netriæ. Inter hunc montem autem & Alexandriam positus est lacus, qui dicitur Maria. Is autem continet ad millia septuaginta. Quem cum transmissem, per diem vnum & dimidium, veni in montem ad partem meridionalem. In quo monte sita est ingens solitudo, quæ pertinet usque ad Aethiopiam & Mazicos & Mauritaniam. In eo autem habitant ad quinque milia virorum, qui videntur vario vitæ genere; unusquisque ut potest & vult, adeo ut liceat & solum manere, & cum duobus, & tribus, & cum quo velit numero. In hoc monte sunt septem pistrinæ, quæ & illis seruiunt, & Anachoretis qui sunt in vasta solitudine, viris perfectis; numero sexcentis. Cum ergo toto anno in monte habitassem apud beatos & sanctos patres, magnum Arfasium, & Putuphasium, & Hagionem & Cronium, & Serapionem: & multis antiquiorum patrum spiritualibus narrationibus, ab ipsis essem stimulatus: veni in intimam solitudinem. In hoc monte Netriæ vna est maxima ecclesia. & in ipsa ecclesia, sunt tres palmæ: ex quibus vna quæque habet flagellum suspensum. Et est vnum quidem ad castigandos monachos qui delinquant. Alterum verò ad puniendos latrones, si quando inciderint. Tertium verò ad corrigendos eos qui forte

veniunt,

veniunt, & in aliqua delicta incidunt. Adeo ut quicumque delinquant, & conuincuntur meruisse ut dent poenas, palmam amplectantur, & tergo plagas præfinitas accipiant, & sic dimittantur. Prope ecclesiã autem positum est Xenodochium, in quo venientem hospitem toto tempore accipiunt, etiam si biennium aut trienniũ voluerit manere, donec velit sua sponte recedere: permittentes ei vna hebdomada manere in ocio. Aliis autem diebus ipsum deinceps attrahunt ad opera, aut in orto, aut in pistrino, aut in coquina. Quod si fuerit quispiam cuius sit habenda ratio, dant ei librum legendum, non permittentes ei ut cum villo colloquatur usque ad horam sextam. In hoc monte degunt etiam medici & placentarij. Utuntur etiam vino, & vinum illic venditur. Hi autem omnes suis manibus faciunt vestem lineam, adeo ut sint omnes minime egentes. Circa horam autem nonam licet stare, & audire in vnoquoque monasterio hymnos & psalmos Christo canentes, & preces ad hymnos emittentes, adeo ut existimet quispiam se sublime elatum transmigrasse in paradysum deliciarum. Veniunt autem ad ecclesiam sabbato solum & dominico. Sunt autem octo presbyteri qui præsent huic ecclesiæ, in qua quandiu viuit primus presbyter huius ecclesiæ, nullus alius offert, nec iudicat, nec habet sermonem: sed tacite solum cum eo sedent. Hic magnus Arsifius, & alij multi cum eo senes, quos nos vidimus, fuerint æquales tempore magno Antonio. Atque mihi quidem narrauit hic magnus Arsifius, se Amon quoque vidisse Netriotem, cuius animam vidit assumi Antonius,

Xenodochium.

Doctiores.

Hymni.

Quando veniunt ad Ecclesiam.

Octo presbyteri.

Arsifius.

D

& deduci ab angelis. Is dicebat se etiam Pachomium vidisse Tabennesiotē, virum prophetā, ter mille virorum Archimandritam. cuius narrabo postea virtutes.

DE SANCTO AMON ET EIVS CONIVGE.

VIII.

*Vi adigere
ad matri-
monij iugū.*

*Amor co-
hortatur
cōiugem ad
virginitatē*

*Quid operis
agebat
Amon.*

Dicebat autem Amon hoc modo vixisse. Cū esset, inquit, parentibus orbatus adolescens circiter viginti duos annos natus, vi à suo patruo mulieri iunctus est matrimonio. & cum non posset resistere necessitati quam ei afferebat patruus, visum est ei & corona redimiri, & sedere in thalamo, & omnia sustinere quæ fiunt in matrimonio. Postquam autem omnes essent egressi, qui in thalamo & lecta dormituros collocauerat, surgit beatus Amon, & claudit fores: & sedens vocat beatam & germanam suam coniugem, & ei dicit. A desdum domina foror. Deinde rem tibi narrabo. Hoc quo cōiuncti sumus matrimonium, nihil habet eximium. Rectè ergo faciemus si abhinc vnusquisque nostrum seorsum dormierit, vt Deo placeamus, intactam nostrā reddentes virginitatem. Et cū è sinu suo paruum libellū protulisset, tanquam ex persona Apostoli & Seruatoris, legebat puellæ quæ erat ignara literarum, plurimam lectionis partem adiciens ex sua diuinitus inspirata doctrina, & in vita, in virginitate & castitate degēda eam instituens. Quo factum est vt illa Christi gratia repleta, diceret. Ego quoque Domine mi persuasum habeo fore vt castam vitam libenter agam. & si quid iubes, hoc deinceps faciam. Ille verò, Ego, inquit, iubeo & rogo vt vnusquisque nostrum seorsum maneat. Ea verò hoc non tuiit, dicens. Maneamus in eadem domo, sed in di-

uersis lectis. Viuens ergo cum ea decem & octo annos in iisdem ædibus, toto die vacabat orto & balsameto. Operabatur enim balsamum. quæ balsamus instar vitis plantatur, vt in qua collenda & putanda multum labori ponatur. Vespere ergo domum ingrediens, & faciens orationes, cum ea comedebat. Et rursus nocturnas preces fundens & synaxim peragens, summo mane ibat in ortum. Cū hæc sic fierent, & peruenisset vterque ad impatibilitatem, vim & efficaciam habuere preces Amonis. Postremo autem ei dicit illa beata. Est aliquid quod tibi dicam Domine mi. vt si me audieris, mihi plane constabit, quòd verè ex Deo me diligas. Is verò ei dicit, Dic quod velis. Ea verò dicit illi. Aequum est vt tu qui es vir pius & religiosus, & exerces iustitiam, & similiter ego qui eandem viam instituti sum secuta, seorsum maneamus, & multi ex eo capiant vtilitatē. Non par est enim vt propter me tāta & talis occultetur tua virt^o philosophiæ, qui mecū propter Christū cohabitas in castitate. Is verò cū ei gratias egisset, & gloriam Deo dedisset, ei dicit. Rectè tibi visum est domina foror. & si hoc tibi placet, tu habeto hanc domum. ego verò abibo, & aliam mihi domū faciam. Qui cū ab ea esset egressus, ingressus est in interiora montis Neria. Nondum enim tunc illic erant frequentia monasteria, & sibi fecit duos cellarum tholos. Et cū vixisset alios viginti duos annos, & rectè summam exercitationis virtutē exercuisset, in vita obiit monastica, vel potius translatus est sanctus Amon, natus sexaginta duos annos, bis in anno vidēs beatā vitæ suæ con-

Balsamus.

Vis precum

*Vxoris con-
silio seorsū
habitaui.*

*Amon ad
montem
Neria
contendit*

Puer à rabiosi canis morsu curatur.

Restitutio alieni.

Qui parcat bonis ne operamiseri cordiæ impleat bonorum incurrit naufragium.

Athanasius scripsit vitam S. Antonij.

Amon se nudum videre veniebat

fortem. Cùm is ergo solus esset in Netriis, ferunt ad eum puerum rabie exagitatum, vinctum catenis. Canis enim rabiosus mordendo illi rabiem dederat. Seipsum ergo totum laniabat, ut qui intolerabilem morbum ferre non posset. Postquam ergo vidit eius parentes ad supplicandum procedentes, Quid mihi, inquit, labores exhibetis o homines, ea petentes quæ mea merita superant, cùm in vestris manibus præsto sit auxilium. Reddite enim viduæ bouem quem clanculum occidistis: & sanus reddetur vobis puer. Illi vero cum conuicti essent, læti fecerunt quæ iussa fuerant: & eo orante puer sanus euasit. Accesserunt autem alij eius visendi gratia. Ad quos dixit vir sanctus, tentandi eorum animi gratia. Afferte ad me dolium vnum, ut habeam satis aquæ ad eos qui veniunt excipiendos. Ij autem promiserunt seipfos allaturos. Cùm autem alterum poenitisset, vbi in vicum venisset, dicit alteri. Nolo occidere camelum, neque ei dolium imponere, ne moriatur. His auditis, alius, suis iunctis asinis, magno labore dolium sursum portauit. Præueniens autem Amon ei dixit, Quid quod focij tui camelus est mortuus, interim dum huc venisti? Is autem reuersus inuenit eum à lupis deuoratum. Multa quoque alia hic vir fecit. Hoc autem miraculum narrauit beatus Athanasius Alexandriae episcopus, scribens in vita Antonij, quod cùm aliquando monachi ad ipsum missi essent ab Antonio, erat enim in interiori solitudine Antonius, cùm ad ipsum venissent, surrexit senex, & ambulabat cum eis. & cùm esset transiturus Lycum fluuium, cum eius discipulo Theodoro, verebatur exui,

ne seipsum videret aliquando nudum. & interea dum de ea re differeret, inuentus est trans fluuium. ut qui absque cymba in ecstasi traiecisset, translatus ab angelo. Fratres autem naratu transmiserunt. Postquam autem accessit ad Antonium, primus ei dixit Antonius. Cùm Deus mihi multa de te reuelasset, & tuam translationem mihi significasset, te ad me accersui necessario, ut cùm nobis inuicem frui licuisset, pro nobis inuicem intercederemus. Cùm autem eum collocasset in quodam loco longè separato, hortatus est ne recederet ante translationem. Cùm autem ipse seorsum fuisset consummatus, vidit Antonius eius animam in coelum assumptam ab angelis. Hic est ergo Amon qui sic vixit & sic obiit. Hunc Lycum fluuium ego cum metu pontone aliquando transmisi. est enim fossa magni Nili.

Vidit Antonius animam Amonis.

VITA ABBATIS OR.

IN hoc monte Netriæ fuit vir admirabilis Abbas Or ix. in nomine, habens monasteria mille fratrum, habitu *Or quis?* Angelico præditus. ut qui cùm esset nonaginta annos *Monasteria mille fratrum.* natus, nihil amisisset de corpore. erat enim vultu nitido & alacri. adeò ut cùm vel solum videretur vir esset reuerendus. Is cùm longè antè se in vltiore exercuisset solitudine, postea in propiori solitudine congregauit monasteria, palude propriis plantata manibus, cùm ligna non essent in eo loco, adeò ut esset densa sylua in solitudine. Dixerunt enim nobis qui cum eo erant patres, quod ne germen quidem illic erat, quando vir ille venit ex solitudine. Ipsam autem

plantauit, ne propter res necessarias, qui ad ipsum cōueniebant fratres, cogerentur circuire. sed eorū omnem gerebat curā Deum orans, & pro eorum salute decertans, vt nihil eis deesset necessariū: nec esset eis vllus focordix̄ prætexus. Is primū quidem degens in solitudine, vescabatur herbis & dulcibus radicibus. aquā quoque bibebat quando inueniebat. in precibus & hymnis toto tēpore perseuerans. Postquam autem peruenit ad perfectam ætatem senectutis, angelus ei apparuit in somnis, dicens in solitudine. Eris in gentem magnam, & magnus tuæ fidei credetur populus. Qui per te autem salui fient, erunt decies mille. quos si hic lucrifeceris, totidem tibi parebunt in futuro seculo. Neque quidquam dubitaueris, ait ei angelus. Nihil enim tibi deficiet eorum quæ sunt ad vsum necessaria vsque ad mortem tuam, quoties Deū inuocaueris. Hæc cū audiisset, venit ad propinquā solitudinem, seorsum primum degens, sibi quodam paruo constructo tuguriolo, solum compositis contentus oleribus. sæpe etiā semel solum vescens in hebdomada. Atque erat quidem primum illiteratus. Postquam autem venit ex solitudine in terram habitatam, ei gratia fuit data diuinitus, & scripturas expromebat memoriter. Ei enim libro dato à fratribus, ita deinceps legebat tanquam peritus literarū. Aliam quoque acceperat gratiam, nempe dæmonum expellendorum, adeò vt multi ex iis qui laborabant, etiam eo nolente, clamantes eius vitam ostenderent. Alias quoque curationes non cessabat peragere. Quo factum est vt ad eum conuenirent tria millia monachorum.

Vitus quilibet.

Angelica apparitio.

Alludit ad ea quæ Abraham sunt dicta.

Peritia datur diuinitus.

Tria millia monachorum.

eos autem vir ille vidisset, lætitia affectus eos salutauit & complexus est. Cū pedes eorum propriis lauasset manibus, conuersus est ad doctrinam. erat enim valde peritus literarum, vt qui hanc gratiam accepisset diuinitus. Cū autem scripturarū multa soluisset capita, & fidem tradidisset orthodoxā, adhortatus est ad preces. Viris enim magnis mos est, nihil carnis admittere, priusquam spiritale alimentum animæ traderint. Hec autem est Christi communio. Cū eius ergo fuisset participes, & egisset gratias, hortatus est ad mensam. ipse semper inter sedendum eos admonens eorum quæ sunt bona & honesta, & dicens eis ea quæ pertinent ad salutem. Fuit ergo hic vir clarus inter multos patres, adeò vt cū multi ad eum venirent monachi, omnes præsentis fratres conuocans, in vno die eis cellas faceret. vno quidem subministrante lutum, altero verò laterem, alio autem hauriente aquam. Perfectis autem cellis, ipse præbebat venientibus quæ erant necessaria. Is falsum fratrem qui ad eū aliquando venerat, & vestes suas occultauerat cū coram omnibus arguisset, in medium produxit. Quo factum est vt nemo auderet deinceps apud eum mentiri cū tantam haberet gratiam, quam per honestam suam vitam sibi collegerat. licebat autem videre multitudinem eorum qui cum ipso erant monachorum in ecclesia, tanquam angelorū choros Deum laudantium. Magnam huic sancto, suo testimonio tribuit virtutem vniuersa fraternitas. præcipuè autem homo Dei Melaniā, quæ hunc montē ante me est ingressa. Ego enim eum non offendi viuum. Hec autem

Eucharistia omnibus carnalibus præmittenda.

Or ipse cellas adificat.

Melania.

præclara de hoc viro narrabat, quòd nec vnquam sit mentitus: neque iurauerit: neq; vlli malè sit precatus: neque locutus sit nisi opus esset.

VITA ABBATIS PAMBO.

x. **H**VIUS montis accola fuit etiã Abbas Pambo, qui fuit magister Dioscuro episcopi, Ammonis, & Ioannis filij fratris Dracontij viri admirabilis. Hic Pambo multa quidem habebat & varia priuilegia. Inter cætera autem que rectè & ex virtute ab eo gerebantur, hoc habebat quo erat reliquis superior. quòd scilicet aurum & argentum tantum despiciebat quantum postulat ratio dominica. Vnde mihi narrauit beata Melania, quòd cum ab initio Rõma venisset Alexandriam, & de eius virtute audisset à beato Isidoro bresbytero & Xenodocho, qui de eo mihi narrauit, & ad ipsum deduxit in solitudinẽ. Ad eum, aiebat, attuli vasa argentea trecentarũ librarum argenti, rogãs eum vt rerum mearum esset particeps. Ille autem, inquit, operans, & ramos texens mihi bene dixit, voce magna dicens. Deus det tibi mercedem. & dixit suo oeconomõ Theodoro: Accipe & ea dispensa vniuersæ fraternitati quæ est in Lybia & in insulis. hæc enim monasteria magis indigent. ei præcipiens vt ex eo nihil daret iis qui erant in Aegypto, propterea quòd sit regio ditior & abundantior. Ego autem, inquit, stans expectabam, vt vel benedictionibus ab eo honorarer, vel verbo saltem laudarer ob tantum donum. Cùm verò nihil omnino ab eo audiissem, ei dixi. Domine, vt scias quantum sit. Sunt trecentæ libræ

Pambo quos docuerit.

Anyum despiciere.

Melania.

Vasa argentea dono accepta dispensat egenis monachis.

bræ argenti. Is autem rursus cùm ad hoc ne omnino quidem annuisset, & nec ad vasis quidem thecam attendisset, respondit. Ea à te attulisti ò fili. Non opus est vt a te discam quantitatem pòderis. Qui enim montes appendit & syluas statera, multo magis scit quantitatem tui argenti. Si enim hæc mihi dares, rectè mihi pòdus dixisses. Sed si Deo ea obtulisti, qui ne duos quidem obolos despexit, sed eos plus quàm omnia æstimauit, tace. Sic ergo, inquit, dispēsauit gratia Domini, dum ingressa sum in hunc montem. Breui autem post tempore dormiit homo Dei, nec ægrotans, nec in nulla parte corporis dolorem sentiēs, sed sportam contexens me accersit, & cum adesset iam extremus stimulus, dicit mihi. Cape hanc sportam à meis manibus, vt mei memineris. Nihil enim habeo aliud quod tibi relinquam. Et cùm hoc dixisset, excedit sine febre cùm esset annorum septuaginta, Domino commendans spiritum. Quem cùm ego sepelissem, & linteis sancti corpus inuoluissim & deposuissim, recessi à solitudine, vsque ad diem mortis mecum habens illam sportam. Hic Pambo cum esset moriturus, in ipsa hora excessus, eum circumstantibus beato presbytero & Ammonio, viris inclytis, & reliquis fratribus, dicitur hoc dixisse. Ex quo veni in hunc locum solitudinis, & meam ædificauim cellam, & hic habitauim, nullus fuit dies quo non aliquid operis fecerim meis manibus. nec memini me ab aliquo panem gratis datum comedisse. nec me in hanc horam poenitet alicuius sermonis quem dixerim. & sic ad Deum recedo, vt qui nec pius quidẽ ac religiosus esse cœperim. Hoc

Sapiens respondit.

Ne quis elemosinæ precium faciat.

Quid breui moriturus dixerat Pambo.

Origenes.
Ammonius.

quoque de eo ferebant testimonium Christi serui, Origenes & Ammonius, quod nunquam de re aliqua interrogatus, quæ vel ad scripturam, vel ad actionem negociumque aliquod pertineret, statim responderit, sed dixerit. Nondum inueni quod respondeam. sæpe autem hoc quoque adiecit. Præteribant enim tres menses, & non dabat responsum, dicens. Nondum comprehendi. Tam consideratè quidem ex Deo dabat responsa, ut à Deo cum omni metu omnes acciperent. Dicebatur enim hanc virtutem etiam supra magnum Antonium, & super omnes sanctos exercuisse, nempe ut esset in loquendo accuratus & perfectus.

VITA ABBATIS PIOR,

XI. **F**ertur autem præter alia hæc quoque actio sancti Pambon, quod Pior qui se in vita exercebat monastica, ad eius cellam aliquando accedens, proprium panem detulit. Cum eum autem Pambon reprehendisset, dicens, Cur hoc fecisti? respondit Pior, Ne te grauarem. Itaque tacitus eum dimisit. Post aliquantum autem temporis accedens magnus Pambon ad cellam Pior, panem suum secum madefactum attulit. Ab eo autem rogatus quanam de causa panem attulisset madefactum, respondit Pambon. Ideo madefeci ne ego quoque te grauarem.

VITA ABBATIS AMMONII, ET
fratrum simul cum sororibus.

Ammonius, qui fuit magni Pambo discipulus, simul cum tribus fratribus & duabus sororibus, cum peruenissent ad summum pietatis ac religionis, venerunt in solitudinem, & seorsum fecerunt vtrunque monasterium, virorum, scilicet & mulierum, ita ut satis magnum intercederet spacium. Quoniam autem insigniter doctus erat virorum optimus Ammonius, quædam ciuitas desiderauit eum habere episcopum. Qui cum accessissent ad beatum Timotheum episcopum, rogarunt eum ut eis episcopum ordinaret Ammonium. Ille autem dicit, Adducite eum ad me, & ego eum vobis ordinabo. Cum ergo cum magno auxilio iuissent ad eum comprehendendum, is conuersus est in fugam. Cum vidisset autem se iam esse comprehensum, stans eos rogabat. Cum ij autem non parerent, iurauit senex se rem non suscipere, neque posse egredi è solitudine. Vbi autem non cedebant, ipsis videntibus, arrepto forfice sinistra aure sibi abscidit ad imum vsque, eis dicens. Nunc intelligite fieri non posse ut ego fiam quod me cogitis, cum lex prohibeat ne ad sacerdotium prouehatur is cui sunt aures amputatæ. Cum sic ergo eum dimisissent, recesserunt, & ad episcopum venientes hæc ei renunciarunt. Is autem eis dicit. Hæc lex in vsu sit apud Iudæos. Mihi autem si vel truncatum naribus adduxeritis qui sit bonis moribus, ego eum ordinabo. Eutes ergo eum rursus rogabant. Cum ipse autem non pareret, aggressi sunt

XII.

Monasteriū aliud virorum, aliud mulierum.

Renunciatus episcopatum Ammonius.

Importunè quæsitus sibi aurē amputat.

E ij

eum vel vi adducere. Is autem eis iuravit, dicens. Si me coëgeritis, etiam linguam meam excindam. Eo itaque post hæc dimisso, recesserunt. Huius Ammonij fertur hoc miraculum. Nunquam, inquit, turpis voluptatis carūculæ suæ insurrectio eius corpus inuasit: sed ferrum candens suis membris admonebat ad eum ut esset totus ulceratus. Eius autem mensa talis fuit à iuuentute vsque ad mortem. quòd crudis scilicet vesceretur. Nihil enim vnquam comedebat quod igni fuisset admotum præter panem. Vetus autem & nouum testamentum dicebat memoriter: & in doctorū virorum Athanasij & Basilij scriptis ita erat versatus, ut decies mille & sexcentos versus proferret: ut de eo ferunt testimonium magni quoque patres in solitudine. Huius autem feruntur etiam prophetiæ. Tantum autem valebat in consolandis fratribus qui erant in solitudine, quantum vllus alius. Hoc ei suo suffragio tribuebat Euagrius, qui erat vir discernendi vi præditus, se nullum hominem vidisse qui esset magis impatibilis, & alienus ab omnibus animi perturbationibus.

*Crudis
vesci.*

*Quanta
memoria.*

VITA ABBATIS BENIAMIN.

XIII.

IN hoc mōte Netriæ fuit vir admirabilis, qui vocabatur Benjamin qui rectè & ex virtute vitam egit annis octoginta. Qui cū summè virtutem exercuisset, dignatus fuit gratia curationum. ad eum ut cuicumque manus imposuisset, aut quod benedixerat oleū dedisset, quod laborabat, liberaretur ab omni ægritudine. Hic qui tanta gratia dignus fuerat habitus, octo mēsis ante obitū fuit hydropicus. & eius corpus vsque ad eum

*Oleo sacro
curatus mor-
bi.*

intumuit, ut propter dolores inueniretur alius Iob nostris temporibus. Cū nos autem assumpsisset Dioscorus episcopus, qui tunc erat presbyter montis Netriæ, me, inquam, & beatum Euagrius, dicit nobis. Adeste, videte nouū Iob qui in tanto corporis morbo & tanto tumore, immensam habet patientiā cum gratiarum actione. Accedentes ergo vidimus tantam molem eius corporis, ut paruū eius digitum non possemus complecti digitis duarum manuum. Cū autem morbi grauitatem non possemus fixis oculis intueri, nostros oculos auertebamus. Tunc dicit nobis beatus ille Benjamin. Orate fili ne meus internus homo sit hydropicus. Hoc enim corpus neque cū bene se haberet, mihi quidquam profuit, neque cum male, me læsit. Illis ergo octo mensibus factus est illi curus latissimus, in quo sedebat assidue, ut qui non posset in lecto accūbere, propter ea quæ sunt corpori necessaria. Cū autem laboraret hoc morbo immedicabili, medebatur aliis qui tenebantur quibusuis ægritudinibus. Necessarium itaque duxi morbum huius sancti exponere, ne nobis alienum videatur si viris iustis aliquis casus accidat. Egregio ergo illo viro mortuo, sublatum est limen ostij & postes, ut posset corpus ferri ex cella. Tanta erat moles corporis beati & inclyti patris Benjamin.

*Beniamin
hydropici
laborat.*

Iob patientia.

*Internus ho-
mo sanus.*

*Aeger aliis
medetur.*

VITA APOLLONII QUI CO-
gnominabatur ἀπὸ ἀρετῶν ἢ ἀπὸ
ἐστὶν, ἀ negotiatoribus.

Quidam Apollonius nomine ἀπὸ ἀρετῶν ἢ ἀπὸ ἐστὶν, id est, a negotiatoribus, cū mūdo renunciaffet, &

*Appolloni-
us medicū
se & phar-
macopolā
prestat fra-
tribus.*

montem Netriæ habitasset, & nec artem dicere posset, nec literas, quòd ætate esset prouectus: viginti annis quibus vixit in monte, hanc habuit exercitationem. Suis pecuniis & suis laboribus emens Alexandria vasa medica omne genus, vniuersæ fraternitati ea suppeditabat ad morbos. & licebat eum videre vsque ad horam nonam discurrentem obeundo monasteria, & ostium ingredientem, & visentem num quis decumberet. Portabat autem vnam passam, mala punica, oua, panem siligineum, & ea quibus opus habent ægroti. Hanc sibi conferentem inuenit vitæ rationem vsque ad senium Christi seruus. Qui cum esset moriturus, alteri sibi simili sua reliquit friuola, rogans eum vt idem obiret ministerium. Nam cum quinque milia monachorum illum montem habitent, tali quoque opus est curatione, quòd sit locus desertus.

VITA PÆESII ET ESAIÆ.

XV. &
XVI.

*Frater am-
bo solitu-
dinem spi-
rant.*

ALij Pæsius & Esaias nomine, fuerunt fratres pater mercatore, qui quidē cū pater eorū esset mortuus, diuiserūt facultates quas habebāt in mobilibus. in nummis quidem quinque milia, in vestibus autem & feruis quæ inuēta fuerāt. Ij inter se deliberarunt, & sibi consulentes, dicebant. Quòdnam vitæ iter ingrediemur, ô frater. Si exerceamus mercaturam quam pater noster exercuit, nos relinquemus aliis nostros labores: & forte incidemus in pericula vel latronum vel maris. Age ergo frater, vitam aggrediamur monasticam: vt & patris nostri lucremus facultates, & nostras animas non perdamus. Placuit ergo vtrifq;

scopus vitæ solitariae. Sed inuenti sunt alius in alio discrepantes. Cum itaque pecunias diuisissent, & reliqua omnia hunc quidem sibi scopū proposuerunt vt Deo placerent, sed diuerso vitæ instituto. Vnus enim omnia dispergens, dedit monasteriis & ecclesiis & custodiis, & cum artem didicisset ex qua sibi panem pararet, exercitationi operam dabat & orationi. Alter autem eius nihil disperfit, sed factō sibi monasterio, & paucis assumptis fratribus, quemlibet excipiebat hospitem, quemlibet curabat ægrotum, quemuis senem retinebat, cuius pauperi dabat. Sabbato & dominica, tres aut quatuor mensas statuens, eos qui erant egeni excipiebat. Hoc modo vitā suam consumpsit. Ambobus autem mortuis, diuersæ beatitudines vtrifque dabantur à fratribus, vt pote quòd essent inuenti ambo virtute perfecti. & aliis quidem placebat vita eius qui renunciauerat. aliis verò, ea quæ communicabat omnibus egentibus. Cum ergo inter fratres incidisset contentio, propter horum beatorum diuersum vitæ institutum, & maximè propter laudes diuersas, vadunt ad beatum Pambo, & ad eum referunt vt de hac re respondeat, volentes scire vtrā sit melior vitæ ratio. Is autem eis dicit, vtrique sunt perfecti apud Deum. Alter quidem functus est munere Abrahæ, qui omnes excipiebat. Alter verò suscepit firmissimum & constantissimum Zelum Eliæ prophetæ, vt Deo placeret. Et cū alij quidē ei dicerent, Quo modo fieri potest vt ex tuis pedib' hi sint æquales? vt qui exercitatorē præferrēt, & dicerent: Præceptū impleuit euāgelicum, vt qui omnia vendiderit &

*Vitæ diuer-
sum insti-
tutum.*

*Contentio
illis mor-
tuis, de bea-
titudine,
quæ à di-
uerso illo
instituto as-
secuti sint.*

*Quis me-
lior.*

dederit pauperibus, noctu & diu perseuerans in orationibus, crucem ferens & sequens Seruatorem: contra autem alij de altero cōtenderent, dicentes. Hic ex tuis pedibus, tot & talia viscera ostendit in omnes egentes, vt exiret & sederet in viis regiis, & qui erant afflicti colligeret & opem ferret. neque solum suam recreauit animam, sed etiam aliorum, ægrotos curās & eis dans auxilium: eis dicit beatus Pambo. Rursus vobis dicam. Ambo sunt apud Dominum. vnicuique autem vestrū de ijs satisfaciam. Hic si non vsque adeò se exercuisset, non fuisset dignus illud bonum consequi. Ille rursus qui recreabat ac reficiebat hospites, & egenis ministrabat, ostensus est Domino pro viribus æqualis. Ipse enim dixit. Ego non veni ministrari, sed ministrare. Hic ergo minister etsi videbatur habere onus ex labore, attamen ex ipso quoque habuit recreationem. Expectate autem vt à Deo quoque de his habeam reuelationem. & postea scietis cum veneritis. Intermissis ergo aliquot diebus redierunt, de his magnum illum rogantes. Senex autem respondit illis dicens. Apud Deum vidi vtrosque simul stantes in paradiso.

VITA MACARII IUNIORIS.

Macarius
iunior ca-
de facit in-
uoluntaria:
Vnde occa-
sione habuit
adeunde so-
litudinis.

Quidam ætate iunior, nomine Macarius, decem & octo annos natus, cum luderet cum suis æqualibus ad lacum qui dicitur Mariam, pascens pecora cædem fecit inuoluntariam. Is cum nemini hoc dixisset, venit in solitudinem, & eò processit metu & Dei & hominum,

hominum, vt non senserit se tribus annis mansisse sine tecto in solitudine. Est autē illa terra arida, idque sciūt omnes, tam qui auditione acceperunt, quam qui ex ipsa norunt experientia. Hic ipse Macarius sibi postea ædificauit cellulā: & cum in ea vixisset alios viginti & quinque annos, tanta gratia dignus est habitus, vt despueret dæmones solitudini insultantes. Ego cum eo versatus longo tempore, ab eo didici quomodo affecta esset eius ratio ob peccatū cædis. Dicebat autē tā tū abesse vt doleret, vt etiā gratias ageret de crimine cædis. Fuit enī cædes inuolūtaria mihi causa salutis. Dicebat autem, ex scripturis afferēs testimonium cædis quæ à magno Dei seruo Mose facta fuit in Aegypto, quòd nisi propter cædem & metum Pharaonis non dignus habitus fuisset Moses visione Domini, & tanto dono, & conscriptione sanctorum eloquiorum spiritus. Nam cum effugisset ex Aegypto, peruenit in montem Sina. Hæc autem dico non muniens viam ad cædem aliquam: sed potius ostendens esse etiam virtutes quæ oriuntur ex casu, quando non vult quis sua sponte ad bonum accedere. Ex virtutibus enim aliæ quidem sunt quæ ex volūtate & ex nostro animi instituto proficiscuntur: aliæ verò quæ ex casu nascuntur.

VITA ABBATIS NATHANAEL.

EX veteribus sanctis fuit quidam alius, optimus Christi athleta, nomine Nathanaël. Eum ego nō offendi in carne. Dormierat enim quindecim annis ante meum aduētum in montem. Cum autem in eos incidissem qui cum hoc sancto se exercuerant, & fue-

xviiij.

rant ei tempore æquales : de viri virtute lubenter
 sum eos sciscitatus . Mihi autem eius quoque cellam
 ostenderūt : in qua nullus adhuc habitat, quòd sit terræ
 habitatæ propinquior . Ille enim beatus tunc eam cõ-
 didit quando rari fuerunt anachoretæ . Narrarunt au-
 tem mihi egregiam eius exercitationē : nempe quòd
 tantam habuerit in cella tolerantiam, vt numquam di-
 motus sit à proposito . cùm ab initio fuisset illusus à
 dæmone qui omnes illudit, qui eum labi fecerat in so-
 cordiam & animi moerorem , & eum è cella exege-
 rat . visus est enim esse tristis & animo angi in prima
 cella . Illinc itaque recedens , ædificauit aliam pro-
 prius vicum . Postquam ergo perfecit cellam , & in
 ea habitauit tres vel quatuor menses , accedit noctu
 dæmon taurina pelle indutus sicut lictores , præ fe-
 ferens speciem militis pannos induentis , taurina
 pelle edens strepitus . Cui succensus, dixit beatus
 Nathanaël . Quis tu es qui hæc facis in meo hospi-
 rio? Dæmon autem respondit . Ego sum qui te ex tua
 prima cella exegi . & nunc veni vt te ex hac quoque
 fugem . Cùm ergo cognouisset beatus Nathanaël
 se fuisse illusum , reuersus est ad primam cellam : &
 spacio triginta septem annorum non est egressus ex-
 tra fores , contendens cum dæmone, qui tot & tan-
 ta ei fecerat vt eum cogeret è cella egredi , vt ne ea
 narrare quidem liceat . Atque inter cætera quidem
 hoc machinatus est bonorum inimicus , nempe vt
 eum probro ac dedecore afficeret ad eius abrum-
 pendum institutum . Cùm septem sancti episcopi san-
 ctum inuisissent, aut ex Dei prouidentia, aut ex sug-

*Taurina
 pelle indu-
 tus demon.*

*Contendens
 Nathanaël
 cū dæmone.*

*Septem e-
 piscopi in-
 uisunt Na-
 thanaëlem.*

gestione illius tentationis , cum propemodum de-
 turbauit à proposito . Cùm enim episcopi postquam
 eum inuississent , orassent, & post orationem exirent,
 ne gressum quidem vnum pedis eos comitatus est vir
 egregius , ne daret locum inimico bonorum . Ei ergo
 dicunt diaconi episcoporum . Superbè te geris, ô Ab-
 bas, qui non deducis episcopos . Is verò dicit eis . Ego
 & Dominos meos episcopos colo , & omnem clerū
 honoro . Sūmq̃ ego peccator omnium hominum
 peripsēma . his autem omnibus & toti vitæ , quod in
 me est proposito sum mortuus . Ego enim habeo sco-
 pum occultum , quem scit Dominus , qui nouit oc-
 culta mei cordis, cur eos non sum comitatus . Cùm er-
 go hic quoque actus non successisset dæmoni , rursus
 talem suscipit figurā . Nouem mensibus ante dormi-
 tionē athletæ, trāsformatus est in puerū duodecim an-
 nos natū, tanquā agentē asinum panē in sporta feren-
 tem . Qui puer cum sero vespere esset prope cellam,
 simulabat cecidisse asinum & se clamare . Abba Na-
 thanaël, miserere mei, & porrige mihi manum . Ille au-
 tem audiuit vtrique vocem pueri : & aperto ostio cel-
 læ, stans intus ei dicebat . Quis es , & quid vis tibi fa-
 ciam? Respondet Dæmon . Ego sum huius monachi
 minister : & fero panes . Quoniam est agape tui noti
 fratris : & cras illucescente sabbato opus est oblatio-
 nibus . Rogo ergo te ne me despicias , ne deuorer ab
 hiænis . Sunt enim hiænæ in his locis . Stans ergo mu-
 tus beatus Nathanaël, præ ingēti eius misericordia ca-
 ligabat conturbatus visceribus , & reputabat apud se
 quid faceret, dicēs . Aut futurū est vt trāsgridiar man-

*Dæmon in
 pueri fi-
 gura.*

*Agape
 Oblatio*

*Firmū Na-
thanaëlis
propositū.*

Confidētia.

datum, aut à meo proposito excidā. Postea pia apud se reputans cogitatione, dixit. Melius est ne labefactē tot annorum propositum ad ignominia afficiendum & vincendum diabolus. Cū itaque Dominum rogasset dicit puero qui cum eo loquebatur. Audi puer, aut quicumque sis. Credo in Deum quem colo, qui dominatur cuius spiritui, quòd si auxilio re vera egeas, Deus tibi mittet auxilium. & neque hyænæ, neque aliquid aliud tibi male faciet. Sin autem es tentatio, hoc quoque Deus mihi exhinc iam reuelabit, & clauso cellæ ostio est ingressus. Pudore autem affectus dæmon quòd sic quoque esset victus, resolutus est in turbinem, onagrísque exultantibus ac fugientibus & strepitum edentibus assimilatus, sic euauit. Hoc fuit certamen beati Nathanaël, & hæ sunt virtutes eius exercitationis, & pugna inuicta aduersus aduersarium.

*VITA ABBATIS MACARII AEGYPTII,
& Macarij Alexandrini.*

XIX. &
XX.

Psalm. 5.

*Distributio
eorum qui
Macarij
discipuli sunt.*

SANCTORŪ & IMMORTALIŪ PATRUM, MACARIJ AEGYPTIJ & MACARIJ ALEXANDRINI, EGREGIORŪ & INUICTORUM ATHLETARUM, HONESTÆ VITÆ CERTAMINA, QUÆ SUNT MULTA & MAGNA, & INCREDULIS PROPÈ INCREDIBILIA, & NARRARE Vereor, & SCRIPTIS MANDARE, NĒ FORTĒ MEI TANQUAM MENDACIS FIAT MENTIO. QUÒD AUTEM DEUS PERDAT OMNES QUI LOCUNTUR MENDACIUM, LICET APERTÈ VIDERE SANCTUM SPIRITUM PRONUNCIANTEM. Cū ERGO ERGO PER DEI GRATIÀ NON MENTIAR, HOMINUM FIDELISSIME LAUSE, NE SIS QUOQUE IPSE INCREDULUS PATRUM CERTAMINIBUS: SED GLORIARE POTIUS IN ÆMULATIONE EXERCITATIONIS

eorum qui verè sunt Macarij, hoc est beati. Atque primus quidem Christi athleta, nomine Macarius, erat genere Aegyptius. Secundus autem ætate, sed in iis quæ sunt monachorum præcipua primas partes obtinens, qui ipse quoque vocabatur Macarius, erat Alexandrinus qui vendebat bellaria. Et primū quidem narrabo virtutes Macarij Aegyptij, qui vixit nonaginta annos integros. Ex his in solitudine annos sexaginta. Cū triginta annos natus ascendisset, essetque ætate iunior, tam toleranter tulit labores exercitationis totū decennium, vt magna quadā & insigni dignus haberetur distinctione, adeò vt vocaretur *παρθαλειογέρον*, id est, in puerili ætate senex. quoniam citius quam pro ætate profecerat virtutibus. Cū esset quadraginta annos natus, & potestatem accepit contra spiritus, & gratiam curationum, & spiritum futurorū prædictionis. Dignus quoque est habitus honorando sacerdotio. Cum eo habitarunt duo discipuli in intima solitudine, quæ vocatur Scete. Ex quibus vnus quidem erat ei minister, qui semper prope ipsum inueniebatur, propter eos qui veniebant vt curarentur. Alter autem seorsum sedebat in cellam. Procedente autem tempore, cū sanctus perspicaci oculo præuidisset, dicit suo ministro Ioanni nomine, qui postea factus est presbyter in loco sancti Macarij. Presbyteratu enim dignus fuerat habitus magnus Macarius. Audi me frater Ioannes, & fer æquo animo meam admonitionem, eaque tibi proderit. Tentaris enim, inquit, & te tentat spiritus auaritiæ. Sic enim vidi: & scio quòd si meā æquo animo tuleris adhortationem, in Dei timore consum

*Sacerdotiū
inter mona-
chos homo-
randum.*

*Simonis.
4. Reg. 5:*

maberis & in eius opere, & laudaberis, & in tuum tabernaculum non appropinquabit flagellum. Quod si non audieris, in te veniet finis Giezi, cuius vitio laboras. Contigit autē vt sancto quidē non obedierit post eius mortē: sed obedierit ei qui iudæ alligauit laqueū propter auaritiam. & post alios quindecim aut viginti annos, cum bona pauperū sibi vsurpasset, ita laborauit elephantia, vt non inueniretur integer locus in eius corpore, in quo quis posset figere digitum. Hæc est prophetia sancti Macarij. Ac de cibo quidem & portione superuacaneum est dicere, cum nec apud iis forciore monachos qui sunt extrā, inueniri possit ingluuies, aut vlla citra delectum & discrimen viuendi ratio alia ab iis qui sunt in illis locis, cum propter inopiam rerum necessariorum, tum etiam propter zelum virorum qui est ex Deo, vno quoque contentente vincere proximum diuersis vitæ institutis. De alia autem exercitatione cœlestis huius viri, Macarij inquam: dicebatur hic sanctus esse assidue in ecstasi, & maiori tempore, vel cum Deo, vel in rebus versari cœlestibus. cuius etiā feruntur res diuersæ. Ægyptius quidam libidinosus, captus amore cuiusdam mulieris ingenuæ, quæ viro nupsit, cum non posset eam inescare propter pudicitiam & castitatem erga suum maritum Parthenicū: conuenit improbus præstigiator, dicens. Aut eam incita vt me amet: aut arte tua effice vt eius maritus eam dimittat. Cum ergo præstigiator satis ab eo accepisset, vsus est suis præstigiis & incantationibus. & cū non posset eius animū mouere vt ei assentiretur, efficit vt videretur equa iis qui eam

*Macarius
in ecstasi
frequente.*

*Quam vim
habeat li-
bidinis su-
ror, &
præstigia.*

intuebantur. Cum ergo foris venisset eius maritus, aspexit vxorē suam in forma equæ. cūque in suo lecto cubuisset, alienū ei videbatur quod in suo cubili equa iaceret. Flet ergo eius maritus, & lamentatur quod rem non inueniat: & quod existimans se alloqui bestiam, responsum non assequatur. præterquam quod solummodo eam videbat irasci. vnde magis angebatur animo, cum intelligeret eam esse suam vxorem, curiosis autem hominum artibus esse mutatam in equam. His de causis accersit vici presbyteros, & domum adducit, & eis eam ostendit. Sed nec ij cognouerunt calamitatem quæ eis acciderat. Tribus ergo diebus neque foenū comedit vt equa: neque panem, vt homo, vtroque alimento priuata. Tandem vt Deus glorificaretur, & videretur virtus sancti Macarij, ascendit in cor mariti eius ducere eam in solitudinem ad sanctum virum: & cum eam capistro ligasset vt equā duxit in solitudinē. Dum autē appropinquassent, steterunt fratres prope cellam sancti Macarij cū eius marito contententes, & dicentes. Cur huc adduxisti hanc equā? Is autem dicit, Vt misericordiā cōsequatur sancti oratione. Illi verò dicunt ad eum. Quid mali habet? Ille eis dicit. Quam videtis equam, ea misera est vxor mea. neque scio quemadmodum mutata sit in equam. & iam sunt tres dies ex quo nihil comedit. Ij atem cum hæc audiissent, referunt ad seruum Dei Macarium, eo iam intus pro illa orante. Ei enim Deus reuelauerat, ipsis ad eum venientibus. & ideo orabat vt sibi declararetur causa propter quam hoc euenerat. Respondit autem sanctus Macarius fratribus qui

*mulier præ-
stigiis ap-
paret vt
equa.*

*Reuelatur
Macario
cur id con-
tingerit.*

ei renunciauerant. Adduxitne aliquis huc equam? dicunt, ita. Is verò eis dicit. Equi vos estis, qui habetis equorum oculos. Illa enim est foemina ita vt est creata, non transformata, sed sic solum apparēs oculis eorum qui sunt decepti. Quæ cū esset adducta, aquamque benedixisset, & in eius nudum caput infudisset, super eius caput est precatus: statimque effecit vt omnibus videntibus videretur foemina. Cū autem iussisset ei cibum afferri fecit eam comedere. & eam sic curatam dimisit cum suo marito, Deo agentes gratias. Eam autem admonuit vir Dei, sic dicens. Nunquam ecclesiam deferas. nunquam abstineas à communione Christi sacramentorum. Hæc enim tibi acciderūt, quòd iam quinque hebdomadis non accessisti ad intermerata nostri Seruatoris sacramēta. Alia est actio magnæ ei⁹ exercitationis. Magno vitæ suæ tēpore à cella sua in dimidium vsque stadium fodiens cuniculum, summam effecit speluncam. etsi quando complures ei essent molesti, occultè è sua cella egrediens, ibat in speluncam, neque quisquam eum inueniebat. Narrauit autem nobis quidam ex studiosis eius discipulis, quòd recedens vsque ad speluncam per cuniculum, dicebat viginti quatuor orationes: & rediens, totidem. De eo exiit fama quòd mortuū suscitauit: vt persuaderet hæretico qui non confitebatur esse resurrectionē corporum. Et fuit constans hæc fama in solitudine, Ad hunc sanctum adductus est aliquando à matre propria lamentāte adolescens qui vexabatur à dæmone, à duobus adolescentibus ex vtraque parte constrictus. Hunc autem ita vexabat dæmon. Trium modiorum

panes

panes postquam comedisset, & calicem aquæ bibisset, vtraque eructans, cibos resoluebat in vaporē. Ab eo enim, non secus ac igne. consumebantur quæ comederat & biberat. Est enim ordo quoque dæmonū qui dicitur igneus. Sunt enim dæmonum quoque sicut hominum differentia, non mutata essentia, verum mente diuersa. Hic ergo adolescens cū ei mater nō suppeditaret, sæpe sua comedebat excrementa, & lotium bibebat. Flente ergo eius matre, & alienam sui filij merente calamitatem, & sanctum valde obtestante & rogante, illum accipiens inuictus Christi athleta Macarius, supplex pro eo Deum orauit. Post vnum autem aut alterum diem, remisit dæmon vexationem. Tunc ergo dicit matri adolescentis Dominus Macarius. Quantum vis vt filius tuus comedat? Illa autem respondit, dicens. Rogo te iube eum solum comedere decem libras. Eam autem increpans vt quæ nimium dixerat, dixit. O mulier, cur hoc dixisti? Cūque septem dies orasset cum ieiunio, expulso ab eo pernicioso dæmone ingluuiei, constituit ei viuendi rationem ad tres vsque libras panis, quas deberet ipse comederet si operaretur. Cū hoc modo Dei gratia puerum emundasset, eum matri reddidit. Has res admirabiles & præter opinionem fecit Deus per sanctum Macarium. Eum ego non cōueni. dormierat enim anno antè quam ego ingrederer in solitudinē. Conueni autē eum qui erat eius socius in fidei operibus, & idem venerabile nomen quod ipse habebat. Dico autem sanctum Macarium Alexandrinum, qui erat presbiter earum quæ dicuntur cellarum.

G

Cibi resoluuntur in vaporem dæmonis virtute.

Dæmonum differentia eadem essentia.

Viuendi ratio.

A quo ista didicere Palladius.

Aqua benedicta.

Sacramenta accipere frequenter bonum est.

24. orationes.

Aliud miraculum.

*Non concu-
piscendū.**Deut. 7.**Diabolus
aggreditur
Macarium
in solitudi-
ne.
Alludit ad
tentationē
Christi.*

In quibus cellis ego nouem annos habitans, ex quibus tres annos mecum vixit ille Macarius, in quiete sedens, eius quidem optimæ viuendi rationis alia quidem vidi opera & signa: alia verò didici ab iis qui cum eo vixerunt. Is cum apud magnum virum & patrem Antonium electos palmæ ramos vidisset, quos ipse laborauerat, petiit ab eo vnum manipulum ramorū palmæ. Dixit autem ei Antonius. Scriptum est. Non concupisces res proximi tui. Et cum id solum dixisset, rami omnes statim tanquam ab igne torrefacti sunt. Quod quidem cum vidisset Antonius, dixit Macario. Ecce spiritus sanctus requieuit super te: erisque mihi deinceps hæres mearum virtutum. Hinc rursus eum inuenit diabolus in solitudine, corpore valde defatigato, & dicit ad eum. Ecce accepisti gratiam Antonij: cur non vteris auctoritate, & à Deo petis cibum, & vires ad iter ingrediendum? Is autem dicit ad eum. Virtus mea, & laus mea Dominus. Tu autem ne tentaueris seruum Dei. Facit ergo diabolus vt ei phantasma appareat, camelus onera baiulans & errans per solitudinem, habens omnia ad vsum necessaria. Qui cum vidisset Macarium, prope eum assedit. Is autem suspicatus esse phantasma, sicut erat, constitit ad orandum. Is verò protinus à terra fuit absorptus. Aliquando rursus venit hic Macarius Alexandrinus ad magnum Macarium qui erat in Scete. & cum ambo essent Nilum transmissuri, accidit vt ipsi maximum Pontonem ingrederentur: in quem ingressi sunt duo tribuni cum magno fastu & apparatu, vt qui intus haberent rhedam totam æneam, & equos frenis

aureis, & quosdam eos stipantes milites satellites, & pueros torquibus & aureis zonis ornatos. Post quã ergo Tribuni viderunt ipsos veteribus pannis indutos, & sedentes in angulo: humilem illam & tenuem viuendi rationem beatam iudicabant. vnus autem ex ipsis Tribunis, dixit ad ipsos. Beati estis vos qui mundum illuditis. Respondens autem Macarius qui erat urbanus, dixit eis. Nos quidem mundum illudimus: vos autem illuditis mundum. Scias autem te non tua spon te hoc dixisse, sed propheticè. Ambo enim vocamur Macarij, hoc est, beati. Is autem eius sermone compunctus cum domum venisset, vestes exuens, delegit vitam agere solitariam, multas faciens eleemosynas. Rursus cum aliquando cupiisset vesci vuis recentibus perbellisque ad se missis, ostendens continentiam, eas misit ad alium fratrem laborantem, qui ipse quoque vvas desiderabat. Qui cum eas accepisset, & magna affectus esset lætitia, suam celare volens continentiam, eas misit ad alium fratrem laborantem, qui ipse quoque eum cibum appeteret. Cum ille quoque accepisset, rursus hoc ipsum fecit, etsi ipse valde vesci cuperet. Postquam autem ad multos fratres deinde venerunt vvas, cum nullus eis vesci voluisset, postremus qui eas acceperat, eas rursus misit ad Macarium, tanquam magnum ei donum largiens. Qui cum rem curiosè inquisiisset, admiratus, & Deo actis gratiis ob tantam eorum continentiam, ne ipse quidem ex iis tandem comedit. Atque hæc quidem est magni Macarij exercitatio, quam ego & multi accuratè apud ipsum didicimus. Si quod opus exercitationis ali-

*Beata: inuen-
di ratio in
vilibus pan-
nis.**Mundus il-
luditur.**Domita ei
bi concupi-
scentia.*

Quadragesima.

quem vnquam fecisse audiit, omnino id ardentè effecit. Cùm ab aliquibus audiisset Tabennesiotas per totam quadragesimam nulla re vesci quæ igni esset admota, statuit hic sanctus septem annis nihil comedere quod per ignem transisset: & toto illo septennio nihil gustauit præter cruda olera vel legumina humectata. Cùm hoc ergo rectè gessisset, aspernatus est hanc viuendi rationem. Audiit autem ab aliquo alio hic monachorum optimus, quòd quidam monachus comedat libram panis. Quem æmulatus, fregit quòd habebat buccellatū, & immisit in lagenam, statuens solum modo tantum comedere, quātum manus eius sursum ferret. Magna est autem hæc in tractando corpore asperitas. Festiuè enim nobis narrabat. Plura quidem frustra apprehendebam: sed non sinebar efferre ob angustiam foraminis. Publicanus enim mihi non permittebat omnino vesci. Totos ergo tres annos hanc exercuit continētia, quatuor vel quinque uncias comedens, & aquā quæ eis respōderet. Olei autem sextariū toto anno consumebat in alimentū. Alia athletæ exercitatio. Statuit indomitus hic vir somnum superare. Etenim vtilitatis gratia hoc ipse narrauit. Totis viginti diebus & noctibus non sum tectum ingressus, vt somnum vincerem. cùm interdiu quidē æstu arderem, noctu verò algore rigerem. Quòd nisi, inqueibat, tectum citius essem ingressus, & somno vsus essem, ita mihi erat arefactum cerebrum, vt deinceps ageret in ecstasim. & quod ad me quidē attinet, vici somnū, quod autem ad naturam opus habentem, ei cessi. Ei aliquando molestiam exhibuit spiritus fornicationis:

Somnum superare.

& tunc condemnauit seipsum federe nudum sex menses in palude Scetes, quæ est in vasta solitudine, in qua possunt culices vel fauciare pelles aprorū, vt qui sint æquè magni vt vespæ, adeò vt in toto eius corpore infixerint aculeos: vt nōnulli existimauerint eū esse leprosum. Reuersus ego in suam cellulam post sex menses, ex voce cognitum est eum esse Dominum Macarium. Is cupiit aliquando, vt ipse nobis narrauit, quod in ortis erat, ingredi monimentum quod dicitur *καπποτάριον*, Ianne & Iambre, magorum qui erant tempore Pharaonis, vt id videret, vel etiam vt conueniret eos qui illic sunt dæmones. Dicebatur enim plurimos, eosque ferocissimos, in eo loco ab illis collocatos esse dæmones per infamis artis eorum excellentiā. Hoc autem monimētum factum est à Ianne & Iambre fratribus, qui propter Magicæ artis excellentiam primas patres habebant illo tempore apud Pharaonem. Vt qui ergo illo vitæ suæ tempore maximam in Aegypto haberent potestatem, construxerunt illud opus ex lapidibus quatuor pedum magnitudine: & suum illic fecerunt monumentum: & cùm multum illic auri deposuissent, & omne genus arbores plantassent, maximū quoque puteum aquæ foderunt. est enim locus qui cedit facile. Hæc autem omnia fecerunt, sperantes post suum hinc discessum, frui deliciis in illo paradiso. Tandem ergo quoniam nesciebat viam quæ ad eum ducit ortum, Dei seruus Macarius, coniectura quadā sequebatur astra: & sicut Nautæ qui transmittunt maria, totam peruasit sanctus solitudinē. & cùm aliquot etiam accepisset arundines, vnam statuit in vno quoque mil-

σπονδυλοῖς.

Monimentum Ianne & Iambre. καπποτάριον. in orto sepulchrum.

liari, vt per eam rediret. Cùm ergo intra nouem dies totam illam peruasisset solitudinem, & esset prope illum ortum, succedente nocte parum dormiit. Immanis verò dæmon qui semper aduersatur Christi athleticis, cum collegisset omnes illas arundines dormiente Macario, & circiter ad vnum lapidem à monumento ad eius caput posuisset, recessit. Postquam ergo surrexit, inuenit colligatas arundines quas ipse fixerat signi causa. Fortasse autem hoc quoque fuit Dei permissio ad maiorem eius exercitationem, vt non speraret in arūdinibus, sed in Dei gratia, quæ per columnam nubis deduxit Israël quadraginta annis in terribili illa solitudine. Dicebat autē Macarius. Cùm ppius accessi ad illud monimētum, ex eo egressi mihi occurrerunt ad septuaginta dæmones variis formis præditi. alij quidem clamantes: alij verò exiliētes: alij verò cū magno fremitu in me stridentes dentibus. Alij verò tanquam corui volantes, audebant meo vultui insultare, dicentes. Quid vis Macari, tentatio monachorum? Quid ad nos accessisti? An non nos quoque aliquem ex monachis vexauimus? Que nostra sunt, tu cum tuis similibus illic habes, nempe solitudinem. & illinc nostros cognatos fugauistis. Nihil est nobis tecum commune. Quid loca nostra inuadis? Tanquam Anachoreta, contentus esto solitudine. Qui hunc locum ædificarunt, eum nobis assignarunt. non potes hic manere. Quid quæris ingredi in hanc possessionem, in quam nullus ex viuis hominibus est ingressus, ex quo fratribus qui hoc cōdiderunt sunt à nobis hic factæ exequiæ. Et cùm multa

*Variæ de-
monum ap-
paritiones.*

adhuc facerent & insultarent dæmones, dixit eis sanctus Macarius, In grediar tantum, & videbo, & hinc recedam. Dixerunt autem dæmones. Hoc nobis promitte in tua conscientia. Dicit autem Christi seruus, Hoc faciam. Dæmones autem euauerunt. Ingrediente autem eo in paradysum, ei occurrit diabolus cum stricta romphea, ei minitans. Ad quem hanc vocem respondit sanctus Macarius. Tu venis ad me in stricta romphæa: & ego contra te ingrediar in nomine Domini Sabaoth, in acie Dei Israël. Ingressus autem contemplatus sum omnia. In quibus inueni etiam cadum æneum, catena ferrea pendentem ex puteo, iam tempore consumptum. & fructum malorum punicorum quæ nihil intus habebant. fuerant enim arefacta à sole. & plurima aurea donaria. Cùm sanctus ergo illinc recessisset absque tumultu & citra vllam perturbationem, reuersus est per viginti dies in suam cellam. Cum autē defecissent panes & aqua quam portabat, in magna erat afflictione. Viginti enim diebus ingrediens per solitudinem, vt existimo nihil omnino gustauit, vt etiam res ostendit. Fortasse autem tentabatur quoque intolerantia. Et cùm iam parum abesset quin collaberetur, visa est ei quædã puellæ speciem præ se ferens, vt ipse narrabat, mūda linea veste induta, & tenens vrnā aqua stillantē. quā dicebat Macarius abfuisse ab eo circiter vnū stadium. Qui tres dies ingressus est eā vidēs cū vrna tanquā stantē, & eum prouocantē, non valentē eam assequi: spe autē bibendi, trium dierum laborē fortiter sustinuit. Postquam apparuit multitudo bufalarum, ex

*Iurat Ma-
cariu de
monibus.*

*Descriptio
sepulchri
magorum.*

*Tentatur
esuriens.*

*Lactatur
Macarius
à bufala.*

quibus vna stetit ex aduerso eius habens vitulum. sunt enim multæ in illis locis. & vt dicebat nobis Macarius, vber eius lacte fluebat. & desuper sonuit vox ei dicens. Macari accede ad bufalam, & lactare. Cùm ergo, inquit, ad eam accessissem & lactatus essem, mihi suffecit. Vt autem maiorem gratiam ostenderet Dominus, docens meam paruitatem, iubet bufalam me sequi vsque ad cellam. Illa verò parès iussui secuta est, me quidem lactans, suum autem nolens vitulum. Aliquando rursus cùm puteū foderet hic vir virtute præditus, ad recreandos Monachos: is autem erat prope folia & sarmenta illic posita: morsus est ab aspidem: est autem venenatū & exitiosum animal: aspidem apprehendens sanctus ambabus manibus, eam discerpit, dicens. Cùm te non misisset Deus meus, quomodo ad me ausus es accedere? Cùm ipse rursus magnus audiisset Macarius, quòd haberet præclarum vitæ institutū Tabennesiotæ, veste mutata, & assumpto mundano habitu operarij, spacio quindecim dierum peruenit Thebaidem, ingressus per solitudinem. Et cùm venisset in monasterium Tabennesiotarū, quæsiit eorum Archimandritam, nomine Pachomium, virum probatissimum, & qui gratiam habebat propheticā. Cui quidem sancto tunc reuelatus fuerat magnus Macarius. Cùm ergo eum cōuenisset, dicit ei Macarius. Oro te, suscipe me quæso in tuū monasteriū, vt fiam monachus. Dicit ei magnus Pachomius. Non potes deinceps fieri monachus qui scis tam prouectus ætate. nō potes te exercere. Sūt fratres qui se exercent à iuuentute, & laborem tolerant. Tu autem in hac æta-

*Aspidis
morsus non
obfuit Ma-
cario.*

*Macarius
explorat au-
stertatē mo-
nachorum
Tabennesio-
tarum.*

te non

te non potes ferre tentationes. offenderis, & exhibis, & nobis maledices. Neque eum accepit, nec primo die, nec secundo vsque ad septem dies. Ille verò fuit constans, manens ieiunus. Postea autem dicit ei senex Macarius. Suscipe me Abbas. & nisi ieiunauero, & fecero ea quæ ipsi opera, iube me eiici ex monasterio: Persuadet fratribus magnus Pachomius vt eum admittant. Est autē vnus monasterij conuentus, mille quadringenti viri vsque in hodiernum diem. Ingressus est ergo. Cùm autem præterisset aliquantum temporis, aduenit quadragesima. & vidit senex Macarius vnumquenque suscepisse diuersas viuendi rationes. alium quidem comedere vespere, alium verò post duos dies: alium post quinque: alium stare per totam noctem, interdium verò federe ad opus. Ipse autem cùm aliquot palmæ ramos sibi madefecisset, stetit in vno angulo. & donec quadraginta dies impleti essent, & aduenisset pascha, non sumpsit panem, non aquā. non genu flexit. non fedit. non accubuit. nihil aliud gustauit præter pauca cruda crambes folia, quæ sumebat die dominico, vt videretur comedere, & non incideret in arrogantem de se persuasionē. & si quando egrediebatur ad aliquid necessarium, cito rursus ingrediens, stabat ad opus, os non aperiens, sed stans silentio, nihil aliud faciens præterquam silentium in corde exercens, & faciens orationem, & ramos palmæ operans quos habebat in manibus. Cùm autem hæc vidissent omnes exercitatores illius Monasterij, seditionem excitarunt aduersus suum præfectum. Vndenam nobis adduxisti hunc hominem sine carne ad

*Quadrage-
sima.*

*Ieiunia
portentosa.*

H

*Pachomius
agnoscit ma-
carium re-
uelatione.*

*Fervens vi-
te Angeli-
ca & con-
templatio-
nis deside-
rium.*

*Quibus ar-
gumentis
mentem in
coelestia eri-
geret.*

nostri condemnationem? Aut eum hinc eiice, aut, vt scias, nos omnes hinc recedimus. Cùm hæc autē à fratribus audiisset magnus Pachomius, de eo est sciscitatus. Et cū didicisset eius vitæ agendæ rationē, Deum rogauit vt ei reuelaretur quisnam sit. Reuelatum est autem ei eum esse Macarium monachum. Tunc ei manum prehendit magnus Pachomius, & eum foras educit. & cum eum deduxisset in domum oratorij vbi est ara, & esset amplexus, ei dicit. Ades dum venerande senex. Tu es Macarius, & me id celasti. Multis ab hinc annis cupij te videre cū de te audirem. Ago tibi gratias, quòd filios meos subegeris, ne se iactent & magnifice circumspiciant propter suam exercitationem. Rogo ergo te, recede in locum tuum. Nos enim satis ædificasti. & ora pro nobis. Tunc ab ipso rogatus, & eum omnibus fratribus orantibus, sic recessit. Aliquando rursus narrauit nobis hic vir impatibilis: Quando rectè gessissem omnem vitæ monasticæ agendæ rationem, tunc veni ad aliud spirituale desiderium. Statui enim quinque dies solum mentem meam ita componere vt à Deo auelli non posset, & nihil aliud omnino cogitaret. & cum id apud me statuissem, clausi meam cellam & aulam extrinsecus, vt nulli darem responsum. Et steti incipiens à secunda, & menti præcipiens, & ei dicens. Vide ne descendas de coelis. Habes Angelos, Archangelos, omnes supernas potestates, Cherubim & Seraphim. Deum horum omnium effectorem. Illic versare: ne sub coelos descenderis. ne incideris in mundanas cogitationes. Cùm duos autem, inquit, dies & duas no-

ctes perseuerassem, ita irritaui dæmonem, vt ipse fieret flamma ignis, & combureret omnia quæ habebam in cella, adeò vt etiam storea supra quam stabam igne arderet, & sic me quoque existimarem totum conflagrare. Tandem timore affectus tertio die destiti ab hoc proposito: cū non possem amplius mentem meam tenere indiuisam: sed descendi ad huius mundi contemplationem. Deo fortasse permittente, ne hoc mihi reputaretur in superbiam. Ego ad eum accessi aliquando: & inueni extra eius cellam iacentem quendam vici presbyterum, cuius caput ita erat exesum à morbo qui dicitur cancer, vt etiam ipsum os totum appareret in vertice. Is accessit ad ipsum vt curaretur: nec eū admittebat ad colloquium. Rogauit autem eum, dicens. Miserere huius miseri: & saltem da ei responsum. Is vero mihi respondit, dicens. Est indignus qui curetur. amandata est enim eius disciplina. Quòd si velis eum curari persuade ei vt deinceps abstineat à ministerio sanctorum sacramentorum. Ego autem ei dico, Quamobrem quæso: is verò dicit: Fornicans sacrum peregit ministeriū, & ideo castigatur. Nunc ergo si metu desistat ab eo quod ausus est facere per contemptum, Deus ipsum curabit. Postquam ergo dixi ei qui affligebatur, iureiurando est pollicitus se non amplius sacrificaturum. Tunc eum accepit, & dixit ei. Credisne esse Deum quem nihil latet? Respondet ille. Maxime. rogo te. Deinde ei dicit Macarius. Non potuisti Deū illudere. Dicit ille, Non potui domine mi. Dicit ei Macarius. Si agnoscis tuum peccatum, & Dei disciplinam

*Presbyter
cancro labo-
rans cura-
tur.*

*Sacramen-
torū admi-
nistrations
indigni.*

Sacrificare

*Confessio
peccati, &
votum.*

*Diuerse cel-
le Macarij.*

*Quadrage-
sima.*

*Curatio in-
firmorum.*

*Mulier cu-
ratur à pa-
ralysi.
Oleum san-
ctum.*

*Puer damo-
niacus mi-
rabiler sa-
natur.*

*Olei & a-
quæ virtus
abstinentiæ
à carnibus*

propter quam hæc subiisti, corrigitor in posterum. Qui confessus est peccatum, & spondit se non amplius peccaturum, neque altari ministraturum, sed for-
tem laicam amplexurum. Deinde sic sanctus ei ma-
nus imposuit: & paucis diebus fuit curatus: capillique
ei creuerunt: & sanus domum rediit Deum glorifi-
cans: egit autem magno quoque Macario gratias. Hic
sanctus habebat diuersas cellas. Vnã quidem in Scete
quæ est interior in solitudine: & vnã in Liba: & vnã
in celliis: & vnã in monte Netriæ. Et aliæ quidem
carebant ostio, in quibus dicebatur sede in quadrage-
sima in tenebris. alia autem erat angustior, in qua non
poterat pedem extendere. alia autē latior, in qua con-
ueniebat eos qui ad ipsum ventitabant. Hic curauit
tantam multitudinem eorum qui vexabantur à dæmo-
nibus, vt ea non cadat in numerum. Cùm nos autem
illic essemus, virgo nobilis deducta est ad eū è The-
salonica, quæ multis annis laborarat paralysi. Hanc
viginti diebus vngens oleo sancto suis manibus, & o-
rans, sanam remisit in suam ciuitatem. Quæ cùm re-
cessisset, ad eum copiosam misit oblationem. Me au-
tem præsentem, adductus est ad eum puer qui vexaba-
tur à spiritu. Ei autem manum imponens in capite, &
alteram supra cor, tandiu orauit donec fecisset ipsum
pendere ab aëre. Tanquam vter ergo puer inflatus,
adeò intumuit, vt esset maximi ponderis. & cùm re-
pente exclamasset, per omnes sensus aquam emisit. &
cùm rursus desisset, rediit ad eam in qua prius erat
mensuram. & tradidit eum patri, cùm vnxisset oleo
sancto: & cùm aquam infudisset, præcepit ne quadra-

ginta diebus carnes tangeret, nec vinum. & sic eum cu-
rauit. Eum aliquando subierunt cogitationes vanæ glo-
riæ, quæ eum è cella eiiciebant, & suggerebant vt ho-
nesto consilio & iusta de causa Romam veniret pro
beneficio eorum qui ægrotabant. valde enim in eum
operabatur gratia aduersus spiritus. Postquam autem
longo tempore non obediit, valde agitabatur. Cadēs
verò in limine cellæ, foras pedes emisit, & dicit. Tra-
hite & vellite ô dæmones. Ego enim non abeo meis
pedibus. iurans fore vt iaceat vsque ad vesperam. &
nisi eum excutiant, non esse auditurum. Cùm autem
diu procubuisset, surrexit. Cùm nox autem aduentas-
set, ei rursus exhibere negocium. & cùm duorū mo-
diorum sportam impleffet arena, & imposuisset hume-
ris, peruadebat totam solitudinem. Huic occurrit
Theosebius Cosmetor genere Antiochenus, & ei di-
cit. Quid portas Abba? Cede mihi onus, & ne vexeris.
Ille autē dixit, Vexo eum qui me vexat. nam cùm
sit remissus & ignauus, suggerit mihi peregrinationes.
Cùm autem diu permouisset, ingressus est cellam
contrito corpore. Narrauit autem nobis Dei quoque
seruus Paphnutius, præclari huius sancti discipulus,
quòd cùm quodam die sederet in aula sanctus Ma-
carius, & Deum alloqueretur, hyæna acceptum suum
catulum qui erat cæcus, attulit ad sanctum Macarium:
& cùm capite pulsalet ostiū aulæ, ingressa est, eo ad-
huc sedente, & proiecit catulum ad eius pedes. Cùm
autem accepisset catulum sanctus Macarius, & spui-
set in eius oculos, orauit, & statim vidit. & cùm ma-
ter eum lactasset & accepisset, ita exiit. Die autem se-

*Miro onere
se affligit
Macarius.*

*Paphnuti-
us Macarij
discipulus.*

*Macarius
spuo illu-
minat cæ-
cum hyæ-
næ catulū.*

*Hyæna pre-
miū adfert
Macario.*

*Adiuratur
hyæna.*

*Etiā feræ
sanctos a-
gnoscent.*

*Humi non
spuit Maca-
rius.*

*Quæ forma
fuerit Ma-
carij.*

quenti pellem magnæ ouis attulit ad sanctum Macarium. & cum sanctus vidisset pellem, hæc dixit hyæna. Vndenam hanc habuisses, nisi ouem alicuius deuorasses? Quod ergo proficiscitur ab iniuria, ego à te non accipio. Hyæna autem humi inclinato capite, genu flectebat ad pedes sancti, & ponebat pellem. Ipse autem ei dicebat. Dixi me non accepturum, nisi iuraueris te nõ amplius offensuram pauperes comedendo eorum oues. Illa verò ad hoc quoque capite suo annuit, vt quæ sancto assentiretur Macario. Tunc accepit pellem ab hyæna. Beata autem Christi ancilla Melana dixit mihi se illam pellem accepisse à Macario illo, quod appellabatur munus hyænae. Quid verò mirum est apud viros mundo crucifixos, si hyæna beneficio affecta, ad Dei gloriam & honorem seruorum eius, id sentiens ad eum munera attulerit? Nam qui in Daniele Propheta mansuefecit leones, huic quoque hyænae largitus est intelligentiam. De eo autem dictum est, quòd ex quo fuit baptizatus, humi non spuerit, cum essent sexaginta anni ex quo fuerat baptizatus. Forma autem eius erat huiusmodi. Oportet enim me quoque tibi hoc significare, Christi serue, vt qui hoc sciam optime, cum mea paruitas ei fuerit tempore æqualis. Erat autem eius forma satis minuta ac mutila & rara, pilos solum habens in labro. Quinetiam in suprema parte genæ habebat paucos. Nam propter ingentes labores exercitationes, ne pili quidem ei enati sunt in genis. Ad huc sanctum Macarium cum quodam die venissem, & essem animo valde anxius, dico illi: Abba Macari, Quid

faciam, quoniam me affligunt cogitationes, mihi dicentes. Nihil facis. recede hinc. Responder mihi dicens sanctus pater Macarius. Dic tuis cogitationibus. Propter Christum custodio parietes. Hæc o studio se & amatissime Christi serue, ex multis & magnis signis & certaminibus incliti & virtute præditi Macarij significauit. Hic Macarius nobis narrauit. erat enim presbyter, se obseruasse tempore cõmunionis Christi sacramentorũ, se Marco exercitatori nunquam dedisse oblationẽ, sed ei Angelum dedisse ex ara: solum autem se vidisse digitum manus eius qui dabat.

VITA ABBATIS MARCI.

Cum esset autem hic Marcus iunior, dicebat memoriter vetus & nouum testamentum, eratque insigniter mitis, & summè temperans. Quodam ergo die cum fatis ocij haberem in cella mea, in extrema iam eius senectute ad eum venio, & ostio eius cellæ affideo. Quem ego, vt pote, qui essem adhuc rudis, existimabam esse supra hominẽ, sicut erat: & auscultabam quidnam diceret vel faceret. Is autem intus solus, cum iam centum annos transegisset, & dentes amisisset, secum pugnabat, & cum diabolo, & dicebat. Quid vis deinceps *κακόγυρε*, id est, male senex. Ecce iã & vinum bibisti, & oleum tetigisti. Quid vis deinceps *πολίφαγε*, id est, vorax in canicie, & *κοιλόδουλε*, id est, ventri seruiens, probro & cõtumelia te ipsum afficiens? Et diabolo dicens, Recede à me diabole, cõfenuisti mecũ in dissensionibus. Iniecisti mihi imbecillitatẽ corporis. Fecisti me bibere vinũ, & sumere oleũ,

*Palladius
cõsultat Ma-
carium.*

*Marcus He-
remita Eu-
charistiã ab
Angelo ac-
cipit.*

*XXI.
Quæ vir-
tutes Marcii*

*Marcus iã
copularis
senex & se-
cum & cõ
diabolo di-
sputat.*

me reddens voluptarium. Adhuc ne tibi aliquid debeo? Apud me nihil inuenis quod velis diripere. Recede à me deinceps inimice hominum. Ac veluti se prouocans & irritans, secum loquebatur, dicendo. Ades dum ô nugator, in canicie vorator, & helluo in senectute. Quandiu ero tecum!

VITA ABBATIS MOSIS,
qui fuit ex latronibus.

Mira hominis ad deum ex summa miseria conuersio.

FVit quidam Moses nomine, Æthiops genere, niger, seruus cuiusdam qui gerebat rempublicam. quem propter morum improbitatem & latrocinij crimen proiecit eius Dominus. Dicebatur enim etiam vsque ad cædes progredi: cogor enim dicere facta eius improbitatis, vt postea ostendam virtutem eius pœnitentiæ. Narrarunt ergo aliqui eum fuisse præfectum magnæ cateruæ latronum. Cuius inter cætera latrocinandi opera, hoc quoque fertur, quòd infesto & vindictæ cupido animo erat in pastorem, qui ne rem aliquam effectam redderet, ei fuerat impedimento, dum cum canibus gregis noctu abiret. Quem cum vellet occidere, obibat locum in quo eius oues habebant stationem. Ei autem significatum est ipsum esse trans Nilum. & cum fluius illo tempore inundaret, & plus quàm mille passus pateret latitudine, ensen tenens mordicus, & tunicam qua erat indutus imponens suo capiti, natando sic transmisit fluium. Dum autem tranaret, potuit pastor se abscondere alicubi infodiens. Cum ergo Mosis cœptum non successisset, occisis quatuor egregijs arietibus, & catena alligatis, Nilum rursus tranauit: & cum in paruam quandam

Qua fuerit conuersio occassio.

dam villam venisset, excorauit arietes: & cum quæ erant carnis optima comedisset, & pelles pro vino venum dedisset: cum scitia octodecim ebibisset, illic ad quinquaginta lapides est profectus, vbi habebat collegium. Hic princeps latronum sero tandem casualiquo qui ei acciderat compunctus, tradidit se ipsum monasterio: & ad tantam processit pœnitentiam quantam res ipsæ indicarunt. Inter cætera autem dicitur, quòd cum quatuor latrones in eum in cella sedentem irruissent, ignorantes eum esse Mossem, beatus Moses eos tanquam saccum paleæ ligatos, & humeris imposuit, & ad fratrum portauit ecclesiam, dicens. Quoniam non licet mihi alicui facere iniuriam, inueni autem eos me aggressos, quid de iis iubetis fieri? Hoc modo autem comprehensi à sancto Mose, Deo confessi sunt. Et cum cognouissent eum esse Mossem, qui fuit aliquando insignis princeps latronum, Christum eo nomine glorificantes, illi quoque mundo renunciarunt propter eius pœnitentiam, & euaserunt monachi probatissimi. sic cogitantes. Si hic qui tantum valebat viribus, latrocinia parui faciens, sic Deum timet: quid nos adhuc nostram salutem differimus? Beatum autem Mossem (sic enim oportet eum vocare) deinceps adhorti sunt dæmones, ad fornicatoriæ intemperantiæ impellentes eum consuetudinem: qui vsque adeò ab ipsis fuit tentatus, sicut ipse narrauit, vt parum abfuerit quin eum ab instituto dimouerent. Cum autem accessisset ad magnum Isidorum, qui sedebat in Scete, tertio ad eum retulit de bello fornicationis. Cui respondit sanctus: Ne con-

*οὐκ ἔτιον ἀβ
Επιφάνια
vocatur Σα
νιες. quæ di
cit continere
sextarios
viginiduos*

*In Mossem &
latrone mo
nachum la
trones irru
unt, quod il
le simul al
ligat.*

*Tentatur Mo
ses ad for
nicationem.*

*Consultat
Isidorum.*

Quid faciendum contra fornicationis spiritum.

turberis ô frater. sunt principia: & ideo te vehementius inuaserunt, priorem requireres consuetudinem. Sicut enim canis cum assueuerit in macello ossa rodere, non recedit à consuetudine. sed si fuerit clausum macellum, & nemo ei dederit, fame enectus non amplius accedit. Sic tu quoque, si permanferis in tuæ continentia exercitatione, mortificans membra tua, quæ sunt supra terram, & excludens ab ingressu in gluuem quæ parit intemperantiã, ægre ferens dæmon, vt qui cibos non habeat qui accendant, à te recedet. Cum ergo secessisset Christi seruus Moses, & ab illa hora seipsum inclusisset in cella, maxima in omnibus exercebatur. tolerantia, maximè autè in abstinentia à cibis. vt qui nihil aliud sumeret præter panis sicci uncias XII. plurimum operans, & quinquaginta orationes quotidie peragens. Porro autè quauis suum liquefecisset corpusculum, permansit tamen inflamatus, & præcipuè in somnis. Cum autè surrexisset, conuenit quendam alium monachum sanctum probatissimum, & ei dicit, Quid faciã Abba? Rationi meæ tenebras offundunt somnia animi, vt qui eis ex veteri consuetudine delecter. Dicit ei ille sanctus. Non cohibuisti mentem tuam à visis quæ in eis versantur: ea de causa hæc sustines. Fac ergo quod dico. Dede te paulatim vigilis, & ora sobrius: & ab his citò liberaberis. Cum hoc autè monitum audiisset vir præclarus, tanquam ab eo qui erat artifex experientia: in cellam reuersus, dixit se, quod quidem sua sciat conscientia, tota nocte non dormiisse: non orationis prætextu genu flexisse, vt somni fugeret tyrannidem. Cum annis ergo sex mansisset in cella, totas noctes

Col. 3.

Abstinentia à cibis.

Quinquaginta orationes.

Somnis torquetur.

Quid contra vitiosa somnia.

stans in medio cellæ, & Deum orans assidue, & non claudens oculos, non potuit intemperantem vincere cupiditatem. Re vera enim non potest verè castigari cupiditas. Cum enim seipsum liquefecisset laboribus, turpem illam affectionem non potuit subigere. Post hæc aliam sibi suggestit rationem. asperæ vitæ agenda. Egrediens hic pugil. Satanæ (variè enim cum eo decertauit) noctibus abibat ad cellas monachorum, qui se exercendo consenuerant in laboribus, & per se aquam non poterant amplius importare. & accipiens hydrias eis nescientibus, illas aqua implebat. Habent enim in illis locis aquam certam distantem longitudine. Alij quidem ad duos lapides: Alij verò ad quinque: Alij verò ad dimidium. Vna ergo nocte qua hoc faciebat, dæmon qui eum obseruauerat, non amplius ferens athletæ fortitudinem, cum ipse se inclinasset in puteum, vt vnus monachi impleret hydriam, clauam quandam ei impegit in lumbos: & cum in eo loco reliquit iacentem mortuum, nihil omnino sentientem, neque quid, neque à quo id passus sit. Cum ergo alio die venisset quidam monachus ad aquam hauriendam, cum illic inuenit iacentem, liqui animo. Is autem id renunciauit magno Isidoro presbytero Scetæ. Qui abiens cum aliquot aliis, eum accepit, & tulit in ecclesiam. Ille verò anno toto egrotauit, vt vix corpus eius & anima conualuerit. Tunc dicit illi magnus Christi Sacerdos Isidorus. Cessa deinceps frater Moses, contendere cum Dæmonibus: & ne sic eis insultaueris. Est enim modus quoque fortitudinis in exercitatione. Is autem illi dicit.

Moses noctibus hydrias monachorum replet aqua

Dæmon in Moses inuit.

Moses egrotat.

Non cessabo cum eis pugnare, donec mihi cessauerint phantasia somniorum. Tunc ei dicit sanctus Isidorus Presbyter. In nomine Domini nostri Iesu Christi. ab hoc temporis articulo cessarunt turpia tua somnia.

*Moses vi-
des propter
somnia tur-
pia non cō-
municasse.*

Bono deinceps & fidenti animo communica sacramentis. Ne enim gloriareris, ut qui tua exercitatione vicisses affectionem, ideo vehemēter in te suam exercuit potestatem, ad tuam vtilitatem, ne incideres in animi elationē. His auditis reuersus est in cellā, quietē deinceps attendens moderato instituto exercitationis. Post duos autem vel tres menses rogatus à beato Isidoro presbytero exercitator Moses, Nunquid amplius ei molestiam exhibuisset spiritus, respondit. Ab illa hora qua mihi precatus est Christi seruus, nihil mihi accidit eiusmodi. Dignatus est autem hic sanctus gratia aduersus dæmones: adeò ut sicut nos muscas hyeme contemnimus: ita, atque adeò amplius, hic magnus Moses contemneret dæmones. Hæc est vita quam egit Moses Æthiops, qui ipse quoque numerabatur inter magnos. Obiit ante septuaginta quinque annos natus in Scete, cum factus esset presbyter, relictis septuagintaquinque discipulis.

*Moses fa-
ctus presby-
ter.*

VITA ABBATIS PAULI.

XXIII.
Pherme
mons in quo
500. Mona-
chi.

MONS est in Ægypto, abducens in vastam Scetes solitudinem qui appellatur Pherme. In hoc mōte sedent circiter quingenti homines qui exercentur. Inter quos fuit etiam quidam nomine Paulus, monachus optimus, qui toto suo tempore hanc egit vitam. Nunquam opus attigit. nec vllum suscepit ne-

gocium. nil vnquam accepit ab aliquo, præterquam quod posset in ipso die comedere. Fuit autem eius opus & exercitatio orare perpetuò. Hic habebat trecentas preces expressas & præstitutas, totidem habēs in sinu calculos, & in vnaquaque oratione iaciens vnum calculum. Is cū accessisset ad sanctum Macarium qui dicitur politicus, eius conueniendi gratia, & propter spiritalem vtilitatē, ei dicit. Abba Macari, valde affligor. coëgit eum Christi seruus dicere causam propter quam molestia afficiebatur. Is verò ei dicit.

*300. oratio-
nes, & ad
vnamquar-
que calcul-
lus.*

DE VIRGINE QUÆ FACIEBAT
septingentas orationes.

IN quodam vico habitat quædam virgo, quæ tricesimum annum iam exercetur. De qua multi mihi narrarunt, quòd præter sabbatum & dominicam nullo alio die vescitur. sed toto tempore trahens hebdomadas, & post quinque dies comedens, facit septingentas orationes. Hoc cū didicissem, me ipsum reprobauit, quòd vir creatus his viribus corporis, non potuerim facere plus quam trecentas orationes. Ei respondet sanctus Macarius, dicens. Sexagesimus annus agitur ex quo centum constitutas facio orationes, & laborans manibus ea quæ sunt ad alimentum necessaria, & fratribus vtilitatem reddens congressionis. nec mea me iudicat ratio quòd fuerim negligens. Si tu autem cū trecentas facias orationes, iudicaris à conscientia: apertè ostendis te non purè orare, vel posse plures orationes facere quàm facias.

XXIII.

*Virgo præ-
ter sabbatū
& domini-
cam non co-
medit.*

*700. oratio-
nes.*

*Sententia
Macarij.*

*100. oratio-
nes constitu-
te, publicis
rebus impū-
cato, non
minoris pre-
tj quā 300
nihil aliud
agentis.*

xxv.

*Cronius fugit à monasterio.**Vbi B. Antonius sedebat.**Eulogius Alexandrinus.*

CRonius quidam mihi narrauit presbyter Nectriae. Cùm essem, inquit, iunior ab initio, & propter animi angorem & tristitiam fugerem ex monasterio mei Archimandritæ, errans perueni ad montem sancti Antonij. Sedebat autem beatus Antonius inter Babylonem & Herculeas in vasta solitudine, quæ fert ad mare rubrum, circiter triginta miliaribus à fluuio. Cùm ergo venissem ad eius monasterium quod est propter fluuium, in quo sedebant eius discipuli Macarius & Amatas, qui eum etiam cùm dormisset sepelierunt: expectaui quinque dies, vt cõuenirem sanctum Antonium. Dicebatur autem accedere ad hoc monasterium, aliquando quidem post decem dies, aliquando verò post viginti, aliquando verò post quinque, prout expediebat pro beneficio eorum qui veniebant ad monasterium. Conueneramus ergo diuersi fratres diuersis de causis. Inter quos fuit etiam Eulogius Alexandrinus monachus, & cum eo alius membris mancus. qui quidem propter talem causam accesserunt.

DE EULOGIO ALEXANDRINO

et eo qui erat membris mancus.

xxvi.

Eulogius et scholasticus monachus.

Hic Eulogius fuit disciplinarum liberalium scholasticus, qui diuino amore fauciatus, propter desiderium immortalitatis, renunciauit tumultibus. & cùm omnes suas dispersisset facultates, sibi reliquit paucos nummos, cùm non posset operari. Cùm ex-

go per se angeretur animo & esset tristis, & neq; vellet cum alijs congregari, neque vt solus esset satis sibi persuaderet: inuenit quendam mancum ac mutilatum in foro proiectum, qui nec manus habebat nec pedes. Ei solum lingua remanserat integra ad alloquendum eos qui incidebant. Eulogius autem stans, eum fixis intuetur oculis, & deum rogat: & cum Deo hoc modo paciscitur, dicens. Domine propter nomen tuum accipio hunc mutilatum, & eum me recreaturum ac refecturum spondeo vsque ad horam mortis eius: vt ego quoque per eum saluus fiam. Largire ergo mihi Christe patientiam vt ei inferuiam. Et ad eum accedens, dicit ei. Vis ego te domo accipiam, & te recreem ac reficiam? Ille ei dicit. Vtinam dignare- ris, sed ego sum indignus. Vado ergo, inquit, & adducam asinum, & te hinc auferam. Cum magno autem gaudio est assensus is qui erat mutilatus. Eum ergo sustulit & portauit in suum hospitium: eiusque curam gessit in omnibus quibus opus habuit. Perpetuis ergo quindecim annis, is qui erat mutilatus, beneuolè ab eo curabatur tanquam pater, vt qui lauaretur, vngeretur, foueretur, & portaretur manibus Eulogij, & supra suam dignitatẽ quidem custodiretur, morbo autem conuenienter reficeretur. Post quindecim autem annos inuasit dæmon eum qui erat mutilatus, volens priuare Eulogium mandato & proposito, & mutilatum à refectioe, & Dei gratiarum actione. seditionemque excitat in Eulogium. multisque eum probris cœpit insequi, adeò vt eum etiam appeteret maledictis, dicens deinceps. Abi hinc scelerate fugitiue.

*Mutilati membrum re creandi.**Miramur mutilatum Eulogij humanitas.**Mutilatus agitur spiritu demonico: et in Eulogium murmurat.*

Suffuratus es alienas pecunias: & dominum spoliasti: & meo prætextu vis latere, vt qui prætextu bene faciēdi me acceperis in tuum hospitium. & propter me vis esse saluus. Eulogius autem cor eius lenibat, dicens. Ne Domine, ne hæc dixeris. sed dicas quānam in re tibi fuerim molestus, & eam corrigam. Mancus. autem dicebat arroganter. Non fero has assentationes: aufer me hinc, & proiice in foro. recuso tuam curationem. Dicebat autem Eulogius. Rogo te, patere tui curam geri, & dic si quid sit tibi graue Domine mi. Mutilatus autem magis incensus, ei dicebat. Non possum amplius ferre tuam subdolam & ironicam adulationē. Non placet mihi hæc vita parca & sordida. ego volo vesci carnibus. Patiens autem Eulogius carnes ad eū attulit. Cū eas autē vidisset qui vexabatur, Non satis est mihi tecum esse solum. turbas volo. Ei autem dicit Eulogius. Ego ad te iam adducā monachorum multitudinem. Ille autē rursus ægre ferens, dicit, Væ mihi misero. Tuum aspectum ferre non possum: & tu ad me adducis tui similes, qui cū sint ociosi, comedunt. Et insolenti voce seipsum lanians, vociferabatur, dicens. Nolo. nolo. in forum deduci volo. O violentia. abiice me vbi inuenisti. Dico quòd si habuisset manus, in animum induxisset vel se suffocare, vel sibi ense manus afferre. Cū dæmon sic eum efferasset, postea se confert Eulogius ad propinquos monachos: & dicit eis. Quid faciam? Ad desperationem me deduxit mutilatus. Dicunt ei, Quamobrem? Ille autem, Me, inquit, grauiter afficit. nec scio quid faciam. Abiiciam ipsum. sed Deo dedi dexte-

*Mutilatus
vult vesci
carnibus.*

dexteram: & timeo. Non abiiciam. me dies noctēque malè habet. Nescio quid faciam. Ei dicūt illi absolute. Adhuc viuit magnus ille. Sic enim vocabant sanctū Antonium. Ascende ad ipsum, mutilatum imponēs in nauigium: & defer eum in monasterium: & expecta donec magnus venerit è spelunca, & ad eum refer iudicium. & quòd tibi dixerit, sta illius sententiæ. Deus enim tibi dicit per ipsum. Verbis eorum morem gessit Eulogius, & mutilato blandiens, cū eum immisisset in cymbam pastoralem, noctu egressus est ex vrbe, & tulit eum in monasterium discipulorum magni Antonij. Accidit autem vt alio die veniret magnus sero vespere, vt narravit Cronius, amictus chlamyde pellicea. Ingressus est ergo in suum monasterium. Erat autem hæc eius consuetudo vt alloqueretur Macarium, & eum interrogaret. Frater Macari, venerunt ne huc aliqui? Respondebat Macarius, Venerunt. Dicebat autem magnus, Sunt ne Ægyptij, an Hierosolymitani? Dederat autem magnus ei signum, dicens, Cū videris venisse aliquos quibus est minus negocij, dic, Ad sunt Ægyptij. Quando autem videris venisse aliquos religiosiores & paulò considerationes, dic, Sunt Hierosolymitani. Rogabat ergo magnus pro more, dicens fratri Macario, Sunt Ægyptij fratres, an Hierosolymitani? respōdet Macarius, dicens, Est mixtura. Quando ergo dicebat Macarius, Sunt Ægyptij, dicebat ei magnus. Para eis lentem, & da eis quod comedant. & faciebat eis vnam orationem, & dimittebat eos. Quando autem dicebat, Sunt Hierosolymitani, sedebat per to-

*Peplexus
quid agat
de mutilato
Eulogius cō
sulit S. An
tonium.*

*Chlamys
pellicea san
cti Anto
nij.*

*Hospitum
discretio.*

*Exhortatio
nes sancti
Antonij.*

*B. Antonio
reuelatur
nomen Eu-
logij.*

tam noctem, & eis dicebat ea quæ pertinent ad salutem. Sedens ergo illo vespere, dicit. Vos omnes accersit magnus. cumque nullus ei dixisset quod nomen haberet scholasticus, cum serum esset vesper, vocat eum dicens, Eulogi, Eulogi. & cum ter proclamasset, & scholasticus Eulogius non respondisset, putans aliquem alium vocari hoc nomine, dicit ei magnus. Tibi dico Eulogi, qui venisti ab Alexandria. Tunc ei dicit Eulogius, Quid iubes quæso? Dicit ei magnus. Quid huc venisti? Respondit ei Eulogius, dicens. Qui tibi reuelauit nomen meum, rem quoque propter quam veni reuelauit. Dicit ei sanctus Antonius. Didici quare venisti. Sed dic coram fratribus, ut ipsi quoque audiant. Iussus autem à magno Eulogius, dixit coram omnibus. Hunc mutilatum inueni ego in foro proiectum & neglectui habitum. Eius autem misertus, Deum sum precatus ut daret mihi gratiam in ipsum tolerantiam. Dexteram quoque dedi Deo, quod in morbo eius curam geram, ut & ego per ipsum saluus fiam, & ipse à me recreetur. Sunt autem quindecim anni ex quo simul versamur: sicut etiam tuæ sanctitati reuelata sunt omnia. Sed nescio quidnam mali à me passus, post tot annos me summè vexat. & in animo habui ipsum eiicere, ipso me ad hoc cogente. Ea de causa veni ad tuam sanctitatem, ut mihi consulas quidnam debeam facere, & ores pro me. me enim vexat grauitur. Dicit ei magnus Antonius graui & austerâ voce, Abiicias tu eum Eulogi. At qui eum creauit, non abiicit. Si tu eum abiicis, Deus ei excitabit te meliorem qui eum colligat. Conticuit

*Non abiicit
di egenti &
egroti.*

Eulogius, & extimuit cum hæc audiisset. Relicto autem Eulogio magnus Antonius incipit lingua flagellare mutilatum, & ad eum exclamare. Mutilate, maculate, cælo & terra indigne, Non cessas cum Deo pugnare, & tuum fratrem irritare? Nescis esse Christum qui tibi ministrat? Quomodo audes hæc loqui aduersus Christum? Non propter Christum se tuo mancipauit seruitio? Cum ergo eum quoque verbis coercuisset increpantibus, eos dimittit. & cum differuisset cum fratribus de iis quæ erant unicuique necessaria, rursus accedit ad Eulogium & mutilatum, & dicit eis. Ne vsquam immoremur ô fratres, sed abite in pace, & ne inuicem separemini, deposita omni molestia quam vobis iniecit dæmon: & cum bona dilectione reuertimini in cellam in qua longò tempore versati estis. Iam enim Deus mittet ad vos. Hæc enim têtatio in vos excitata est à Satana, quoniã scit vos iam ad finem peruenisse, & futurum esse ut coronas à Christo accipiatis, ipsum per te, & te per eum. Nihil ergo aliud cogitaueritis. Quod si veniens Angelus non inuenit vos in eodem loco, futurum est ut coronis priue mini. Citò ergo festinantes ingressi sunt, & venerunt in suam cellam in fine agapes. & intra viginti quatuor dies, obit beatus Eulogius resolutus ad Dominum, & intra tres alios obit is qui erat corpore mutilatus, sed anima firmus ac robustus, qui ipse quoque in manus Dei suum commendauit spiritum. Cum ergo aliquanto tempore versatus esset Cronius circa loca Thebaidis, descendit in monasterium Alexandriæ, & accidit ut beati quidè Eulogij obitus à fraternitate celebra-

*Obiurgatio
mutilati.*

*Dimittitur
in pace
Eulogius &
mutilatus.*

*Agape, con-
uiuium ad
quod conue-
niebant pa-
peres christi-
iani.*

*Obitus Eu-
logij & mu-
tilati.*

*Cōfirmatur
superior hi-
storia.*

retur tricesimus dies, manci autem tertius. Cū hoc ergo didicisset Cronius, obstupuit: & acceptum Euan- gelium, vt fidem haberent audientes, posuit in medio fratrum: & eis iurauit, narrans magni Antonij de his præscientiam, & de omnibus quæ acciderunt, & dicēs. Horum ergo verborum fui interpretes cū beatus Antonius Græcè nesciret. ego verò sciebam vtrāque linguam, & eis sum interpretatus. iis quidem qui Græcè, quæ à magno dicta sunt: ipsi autē sancto Ægyptia- cè, quæ dicta sunt ab Eulogio.

DE CONTEMPLATIONE
quam vidit Abbas Antonius.

xxvii.
*Visio B. An-
tonij.*

HOc quoque narrauit Cronius illa nocte magnū Heis narrasse Antonium. Ego, aiebat, anno inte- gro oraueram vt reuelaretur mihi locus iustorum & peccatorum. Vidi autem Gigantem nigrum altissi- mum, qui ad nubes vsque pertingebat, habebat au- tem manus ad cælum vsque extensas. infra autem erat lacus qui mare æquabat magnitudine. Vidi quoque animas tanquam aues sursum volantes. Et quæcunque quidem eius manus & caput superuolabant, serua- bantur ab Angelis. Quæ autem à manibus eius verbe- rabantur, incidebant in lacum. Ad me itaque vox per- uenit quæ dicebat. Quas vides animas superuolasse caput gigantis & eius manus, eæ sunt animæ iusto- rum, quæ quidem ab Angelis seruantur in paradiso. Quæ autem à manibus eius percutiuntur, eæ in infer- no demerguntur. quæ quidem attractæ fuerunt à vo- luntate carnis, & odium secutæ sunt, & referendæ iniuriæ cupiditatem.

*Paradisus
et infernus.*

VITA ABBATIS PAULI
Simplicit.

Narrauit autem sanctus Dei Hierax, & Cronius, xxviii. & plures alij ex fratribus de quibus sum dictu- rus, quòd quidam Paulus agrestis agricola, insigniter innocens, & vita simplex, vxorem duxerat mulierem formosissimam, sed moribus improbam. quæ longis- simo tempore peccans eum latuit. Aliquando autem de improviso ingressus domum suam, inuenit eos turpia perpetrantes, deducente Paulum prouidentia ad id quod erat sibi conducibile. eamque cū vidisset cum eo cum quo habebat stupri consuetudinem, ho- nestè ac decorè risit, & eis exclamauit, dicens: Bene est, bene est. reuera non est mihi curæ. Per Iesum, ego eam non accipiam amplius. abi. eam tibi habe & eius filios. ego enim recedo, & efficior monachus. Cum nulli autem dixisset aliquid, pertransit octo mo- nasteria, & abit ad sanctum Antonium, & pulsat o- stium. Egressus autem sanctus Antonius, eum interro- gat. Quid vis? Ei dicit Paulus. Volo fieri monachus. Respondet ei Antonius. Senex sexagenarius non potest hic fieri monachus. sed potius abi in vicum, & operare, & vitam dege operariam, Deo agens gratias. Non potes enim sustinere afflictiones so- litudinis. Respondet senex, & dicit. Si quid me do- cueris, illud faciam. Dicit ei Antonius. Dixi tibi te esse senem, & non posse esse monachum. abi. Si enim vis esse monachus, ingredi cœnobium vbi sunt complures fratres qui possunt tuam ferre imbecillita- tem. Ego enim solus hîc sedeo. quinque dierū spacio

*Paulus sim-
plex coniu-
gem impro-
bam duxit.*

*Qua occa-
sio vt mo-
nachus fieret.*

*Paulus per-
git ad B.
Antonium*

interiecto comedens, idque esuriens. His ergo verbis Paulum abigit. Postquam autem eum non admisit, clauso ostio Antonius tribus diebus foras non est egressus, propter se, nec propter ea quae essent sibi usui. Senex autem permanfit non recedens. Quarto vero die cum eum premeret necessitas, aperto ostio egressus est. & cum rursus vidisset Paulum, ei dicit. Abi hinc senex. Quid mihi es molestus? non potes hic manere. Dicit ei Paulus. Fieri non potest ut ego alibi quam hic moriar. Cum aspexisset autem Antonius, & vidisset eum non ferre ea quae sunt ad victum necessaria, non panem, non aquam, non aliquid aliud, & iam quartum diem perseverasse ieiunum, cogitavit apud se, Ne forte moriatur, ut qui non sit assuetus ieiunare, & meam maculet animam. Eum ergo admittit. Tunc ei dicit Antonius. Potes esse saluus si habeas obedientiam, & quod a me audieris hoc feceris. Paulus autem respondens dixit. Faciam quaecunque iusseris. Talisque vitae asperae agenda rationem in illis diebus suscepit Antonius, qualem, quando erat in principio iuventutis. Eius ergo mentem probans Antonius, ei dixit. Sta, & ora in hoc loco, donec ingrediar, & afferam tibi quod opereris. Ingressus autem speluncam, per fenestram animadvertit eum in eo loco totam hebdomadam manere immobilem, cum ab aestu torreretur. Egressus autem post hebdomadam, cum ex palmis ramos madefecisset, ei dicit. Accipe, & contexe catenam, ut me vides. Texit senex ad horam usque nonam quindecim vlnas magno labore. Cum autem vidisset Antonius id quod contexerat, id minimè ei placuit,

*Obedientia
monachorum
necessaria.*

*Viri hominis
in oratione
perseverantia.*

& ipsi dicit. Male contexuisti, retexe & denuo contexe. cum iam septimo die ieiunus ageret, idque cum esset grandis aetate. Tantum autem eum hac de causa afflixit, ut aegre ferens senex fugeret Antonium, & vitam monachorum. Is autem eosdem ramos & retexuit & iterum contexit cum magno labore, quod ex contextura prima fuissent corrugati. Cum ergo vidisset magnus Antonius eum nec murmurasse, neque animum abiecisse, neque vultum suum omnino avertisse, & neque vel tantillum succensuisse, propter eum est compunctus. & sole occidente ei dicit, Patercule, vis comedamus fragmentum panis? Dicit ei Paulus. Ut tibi videtur, Abba. Hoc quoque rursus inflexit Antonium, quod non ad cibi nuncium protinus accurreret, sed ei potestatem permiserit. Para ergo, inquit, mensam: & obediit. Fert panes Antonius, & imponit mensae quatuor paxamidia, sex vnciarum: & sibi quidem unum madefecit, erant enim sicci. Illi autem tres. Psalmum psallit Antonius quem noverat: & cum eum duodecies cecinisset, duodecies oravit ut in hoc quoque Paulum probaret. Senex autem simul precatus est ipso magno promptius & alacrius. Malebat enim, ut arbitror, pascere scorpiones, quam unam vivere cum adultera. Post duodecim autem orationes, Paulo dicit magnus Antonius. Sede, inquit, & ne comedas usque ad vesperam. sed solum attende esculentis. Cum autem fuisset vespera, & Paulus non comedisset, dixit ei Antonius. Surge, ora, & dormi. Ille autem mensa relicta sic fecit. Media autem nocte excitavit eum ad orationem, & usque ad horam no-

*Ne murmurator
fiet monachus.*

*Duodecies
canere
Psalmum.*

Magna probatio.

nam produxit orationes. Mensa autem rursus opposita, cum & rursus cecinisset & orasset, sero vespere sederunt ad comedendum. Cum ergo comedisset magnus Antonius vnum paxamidium, aliud non tetigit. Senex autem comedens tardius, adhuc tenebat paxamidium quod ceperat. Expectabat ergo Antonius donec perfecisset, & dicit ei. Comede Patercule, etiam alium vnum paxamidium. Dicit ei Paulus. Si tu comedas ego quoque comedam. te autem non comedente, nec ego comedam. Dicit ei Antonius. Mihi sufficit. Sum enim monachus. & mihi sufficit. Nam ego quoque volo fieri monachus. Surgit rursus, & facit duodecim orationes. & psallit duodecim psalmos. Et post orationes primi somni parum dormiunt. & rursus expergiscuntur ad psallendum à media nocte ad diem vsque. Deinde misit eum ad obeundam solitudinem, dicens ei: Veni huc post tres dies. Cum hoc autem factum esset, & quidam fratres ad eum venissent, obseruabat Paulus Antonium quidnam vellet eum facere. Is autem dixit ei. Tacens ministra fratribus. neque aliquid gustaueris donec fratres fuerint iter ingressi. Postquam autem tertia iam impleta esset hebdomada ex quo non comederat Paulus, fratres eum rogabant, Qua de causa taces? Dicit ei Antonius, Quid taces? colloquere cum fratribus. Ille verò est collocutus. Cum aliquando ei fuisset allata vrna mellis, dixit ei Antonius. Frange vas. & mel effundatur. Sic autem fecit. Et ei rursus dicit, Collige rursus mel concha, ne sordes aliquas inferas. Et rursus iussit eum aquam haurire toto die. Et rursus cum

*Expergisci
media nocte
ad orandum.*

Mira obedientia.

cum vestem eius dissoluisset, iussit consuere. Tantam denique hic vir possedit obedientiam, ut ei etiam data sit gratia diuinitus, nempe ut eiiceret demones. Postquam ergo vidit senem magnus Antonius, prompte eum esse ad omnia secutum in vitæ exercendæ ratione, ei dicit. Vide frater, si sic indies potes, mane mecum. Dicit ei Paulus. An quid mihi possis amplius ostendere, nescio. Nam ea quæ vidi ego quoque facio facile & citra laborem, Deo mihi opem ferente. Tunc ei dicit Antonius alio die. In nomine Iesu, ecce factus es monachus. Cum autem satis superque compertum haberet in omnibus magnus & beatus Antonius, esse admodum perfectam animam Christi feruum, ut qui esset admodum simplex: post certos menses, Dei gratia opem ferente beato Antonio, facit ei deinceps cellam ad tres vel quatuor lapides à sua cella. Et dicit ei. Ecce Christi virtute opem ferente tu factus es monachus. mane deinceps seorsum, ut etiam facias periculum dæmonum. Cum ergo anno vno per se habitasset Paulus simplicissimus, & gratia dignatus est aduersus demones & aduersus omne genus morbos, se perfecte gerens in virtute exercitationis. Quodam ergo die adolescentulus qui supra modum grauer vexabatur à dæmone, allatus est ad beatum Antonium, habens principalem sæuisimum dæmonem, qui etiam ipsum coelum maledictis & probris infequebatur. Cum igitur adolescentem obseruasset magnus Antonius, dicit iis qui eum ducebant. Non est hoc meum opus. nam contra hunc ordinem dæmonum, nempe principalem, nondum

*Obedientia
& simplicitas Pauli.*

*Adolescens
dæmoniacus per Paulum curatur.*

sum donatus gratia . sed hæc est Pauli gratia Simpli-
cis . Abiens ergo magnus Antonius ad probatissi-
mum Paulum, ipsos quoque deduxit, & dicit ei. Ab-
bas Paule, Eiice hunc dæmonem ab hoc homine, vt
sanus ad sua redeat, & Dominum glorificet . Dicit ei
Paulus . Tu verò quid? Dicit ei Antonius. Non est
mihi ocium. est aliud quod agam. & relicto illic pue-
ro, reuersus est magnus Antonius in suam cellam.
Cum ergo surrexisset innocens senex, & efficacem
fudisset orationem, dicit prouocans dæmoniacum.
Dixit abba Antonius, Egredere ab homine. Dæmon
autem cum probris ac maledictis exclamabat dicens.
Non egrediar improbe nugator senex. Accepta ita-
que pelle sua ouilla, verberabat eum in tergo, dicens.
Egredere . dixit Abbas Antonius. Dæmon autem
maledictis insequabatur Paulum & Antoniũ. Helluo-
nes isti in senectute. Veternosi. insatiabiles. qui pro-
priis nunquam sunt contenti. Quid est vobis com-
mune nobiscum? Quid in nos exercetis tyrannidem?
Tandem dicit ei Paulus. Aut exhibis, aut abeo vt id
dicam Christo. isque faciet vt sit tibi v̄x. At Iesum
quoque probris & maledictis insectabatur immitis
ille dæmon, clamãs, Non exhibo. Ea de causa indigna-
tus Paulus aduersus dæmonem, egressus est è suo
hospitio in ipso puncto meridiei. Æstui autem Ægy-
ptiorum intercedit cognatio cum fornace Babylo-
nio . Stans ergo sanctus senex tanquam columna su-
per petram, sic orat Christum, dicens . Tu vides Iesu
Christe qui fuisti crucifixus sub Poncio Pilato, me
non descensurum ex hac petra, neque esurum nec bi-

*Pelle ouilla
indutus
Paulus.*

biturum donec moriar, nisi me nunc audieris, & hunc
dæmonem ab homine eieceris, & à spiritu immun-
do ipsum liberaueris . Adhuc cum Iesu loquente sim-
plici & humili Paulo, priusquam ipse preces perfecif-
set, exclamauit dæmon dicens . Recedo, recedo . vi
egredior . & per tyrannidem expellor . discedo ab
homine . non amplius ad eum accedo . Pauli simplici-
tas & humilitas me expellit . neque scio quò abeam.
Protinúsque exiit dæmon, & mutatus est in maximũ
draconem circiter septuaginta cubitorum . receditq;
reptãs in mare rubrũ, vt impleretur quod dictũ est per
sanctũ spiritum . Fidem quæ demonstratur iustus an-
unciabit . Et rursus alibi . Super quẽ respiciam, inquit
Dominus, nisi super mansuetũ & humilem & tremẽ-
tem verba mea? Solẽt enim humiliores dæmones eii-
ci ab hominibus fide principalibus: principales rursus
dæmones fugari ab humilibus . Hæc sunt miracula san-
cti Pauli simplicis & humilis, aliãque plura & his ma-
iora . Hic vocatus est simplex à tota fraternitate .

*Humilitas
pellit dæ-
mones.*

Prouer. 12.

Esai. 66.

VITA ABBATIS PACHON.

Quidam Pachon nomine cum peruenisset ad an-
num septuagesimum, sedebat in Scete . Accidit
autem vt ego vexatus ab affectione foemine cupidita-
tis, cogitationibusque & visis nocturnis, ferrem dif-
ficiliter . Cumque parum abesset quin propter hanc
tentationem exirem è solitudine, quòd me hæc ani-
mi perturbatio ageret vehementissime, vicinis qui-
dem meis rem nõ exposuit . sed neque meo magistro
Eulogio . sed latenter veniens in solitudinem, quinde-

xxix.

cim diebus versatus sum cum Patribus senescentibus in solitudine, qui erant in Scete. Inter quos incidi etiam in sanctum virum pachonem. Cùm ergo inuenissem eum sinceriores & magis versatum in exercitatione, ausus sum ei meum animum aperire. Dixit autem mihi ille sanctus. Ne tibi videatur res aliena. Hoc enim non tibi accidit ob delicias ociùmque & negligentiam. Nam & mores tibi ferunt testimoniũ, & penuria eorum quæ sunt necessaria, & quòd nulla sit hic tibi consuetudo cum fœminis. sed potius hoc tibi accidit ab aduersario ob studiũ virtutis. Est enim triplex hostis qui impellit ad fornicationem. Aliquando enim nos caro inuadit luxurians, & quæ nimis laute & delicatè est curata. Aliquando autem in nos insurgunt motus animi propter cogitationes. Aliquando autem ipse quoque dæmon in nos exercet tyrannidem propter inuidiam. Nam ego quoque multa obferuans, hoc inueni. Ecce me, vt vides, hominem senem. Cùm iam quadragesimum annum degam in hac cella, curam gerens meæ salutis, & ad hanc ætatem peruenerim, tentor vsque in hodiernum diem. & iuravit dicens. Iam duodecim annis postquam transigi annum quinquagesimũ, nullam diem nec noctem intermisit qua me non inuaserit. Cùm itaque suspicatus essem Deum à me recessisse, quandoquidem tanta in me dæmon vteretur potestate, potius delegi mori absque ratione, quàm vitio affectionèque corporis me turpiter gerere. Egressusque à cella mea, & obiens solitudinẽ, inueni speluncam hyænæ. In quam speluncam me nudum immisi toto die, vt feræ egres-

*Tres causa
libidinosum
cogitationum.*

*Pachon aperit
miras
dæmonis
tentationes.*

*Desperat
acrius à
dæmone
tentatus.*

fæ me deuorarèt. Postquam autem fuit vespera, prout scriptum est. Sol cognouit occasum suum. Posuitque tenebras, & facta est nox. In ipsa transibunt omnes bestię syluæ. Catuli leonum rugientes vt rapiant & quærant à Deo escam sibi. Egressæ ergo feræ in illa hora, & masculus & fœmina, me à pedibus ad caput vsque odorati sunt, circunlingentes. Cùmque expectarem fore vt deuorarer, à me recesserunt. Cùm ergo illic tota nocte iacuissem, non fui deuoratus. Existimans ergo Deum omnino mihi paruisse, surrexi. Rursus verò in cellam redij. Cùm autem se paucis diebus continuisset dæmon, me est adortus vehementius quàm antea, vt parum abfuerit quin blasphemarem. Transformatus enim cùm esset in puellam Æthiopissam, quam in mea iuuentute videram ætate spicas legentem, ea mihi visa est meis insidere genibus. meque vsque ad eò commouit vt putarem me cum ea coiuisse. Furore ergo percitus impegit ei colaphum. eaque sic euauit. Hoc autè mihi crede dicenti. Biennio nõ poteram ferre manus meæ fœtorem. Cùm ergo hac de causa pusilli & abiecti animi euasissem, & de me omnẽ spem abiecissem, egressus sum pererrans vastam solitudinẽ: & inueni paruam aspidem. Quã cùm accepissem, eam admoueo meis genitalibus, vt vel sic morsus morerer. & cùm eius caput virilibus applicassem, vt quæ mihi fuissent causa tentationis, ne sic quidem morsus sum gratiæ prouidentia. Post hæc autè audiui vocem dicentem mihi in mea cogitatione. Abi Pachon, decerta. Ideo enim permisi in te tãtam exerceri potestatem, ne tibi esset elatior & arrogantior spiritus,

Mira tentatio.

*Dæmon in specie
Æthiopissæ
apparet.*

*Humilitas
ex tentatione.*

perinde ac ipse posses hanc superare affectionem: sed tuam agnosceres imbecillitatem, & in tuæ vitæ instituto nunquam haberes fiduciã, sed recurreres ad Dei auxilium. Sic autem admonitus & cõfirmatus, ad cellam sum reuersus. & deinceps sedens cum fiducia, & nullam belli curam gerens, reliquos dies egi in pace. Dæmon autẽ cum cognouisset meam eius despicientiam, pudore deinceps affectus, ad me nõ accessit amplius. His verbis cum ad luctam aduersus Satanam me cõfirmasset, & ad bellum instruxisset, & aduersum dæmonem fornicationis me parasset ac docuisset, dimisit, iubens vt forti animo me gererem in omnibus.

VITA ABBATIS STEPHANI.

xxx.

Stephanus
curat omnes
afflictos.

Stephanus quidam Libs genere, sedit sexaginta annos ex transuerso Marmaricæ & Mareotæ. Is cum fuisset summè versatus in exercitatione, & esset discernendi potestate præditus, hanc gratiam est consecutus, vt quicumque eum conueniret, à quacunque cruciaretur molestia, is molestia vacuus ab eo recederet. Fuit autem is quoque notus beato Antonio. Peruenit autem etiam ad nostra vsque tempora. Atque ego quidem cum eo non sum versatus propter viæ longitudinem. Sanctus autem Ammonius & Euaagrius qui eum conuenerunt, narrauerunt se eum inuenisse in talem prolapsam ægritudinem in ipsis locis testiculorum, & penis summum vlceraffe cancrum, qui φαρμάκωα dicitur. Eum, aiebant, inuenimus dum à quodam medico curaretur. & manibus quidem operabatur, & palmæ ramos contexebat, & nobiscum

Stephani
ægritudo.

etiam loquebatur. reliquo autem corpori manum adhibebat chirurgus. Erat autem Dei gratia, ea præditus *patientia.* vt perinde affectus videretur, ac si corpus alterius secaretur. & cum eius membra rescinderentur, non secus ac si essent pili insensiles, ita mansit immutabilis: tam insigniter & admirabiliter erat à Deo instructus. Cum nos autem, inquit, partim angeremur, partim verò terreremur, quòd tanti viri talis vita in tantum morbum incidisset, & tales medicorum executiones, nostras autem cogitationes sensisset beatus Stephanus: dicebat nobis. Ne ex hac re offendamini ô filij. Nihil enim quod Deus facit, ad malum vnquã facit, sed ad bonum finẽ. Fortasse enim membra merentur supplicium. & melius est ea hic dare pœnas, quam post excessum ex hoc stadio. Cum nos ergo sic est hortatus, & verbis confirmauit ad tolerantiam, ædificauit ad fortiter ferendas afflictiones. Hæc autem narraui, ne videatur nobis alienum, quando viderimus aliquos sanctos incidisse in tales calamitates.

DE VALENTE QVI EXCIDIT.

Fvit quidam Valens, genere quidem Palæstinus, *xxx l.* mente autem Corinthius. Corinthiis enim vitium *1. Cor. 4.* inflationis tribuit sanctus Paulus. Qui cum venisset in solitudinem, ipse quoque plures annos habitauit nobiscum. Eò autem processit superbix vt deceptus sit à dæmonibus. Ex eo enim quòd ipse paulatim deciperetur, fecit vt ipse de se magnificè ac præclarè sentiret, tanquam cum eo versarentur angeli. Quodam certè die, vt narrabant, cum operaretur in tenebris, acum

Elationis
vitium.

dimisit qua consuebat sportam. Quam cum ipse non inuenisset, dæmon ei fecit lampadē, & inuenit acum. Hoc nomine rursus inflatus magnificam de se induit opinionem, & vsque aded elatus est, vt etiam contemneret ipsam sacramentorū communionem. Cum autem Christus dominus eius esset misertus, sic prouidit vt eius detrimentum citò fieret manifestum vniuersæ fraternitati. Accidit vt quidam venientes hospites afferrent ad fraternitatem bellaria in ecclesiam. Porro autem cum eas accepisset sanctus Macarius presbyter noster, misit ad vnumquenque in cellam circa manipulum. inter quos etiam ad Valentem. Cum autem accepisset Valens, eum qui attulerat contumelia affecit, & verberauit, & ei dicit. Abi & dic Macario. Non sum te deterior, vt tu ad me mittas benedictiones. Cum cognouisset ergo sanctus Macarius eum esse seductum, accessit vno die postea ad eum exhortandum. & ei dicit. Valens, illusus es desine. Postquam autem non audiuit eius admonitiones, recessit. Cum ergo certò sibi persuasisset dæmon, eum eius deceptioni maximè fidem habuisse, abit, & figurā Seruatoris induit. & noctu accedit in phantasmate, mille angelis lampadas tenentibus, & rotam igneā, in qua visus est figuram exprimere Seruatoris. vnusque eum præcedit & dicit. Christus dilexit tuum institutum, tuamque viuendi libertatem & confidentiam. & venit vt te videat. Egredere ergo è cella. & nihil aliud feceris, nisi cum procul eum videris, procumbens eum adora, & ingredi in tuam cellam. Egredus ergo cum vidisset apparatus lampadum, circi-

*Bellaria Ec-
clesiæ dona-
ta.*

*Elatum dæ-
mon fallaci
seruatoris
specie illu-
dit.*

circiter à stadio procul Antichristum adorauit. Alio itaque die aded fuit emotæ mentis, vt ingrederetur ecclesiam, & fraternitate congregata diceret. Ego non habeo opus communionem. Christum enim vidi hodie. Tunc patres eum anno vno vinxerunt, & in ferreos compedes coniecerunt, & curarunt. precibus, eiusque contumelia, vitæque austeriore detrahentes eius persuasionem. nam, vt dicitur, sunt contrariorum contraria medicamenta. Necessè est autem eorum quoque qui sunt tales vitam in hoc libro inferere, ad securitatem eorum qui insidunt. sicut etiam sanctis plantis accessit lignum paradisi, nempe cognitio boni & mali. vt si quando contigerit eos in aliqua re se rectè gerere, non se efferant & se iactent de virtute. Nam sæpe quoque virtus efficitur occasio prolapsonis, quando non recto scopo facta fuerit. Scriptum est enim, Vidi iustum pereuntem in sua iustificatione. id quoque est vanitas.

*Quotidie
communi-
cabant.*

*Ligatur
Valens à
patribus.*

Gen. 2.

Ecl. 7.

DE ERONE.

FVit quidam Ero nomine, mihi vicinus, Alexandrinus genere, vrbanus adolescens, bono ingenio, vita mundus. Qui ipse quoque post magnos labores & præclaros sudores, ab arrogancia arreptus & elatione, præcipitauit: & aduersus patres superbis euasit & insolens: & Macarium quoque presbyterum affecit contumelia, dicens. Qui tuæ doctrinæ parent, decipiuntur. Non oportet enim alios magistros attendere præter Christum. Abusus est autem testimonio quoque ad peruersum scopum suæ stul-

xxxii.

*Ne mona-
chus senio-
rem affici-
at contumelia.*

*Vox similis
nostrorum
hæretico-
rum.*

Matth. 23. titiæ, dicens. Ne vocaueritis magistrum super terram. Qui ipse quoque mentem adedè habuit obtenebratam vana persuasione suæ opinionis, vt fuerit etiam ferro vinctus cum nollet conuenire ad sacramenta. Amica autem veritas. Fuit is vitæ instituto admodum subtili & accurato, adedè vt multi dicant, quibus cum eo intercessit consuetudo, quod sæpe non nisi post tres menses comedebat, contentus communione sacramentorum, & sicubi ei apparuisset olus agreste. Accepi autem ego quoque eius experientiam cum beato Albino, cum irem in Scetem. Aberat autem Scete à nobis quadraginta miliaria. In his quadraginta miliaribus nos bis comedimus, & ter aquam bibimus. Ille verò cum nihil gustasset, pedes ingrediens, pronunciauit memoriter quindecim psalmos. Deinde magnum psalmum. Deinde epistolam ad Hebræos. Deinde Esaïam, & partem Hieremiæ. Deinde Lucam Euangelistam. Deinde Prouerbia. Eum autem ambulanti non poteramus consequi. Is postremo arreptus à mali dæmonis operatione, vt qui ageretur ab igne vehementissimo, in sua quidem cella sedere nō poterat: profectus autem Alexandriam diuino quodam consilio, clauum clauo extrusit. Sua sponte enim incidit in promiscuum & indifferentem rerum vsum, inuēta postea salute inuoluntaria. Accessit enim ad theatra & equestria certamina, & versabatur in cauponis. Is autem cum gulæ esset deditus & ebrietati, incidit in coenū foeminæ cupiditatis. & cum peccare constituisset, cum quadam Mima congressus, vlcus suum aperuit. Cum hæc sic fierent, diuino quo-

Ieiunus
portentofu

Albinus.

Eronis mi-
ra memoria

Vera Au-
gustini sen-
tētia nullos
esse peiores
quàm qui à
monasteriis
defecerunt

dam consilio enatus est ei anthrax in glande: & tempore semestri vsque adedè agrotauit, vt eius virilia membra cōputruerint, & sua sponte ceciderint. Cū postea autem conualuisset, reuersus est ad hoc vt ea sentiret quæ Dei sunt, & venit in solitudinem, hæc omnia confitens patribus. & cū non peruenisset ad operationem, paucis post diebus obdormiit.

DE PTOLEMÆO QUI EXCIDIT.

Alius quidam rursus nomine Ptolemæus, cū nar-
Aratu difficilem, vel potius quæ narrari non po-
test vitam transegisset, habitauit enim vltra Scetem in
ea quæ dicitur κλίμαξ, id est scælæ. Est autem locus, *Slimax lo-
cus in Sceti.*
qui sic dicitur, in quo nemo potest habitare, pro-
pterea quod puteus fratrum distet decem & octo mi-
liaribus. Cū is ergo multa vasa fictilia portasset, &
Decembri & Ianuario mense rorem collegisset, est
enim permultum roris in illis partibus, & spongia ex
lapidibus expressisset, perstitit illic habitans annos
quindecim. Qui ab alienatus à doctrina & congrega-
tione virorum sanctorum, & vtilitate, & continua sa-
cramentorum communione, à recta via vsque adedè
recessit, vt quod nonnulli dicunt impij casu omnia fie-
ri, is quoque infelix id fateretur, dæmone erroris de-
inceps in eum obtinente imperium. Hic enim inimi-
cus vano huic homini suggestit, vt diceret res nullam
habere essentiam: sed omnino esse omnia ex eo quod
mundus ferretur sua sponte. In huius ergo animā hæc
immisit omnium vitæ hostis, dicendo. Cum res ita se
habeant, quid frustra te ipsum foris domas? Quidnam

Hæresis quæ
casu fiunt
omnia.

*Negatur
providentia
dæmonesug-
gerente.*

*Qui stat vi-
dent ne ca-
dat.*

PROMY. II.

te iuuabit Ptolemæe, si non sit renumeratio? Quænam autem tibi sufficeret merces tot & tantorum laborum, etiamsi esset qui redderet? Quodnam autem est iudicium quod minantur scripturæ, si nulla sit providentia? His Satanicis circumseptus cogitationibus miserrimus Ptolemæus, dicitur esse emotæ mentis, & hucusque errare in Aegypto, & seipsum dedidisse gulæ & ebrietati. cum nemine conuersans, sed mutus forum obiens, miserabile & lachrymabile spectaculum Christianorum oculis, ludibrium autem iis qui vitam nostram nesciunt. Hæc autem calamitas immedicabilis miserum inuasit Ptolemæum, ex rationis experte sui persuasione, quod à seductore dæmone illusus, existimaret se habere cognitionem super omnes sanctos patres. Per quam inflatus, suiipsum hostis, preceptus datus est in profundum interitus. cum nullum vnquam conuenisset ex sanctis patribus qui sapienter gubernauerant, nec eorum fuerit fundatus spiritali doctrina, sed inuentus absque gubernatore, in extremum mortis profundum cecidit, & sicut arbor viridibus foliis comata, & fructibus ornata, quæ vno temporis momento omnibus simul est nudata, reddita est arida. Nam vt scripsum est, *Quibus non est gubernatio, ij cadunt vt folia.*

DE VIRGINE LAPSA.

*XXXIII.
Austeritas
sine charitate
re periculo-
sa.*

NOui rursus quandam virginem Hierosolymis quæ saccum gestauit sexennio, & fuit inclusa: nec aliquid accepit ex iis quæ tendunt ad voluptatem, sed summam continentiam exercuit inter foeminas.

Postea autem à diuino deserta auxilio propter summam superbiæ lapsa est, & aperta fenestra admisit eum qui ei inseruiebat, & cum eo fuit commixta. eo quod nõ diuino proposito & ex charitate se exercuerat, sed vt humanæ scenæ seruiret. quod quidem est vanæ gloriæ & prauis instituti. Nam cum eius cogitationes occupatæ essent in damnandis aliis, incitaretur autem furore à dæmone superbiæ, eoque valde delectaretur: ab ea recessit sanctus angelus custos temperantiæ. Ideo autem scripsimus ò virorum fidelissime, & vitam eorum qui se rectè & ex virtute gesserunt, & eorum qui post multos labores per otium & socordiam à summo & perfectissimo vitæ instituto exciderunt, capti à diabolo omne genus laqueis. vt vnusquisque ex suæ vitæ instituto intelligens occulta retia hostis bonorum, fugiat eius laqueos. Cum sint ergo multi, iique magni viri & mulieres, qui ab initio se rectè gesserunt in honesto instituto exercitationis, tandem autem fuerunt euersi radicitus ab omnium hominum aduersario: ex multis facta mentione paucorum, plurimos præteribo silentio. vt qui neque ipsos erigam, neque mihi prosim, dum in iis multum immoror, & eximios Christi athletas negligo, non narrans virtutes diuinæ eorum exercitationis.

VITA ABBATIS ELIÆ.

ELias quidam optimus exercitator, fuit virginum xxxv. amantissimus, curam gerens partis imbecillioris. Sunt enim tales animæ, quibus fert finis testimoniū, quòd id faciant ex virtute. Is cum misertus esset ordi-

Finis actionis eam discernit.

Monasterium virginum.

Elias rector 300- virginum tenetur voluptate.

Tres angeli.

Iusiurandum quale angelis requiritur ab Ely.

nis foeminarū quæ se exercent, haberet autem facultates in Athlebe ciuitate, ædificauit magnum monasterium. & illic congregauit omnes quæ errabant virgines. consequenter eorum in omnibus curā gerens, suppeditans eis omnia quæ ad vsum pertinent necessarium. ortos, & earū oracula, & vt semel dicam, omnia quæ postulat vita exercitationis. Eæ autem ex diuersis vitæ institutis & priuata deductæ cōsuetudine, inter se depugnabant assiduè. Cùm ergo oporteret hunc sanctum & eas audire, & efficere vt pacem inter se seruarent: collegerat enim ad trecentas: & necesse ei fuerat esse earum intercessor biennio, licet ætate iuueni. erat enim circiter triginta aut quadraginta annos natus: is tentatus fuit à voluptate. A monasterio autem recedens ieiunus, errauerat per solitudinem duos dies, hoc rogans, & dicens. Aut occide me, ne ipas videam afflictus, aut meam aufer affectionem, vt earum curam geram vt postulat ratio. Cùm fuisset ergo vespera, eum somnus oppressit in solitudine. Venientes autem ad eum tres angeli, vt ipse mihi narrauit, eum retinentes, ei dicunt. Cur exiisti ex monasterio foeminarum? Remitaque eis narrauit, dicens. Timui ne & illas laderem & meipsum. Dicunt ei angeli. Si te ergo liberauerimus ab hac affectione, redibis, & earum curam geres? His assensus est. Ab eo autem iusiurandum exigunt. narrabat autem iusiurandum. Iura nobis tale iusiurandum. Per eum qui mei curam gerit, earum curam geram. Hoc eis iurauit. Tunc angeli eum tenuerunt: vnus manus: & alter pedes: tertius autem accepta nouacula, excidit eius testiculos

tanquam in ecstasi, non verè, sed quadam visione. Vixit ergo in illa ecstasi veluti ex cibus fuisse & curatus. Post hoc interrogant ipsum angeli dicentes. Sensisti vtilitatem aliquam? Eis dicit ille. Valde magnam accepi vtilitatem. valde enim leuatus sum. & persuasum habeo me esse liberatum à labore & affectione. Tunc angeli ei dicunt. Abi ergo ad tuum monasterium. Reuersus est autem post quinque dies, eum lugente toto monasterio, quādo quidem cùm esset propè, eas corripbat assiduè quantum in illo erat. Cùm autem postea vixisset alios quadraginta annos, affirmabat patribus, quòd ab eo tempore non ascenderat in cor eius affectio cupiditatis foeminae. Hæc est gratia sancti viri Eliæ, & hæc exercitatio, & quemadmodum curam gessit monasterij virginum.

VITA ABBATIS DOROTHEI.

Cvi successit Dorotheus vir probatissimus, qui in xxxvi. bona vita, & quæ in agendo versatur, consenuit. Qui cùm non posset quidem sic curam gerere monasterij vt hic beatus, neque mansisset in illa cella: in ipso monasterio in superiori cœnaculo seipsum inclusit: & fecit fenestram quæ spectabat ad monasterium foeminarum, quam claudebat & aperiebat. Perpetuò ergo assidebat fenestræ, procurans vt inter eas pugna cessarent. Sicque in superiori cœnaculo consenuit, neque sursum ascendentibus foeminis, neque illo potente descendere. Non enim stabant scilicet.

Dorotheus inclusus, vt etiam tamen virginum.

DE AMMA P I A M V N .

xxxvii. *Piamun do-
natur gra-
tia prophe-
tia.* FVIT quædam virgo Piamun, que annos vitæ suæ
vixit cum matre propria, sola cum sola vespere co-
medens, & linum nens. Hæc digna est gratia prædi-
ctionis futurorum inter homines. Accidit aliquando
in Ægypto cum Nilus ascenderet, vt vicus vicum in-
uaderet. Pugnant enim pro aquarum diuisione, aded
vt sequantur cædes & fauciationes. Potentior ergo vi-
cus eius vicum inuasit, & venit virorū multitudo cum
lanceis & clavis, vt eius vicum excinderet. Adstitit au-
tem ei angelus reuelans eorum inuasionem. & accer-
sitis vici presbyteris, eis dicit. Exite, & ex hoc vico
occurrite eis qui veniunt contra vos, ne vos quoque
vnâ cum vico pereatis. & rogate eos vt desistant à pu-
gna. Territi autem presbyteri ei ad pedes procum-
bunt, eam rogantes & dicentes. Nos non audemus
eis ire obuiam. Scimus enim eorū temulentiam & pe-
tulantiam. Sed si facis misericordiam & in totū vicum
& in domum tuam, ipsa eis egredere obuiam. Illa autē
cum non assensu esset, veniens in suam domunculam,
stetit tota nocte orans & genu flectens, Deūmque ro-
gans, dicendo. Domine qui iudicas terram, cui nihil
placet quod est iniustum. Cum hæc ad te venerit ora-
tio, virtus tua eos sistat immobiles tanquam colum-
nam, vbicunque eos deprehenderit. Ij autē circa ho-
ram primam, à tribus miliaribus, in loco fixi tanquam
columna, labefactari non poterant. Illis quoque reue-
latum est quod illius intercessionibus factum est eis
impedimentum. Iſque ad vicum mittētes pacem pe-
tierunt,

*Stant qui-
dam immo-
biles ut la-
pis.*

tierunt, dicentes. Agite Deo gratias, & precibus Piamun quæ nos impederunt.

VITA ABBATIS PACHOMII.

& eorum qui cum ipso erant.

xxxviii. **T**Abennesis est locus qui sic vocatur in Thebaide. In quo fuit Pachomius Monachus, vir ex iis qui vixerunt in summo & perfecto vitæ instituto. aded vt is fuerit dignatus & futurorum prædictionibus & angelicis visionibus. Is fuit valde amans pauperum, & magna charitate in homines. Eo ergo sedente in hac spelunca, visus est ei angelus Domini, qui ei dicit. Pachomi. ea quidem quæ ad te pertinent rectè & ex virtute gessisti. Superuacaneè ergo sedes in hoc loco. Age ergo egredere, & congrega omnes iuniores monachos, & habita cum eis. & sequens formam quam dabo tibi, eis leges constitue. Eique dedit tabulam æneam, in qua hæc scripta fuerant. Concede vnicuique vt comedat & bibat pro viribus, & pro viribus comedentium, eis quoque manda opera quæ proportionē conueniant ac respondeant. & neque ieiunare prohibe nec comedere. Sic quidem fortibus fortia manda opera. imbecilla autem & leuia iis qui se magis exercent, & sunt imbecilliores. Fac autem diuersas cellas in eadem aula. & tres in cella maneant. Ab omnibus autem cibus in vna domo capiatur. Dormiant autem, non recumbentes, sed extructis sibi sedibus paulo supinioribus, & illic suis impositis stragulis dormiant sedentes. Noctu autem gestent lebitones lineos, succincti. Habeat vnusquisque ex his pellem ouillam albam laboratam. Absque ea neque come-

*Pachomius
vocatur di-
uinitus in
abbatem.*

*Nota quale
sit hoc man-
datum, vt
habeatur in
omnibus ra-
tio facultatis
singulo-
rum.*

*Regula mo-
nastica di-
uinitus da-
ta.*

*Die domi-
nica com-
municabāt*

*Cuculla mo-
nachorum.*

Cruz.

*Quomodo
admittendi
Hospites.*

Cuculla.

Cibus.

Orationes

dant, neque dormiant. Inredientes autem ad Christi communionem, sabbato & dominica zonas soluant: & pellem ouillam deponant. & cum sola cuculla ingrediantur. Fecit autem eis cucullas molles tanquam pueris: in quibus etiam iussit imponi figuram crucis purpureæ. Iussit autem esse viginti quatuor ordines fratrum, ex numero viginti quatuor literarum. præcepitque unicuique ordini imponere nomen elementum Græcum. ab A. B. & quæ deinceps sequuntur, vsque ad Ω. ut dum interrogat Archimandrita de aliquo in tanta multitudine, sciscitetur eum qui est ab eo secundus, quomodo se habet ordo A, aut quomodo se habet ordo B. Rursus saluta R, sequendo quoddam proprium nomen literarum: & simplicioribus quidem & sincerioribus impones nomen I. difficilioribus autem Z. & sic conuenienter institutis eorum & vitæ & moribus, unicuique ordini elementum literæ accommodabis. Solis spiritalibus intelligentibus ea quæ significantur. Scriptum autem erat in tabula. Si venerit hospes alterius monasterij quod habet aliam formam, cum eis nec comedat nec bibat, & nec ingrediatur in monasterium, nisi fuerit inuentus in via. Porro eum qui semel ingreditur, nec potest cum eis ad triennium sustinere certamen, non admittes. Sed cum opera fecerit difficiliora, sic prodeat in stadium post triennium. Comedentes autem velent capita cucullis: ne frater fratrem videat mandentem. Comedenti non licet loqui, nec extra quadram & mensam vsquam aliò oculos conuertere. Constituit autem ut per totum diem facerent duodecim orationes. & in nocturnis

vigiliis duodecim, & in matutino duodecim, & hora nona tres. Quando autem videretur comedendum esse multitudini, constituit ut vnusquisque ordo in vnaquaque oratione psalmum prius caneret. Cum autem magnus Pachomius contra angelum diceret, esse paucas orationes, ei dicit angelus. Has constitui, ut parui quoque possint procedere ad perficiendam regulam, nec eis sit molestum. Qui autem sunt perfecti, non opus habent ut leges eis ferantur. Nam cum per se sunt in cellis, totam suam vitam attribuunt contemplationi. His autem legem tuli, qui mentem minimè habent intelligentem, ut sicut serui contumaces, metu Domini totum vitæ institutum impleret, securè & libere degant. Cum hæc ordinasset angelus, & impleisset ministerium, recessit à magno Pachomio. Sunt autem hæc monasteria quæ formam hanc obtinuerunt, habentia virorum circiter septem millia. Est autem primum & magnum monasterium, in quo ipse habitat beatus Pachomius, quod alia peperit monasteria, continens numerum circiter mille quadringentorum virorum.

*Regula im-
becilliori-
bus quoque
debet esse
accommoda-
ta.*

VITA ABBATIS APHTONII.

INter quos est etiam seruus Dei qui vocatur Aphthonius, qui est mihi germanus ac sincerus amicus, qui nunc obtinet secundum locum in illo monasterio. Quem ut qui sit potens in Christo, firmusque ac stabilis, nec facile offendi possit, mittunt ad suos vsus Alexandriam. ut vendat quidem eorum opera, emat autem quæ sunt eis necessaria. Sunt autem alia quoque monasteria quæ constant ex ducentis

xxxix.

& trecentis animabus'. Atque in Spaniam quidem ingressus sum ciuitatem, in qua monasterium constat ex viris trecentis. Exercent autem omnem artem. & ex iis quæ supersunt', ædificant etiam mulierum monasteria, & custodias. Mane ergo surgentes ij quibus sua vice hoc munus obtingit, alij quidem sunt occupati in culina. alij verò versantur in mensis parâdis, mensæ imponentes panes & olera agrestia, oliuas, caseos, & comminuta olera. Atque ingrediuntur quidem qui minus sunt robusti, hora sexta, & comedunt, vt qui sint imbecilliores. Alij nona. Alij fero vespere. Alij post biduum. Alij post triduum. Alij post quadriduum. Alij post quinque dies. adeò vt vnumquodque elementum horam propriam significet. Sic autem erant eorum quoque opera. Alius quidem laborat in agro colendo. Alius in orto. Alius in pistri-no. Alius in æris officina. Alius in fabricando. Alius in consuendis calceis. Alius in pulchrè scribendo. Alius contexebat magnas sportas. Alius canistros & sportulas. Memoriter autem omnes expromunt scripturas. Horum est mulierum quoque monasterium circiter quadringètarum, quod habet eandem viuendi formam & idem institutum, præter pellem ouilam. Et sunt quidem mulieres trans fluuium Nilum. Viri autem ex aduerso earum. Si virgo autem obierit, reliquæ virgines cum eam ad sepulturam concinnauerint, efferunt, & eam ponunt ad ripam fluuij. Traiicientes autem fratres cum palmis & ramis oliuæ & psalmodia, eam transmittunt, & in suis monumentis sepeliunt. Præter presbyterium autem & diaconum

*Quis labor
monacho-
rum Pachomij.*

*Monasteriū
mulierum.*

*Sepultura
virginum.*

nullus transit ad monasterium foeminarum. idque die dominico.

*DE VIRGINE, DE QVA FVERAT
dictum falsum testimonium.*

IN hoc monasterio foeminarum hæc res accidit. Sutor secularis cum traiecisset per ignorantiam, quærebat opus. Egressa autem vna iunior quàm eius postularet ratio, est enim locus desertus, inuita eum conuenit, deditque ei responsum. Nos habemus nostros sutores. Alia autem quæ eius viderat colloquiū, cum processu temporis inter eas exorta esset contentio, ex diaboli suggestione, præ summa malitia & animi exandescencia, eam calumniata est apud fraternitatem propter id colloquium. Cum qua concurrerūt pauca quæ non adeò magna ferebantur malitia. Illa autem dolore confecta, vt quæ talem subiisset calumniam, quæ ne in eius quidem mētem venerat, nec rem potuisset tolerare, se clam iecit in fluuium, & sic obiit. Cum autem id sensisset ea quæ ipsam fuerat calumniata, & vidisset se malitiosè eam fuisse calumniatam, & fraternitati tantum attulisset dolorem, ipsa quoque se clam suffocauit, cum factum ægrè ferret. Cum autem venisset bresbyter, reliquæ virgines ei rem renūciauerunt. Iussit itaque pro nulla harum fieri oblationem. Eas autem quæ non pacem agebant, vt quæ consciæ erant illius quæ fuerat calumniata, & quæ dicta sunt crediderant, septennium segregauit, eas excommunicans. In hoc monasterio fuit alia virgo quæ propter Christum simulabat stultitiam, & se emotæ

*Quæ vis sit
murmuris
& calum-
niæ clau-
stralis.*

*Sacrificiū
non oblatū
pro despera-
tū.*

*Excommu-
nicatio.*

esse mentis præ se ferens, per hæc virtutem optimè exercuit, se in ea præclarè gerens, seque reddens abiectam & humilem. Hanc vsque adeò reliquæ sunt aspernatæ, vt nec cum ea quidem vescerentur, id illa excipiente cum lætitia. Discurrens itaque in culinam, exhibebat aliis omne genus ministerium, adeò vt nec horam quidem vnã intermitteret, sed tanquam ancilla seruiret. eratque hæc beata, vt dicitur, spongia monasterij, re vera implens id quod scriptum est in Euangelio. Qui vult inter vos esse magnus, sit omnium seruus, & omnium minister. Et rursus alibi. Si quis videtur esse inter vos sapiens in hoc seculo, sit stultus vt fiat sapiens. Atque aliarum quidem virginum erat eiusmodi habitus, vt essent tonsæ, & haberent cucullos in capite. Ipsa verò panno caput obuoluta, obibat earum omnium ministerium. Eam nulla ex trecentis vidit mandentem omnibus annis vitæ suæ. In mensa nunquam sedit. neque vnquam fragmentum panis comedit. sed micarum mensas spongia colligens, & ollas lauans, his erat contenta. Neque verò ea vnquam induit calceos, neque aliquem affecit contumelia. non murmurauit. non paruum vel magnum quid est locuta, etsi contumelia afficeretur & pugnis runderetur, & maledictis appeteretur, & plurimi eam abominarentur.

Matth. 2.
Marc. 10.
1. Cor. 3.

Virgines tō
sa & cucul
lata.

DE SANCTO PITIRVM.

XLI.

DE hac sancta, sancto Pitirum Anachoretæ, qui sedebat in Porphyrite, viro probatissimo in virtute exercitationis, adstitit reuelans angelus, qui ei

dixit. Cur tibi places & te magnificè circumspicis ob ea quæ à te rectè & ex virtute geruntur, vt qui sis pius & religiosus, & sedeas in hoc loco? Vis videre mulierem te magis piã ac religiosam? Abi in monasterium foeminarum Tabennesiotarum, & inuenies illic vnã quæ habet diadema in capite. ea est te melior, quæ cum tanta turba decertans, & omnibus indiscriminatim seruiens, cor nunquam abduxit à Deo, etsi ab omnibus superbè contemnatur. Tu autem etiam si hic sedeas, per vrbes tamen vagaris cogitatione, qui orbem habitabilem nunquam calcasti pedibus. Surgens autem magnus Pitirum, venit vsque ad monasterium Tabennesiotarum: & rogat magistros vt liceat ei transire vsque ad monasterium foeminarum. Vt qui esset ergo inter patres magnæ existimationis, & confenuisset in exercitatione, bono ac fidenti animo transmissio fluuio eum intro duxerunt. Cùm autem orassent, petiit magnus Pitirum vt virgines omnes coram ex facie videret. Cùm omnes ergo in medium accessissent, illa non apparuit. Tandem dicit eis sanctus Pitirum. Cunctas ad me adducite. Cùm autem dicerent, Adsumus omnes, dicit ei, Deest vnã quam ostendit mihi angelus: eæ verò dicunt. Vnã habemus Salem, quæ est in culina. Sic enim vocant illic eas quæ non sunt sanæ mentis. Dicit ei magnus. Illam quoque adducite. finite vt eam videam. Iuerunt itaque ad eam vocandam. Illa verò nequaquam obediit, vt quæ rem sentiret. Nam forte ipsi quoque fuerat reuelatum. Eam ergo vi trahunt, ipsi dicentes. Sanctus Pitirum vult te videre. erat enim is

S. Pitirum
adit virgī-
num mona-
sterium.

*Amma virgo à sororibus pro in-
sanababita,
omnibus ta-
men erat
sanctior.*

magni nominis. Ea ergo adducta, vidit magnus eius faciem, & pannum in capite & fronte eius, & cadens ad pedes eius, dicit ei. Benedic anima. Cadens autem ad pedes eius ipsa quoque dicebat. Tu mihi benedic Domine mi. Cùm hoc autem cunctæ vidissent, obstupuerunt, & ei dixerunt. Ne tibi fiat probrum ac vituperium. est enim Sale, eis dicit sanctus Pitirum, Vos estis sale. Hæc enim & me & vobis est melior: est Amma. sic enim vocant matres spiritales: & quæso vt ea dignus inueniar in hora iudicij. Eæ autem eum audiissent, ceciderunt ad pedes eius flentes, & confitentes omnes quòd beatam diuersis modis afficerent contumelia. alia quidem dicens, Ego hanc semper subsanabam. alia, Ego eius humilem habitum irridebam: & alia, Ego eam tacentem afficiebam contumelia. & rursus alia, Ego quadræ eluuiem sæpe in eam effudi. alia, Ego ei plagas infixi. alia rursus, Ego ea sum quæ ei pugnos incussi. alia rursus, Ego sinapio eius nares aspersi. & vt semel dicam significabant omnes se eam variis affecisse contumeliis. Cùm harum ergo confessionem accepisset sanctus Pitirum, & pro eis simul cum ipsa orasset, & diu esset consolatus venerandam Christi seruam, sic exiit. Paucis autem post diebus cùm ab omnibus valde honoraretur, & ab omnibus obseruaretur, non ferens beata gloriam & honorem quo afficiebatur ab omni fraternitate, & excusationes onus esse arbitrans, clam exiit ex monasterio: & quoniam iuerit, aut quem locum subierit, aut vbi obierit, nemo cognouit in hodiernum diem.

*Sic ne quis
secundū
faciem iudicet*

DE

DE ABBATE IOANNE VRBIS LYCO.

FVit quidam Ioannes in vrbe Lyco, qui à puero quidem didicit artem fabrilem, cui fuit frater tintor. Postea autem cùm esset circiter vigintiquinque annos natus: & cùm quinque annos versatus esset in monasterio, secessit solus in montem Lyco. & in cacumine montis factis sibi tribus tholis, ingressus, seipsum inædificauit. Atque erat quidem vnus tholus ad vsus carnis. vnus autem vbi operabatur. alius verò vbi orabat. Is cùm compleisset triginta annos, inclusus, & ab eo qui ei ministrabat, per fenestram accipiens quæ erant ad vsus necessaria, dignus est habitus gratia futurorum prædictionis. quem donum habere prophetiæ planum factum est ex operibus. Etenim cuncta quæ à Deo in mundum veniebant, in primis pio imperatori Theodosio prius significauit: & quæ rursus euentura erant prius annunciauit, nempe & tyrannorum in eum insurrectionem, & rursus velocem eorum interitum, & quæ in eum irruerant gentium deletionem. aded vt cùm quidam dux exercitus, ad eum venisset sciscitatum, an Æthiopes qui sunt in Syene esset superaturus, quæ quidem est principium Thebaidis: ij autem tunc irruperant, & eorum finitimam regionem vastauerant: ei autem dixisset Ioannes, Si ascenderis, eos comprehendes, vinctes, & subiunges, & clarus eris apud imperatores, id etiam factum est. & quæ acciderunt, confirmarunt eius prædictionem. Dicebat autem Christianissimum imperatorem esse morte sua moriturum. Habuit autem hic vir admira-

XLIII.
*Ioannes pri-
mum artis
fabrilis.*

*Ioannes do-
natur gra-
tia prophe-
tiæ.*

*Imperatori
Theodosio
euentū belli
prædicat.*

O

bilem quoque & quæ modum superabat, prophetiam, ut audiuius ex patribus qui ad eum ventitabant, quorum vita fuit probata apud omnes qui illic erant. Quod autem de eo nihil narrarint ad gratiam, sed minus quàm mereretur, hinc facile sciri potest. Nam cum ad eum venisset quidam tribunus, & supplex peteret ut permitteret uxorem suam ad eum venire, quæ multa passa fuerat, & volebat eum videre, ventura Syenem, ut pro ipsa prius oraret, & eam data benedictione dimitteret. Is autem qui iam quadraginta annis non viderat mulierem in spelunca, cum esset nonagenarius, & nec ipse vnquam esset egressus, nec sibi permitteret videre mulierem, recusabat videre eius uxorem. Sed nec vir vllus ad eum vnquam est ingressus. Solum enim benedicebat per fenestram, & salutabat eos qui accedebant, cum vnoquoque differens de eo quod volebat. Cum ergo instaret tribunus, rogans an iuberet suam venire coniugem, degebat enim in solitudine quinto ab vrbe lapide, is autem non annuisset, dicens id non posse fieri, tristem dimisit hominem. Vxor autem non cessabat die & nocte marito exhibere molestiam, & iureiurando affirmare se nusquam abituram nisi videret prophetam. Postquam autem beato Ioanni à marito renunciatum est iusiurandum uxoris, eius fide intellecta, dicit ad ipsum. Hac nocte ab ea videbor in somnis. nec amplius pergat in carne videre meam faciem. Vxori autem renunciavit maritus ea quæ pater dixerat. Videt autem mulier in somnis prophetam ad ipsam venientem. Cui dicit, Quid tibi mecum rei est mulier? Quid meam cupiisti videre fa-

Mulierem per multa tempora videre non passus est.

Videtur Ioannes in somnis ab uxore tribuni.

ciem? Num sum ego propheta, aut iusti locum obtineo? Homo sum peccator, & similiter atque vos patibilis: oravi tamen pro te & domo mariti tui, ut fiat vobis secundum fidem vestram. Ite ergo in pace. Et cum hæc dixisset, recessit. Cum autem excitata fuisset mulier, renunciauit marito verba prophetæ: & narrauit figuram & habitum: & per maritum ei misit agendas gratias. Cum eum autem vidisset beatus Ioannes, occupans ei dixit. Ecce impleui quod postulaueras. Eam enim videns, monui ne me videret amplius. Sed ite in pace. Alterius autem præpositi vxor absente marito ferebat vterum. Cum autem peperisset, eo ipso die quæ eius maritus conuenit patrem Ioannem, animi deliquio venit in periculum. Ei autem sanctus annunciauit, dicens. Si vidisses donum Dei, & quod tibi natus sit hodie filius, Deum glorificasses. Sed mater eius propemodum venit in periculum. Cum veneris igitur, inuenies infantem septem dies natum. Ei impone nomen Ioannes. cumque eum rectè educaueris, & ad annum septimum venerit, mitte eum ad monachos qui sunt in solitudine. Et hæc quidem ostendebat miracula iis qui veniebant ab exteris. Suis autem ciuibus propter suum usum assidue ad ipsum venientibus, & præsciebat & prædicebat futura. & quæ ab vnoquoque occultè facta fuerant, & de Nilo, & de futura anni fertilitate eis significabat. Similiter autem Dei quoque minas ad eos venientes prius annunciabat, & eius auctores arguebat. Atque ipse quidem beatus Ioannes non peragebat apertè curationes. Dans autem oleum, cura-

Prædicitur præposito absenti vxoris periculum.

Designatur monachus infans nondum natus.

Oleo Ioannes curabat.

uit multos ex iis qui laborabant. Senatorij enim cuiusdam viri vxor, quæ oculos amiserat, & habebat pupillas obductas albugine, rogauit maritum suum vt ad ipsum deduceretur. Cùm is autem diceret eum nunquam conuenisse mulierem, ea autem rogaret vt ipsi solum significaretur, & pro ipsa id efficeret, ille sic fecit, & misit oleum. Cùm tres autem dies solum inunxisset oculos, respexit, & Deo aperte egit gratias. Et quid opus est dicere de aliis eius operibus quæ ipsis oculis accepimus? Eramus enim septem fratres in solitudine Netriæ, ego & beatus Euagrius, & Albinus, & Ammonius. Quærebamus autem scire accuratè quænam esset huius viri virtus. Dixit autem magnus Euagrius. lubenter scirem ab aliquo qui norit examinare & mentem & orationem, cuiusnam modi sit vir. Si enim ego eum nõ potuero videre, eius autem vitæ institutum accuratè audire potuero alio narrante, discam, vt eum conueniã. Quod si non didicero, non ibo vsque ad montem. Cùm hoc autem audiissem, & nemini quidquã dixissem, quieui vnum diem, alio autem occlusi cellam. & cùm me Deo & ipsam commendassem, profectus sum vsq; ad Thebaidem. Cùm eò autem decem & octo dierũ spacio peruenissem, partim quidem pedibus, partim verò nauigando in flumine. erat autem tempus ascensus, in quo multi ægrotant, quod mihi quoque accidit. Cùm venissem autẽ, inueni clausum eius vestibulũ. Fratres enim posterius ædificauerunt maximum vestibulũ, quod capiebat viros circiter centũ. Quod claue claudentes, periebant sabbato & dominica. Cùm ergo didicissem causam propter

quam erat clausum, silentium egi vsque ad sabbatum. Et cùm venissem hora secunda, in congressione eum inueni assidentem in fenestra, per quã videbatur consolari eos qui accedebant. Cùm me autem salutasset, dixit per interpretem. Cuiusnam es, & cur venisti? cõiicio enim te esse ex conuentu Euagrii. Dixi autem me esse hospitem ex Galatia. & confessus summe esse ex sodalitate Euagrii. Interim autem dum loqueremur, ingressus est præses regionis, Alypius nomine. Ad quem accurrens, desit mecum colloqui. Cùm ergo parum secessissem, dedi eis locum eminus. Cùm essent autem collocuti diutius, tristitia sum affectus, & murmuravi aduersus venerabilem senem, quòd me quidem contempsisset, illum autem honorasset. & ob id animo conturbatus, in animo habebam eo contempto recedere. Vocato autem interprete Theodoro nomine, dicit ei. Vade. dic illi fratri vt æquo animo ferat. Iam dimitto præsidem. & eum alloquar. Visum est ergo mihi tolerãter ferre, vt qui anima aduertissem eum esse spiritalem. Cùm exiisset autem præses, me accersito dicit mihi. Cur contra me fuisti indignatus? Quid inuenisti quod te iure offenderet, quòd illa animo reputasti quæ neque mihi adsunt, neque te decet? An nescis scriptum esse. Non opus habent sani medico, sed malè habentes. Te, quando volo, inuenio, & tu me. & si te non fuero consolatus, alij te consolantur fratres & alij patres. Hic autem qui per mundana negocia erat deditus diabolo, & cùm breui temporis spacio respirasset, vt seruus qui aufugit à Domino, accessit vt aliquam caperet vtilitatem. Absurdum ergo

Ne insipientem murmurat quis, quasi contemptus.

*cc Mat. 9.
cc Mar. 10.
Luc. 5.*

Quibuscũ maxime colloquentum.

fuiſſet vt eo relicto tecum verſarer, cum tu aſſiduè vaces ſaluti. Cum eum ergo rogaffem vt pro me oraret, exploratum habui eum eſſe virum ſpiritalem. Tunc vrbane mecum iocās, cum ſiniſtram maxillam mihi ſenſim pulſaſſet, dicit. Multæ te manent afflictiones: & graua bella paſſus es vt exires è ſolitudine: timorè-que affectus es, & diſtulifti. pios autem prætextus & rationi conſentaneos afferens dæmon, te ſuſcitatur. Tibi enim ſuggeſſit & patris tui deſiderium, & fratris tui & ſororis tuæ in vita monaſticæ inſtitutionem. Ecce ergo bonum tibi affero nuncium. Ambo ſalui ſunt. mundo enim renunciarunt. & pater tuus eſt adhuc victurus ſeptem annos. Eſto ergo forti & conſtanti animo in ſolitudine, nec eorum cauſa velis abire in patriam. Scriptum eſt enim, Nemo qui manum admo-
Luc. 9. 22 uit aratro & eſt conuerſus, eſt aptus regno cœlorum. Ex his ergo verbis adiutus & ſatis roboratus, Deo egi gratias, cum intellexi eos qui me agebāt prætextus eſſe peractos. Deinde ruſus mihi dicit vrbane mecum iocans, Vis fieri epiſcopus? Dixi autem, Nequaquam. Sum enim. Is autem mihi dicit, Vbi? Dixi ego, In coquinis. in penu. in menſis. in doliis. Ea diligenter inſpicio. etſi vinū acuerit, id ſegrego. bonum autem bibo. Similiter ollam quoque diligenter inſpicio. etſi ſal defuerit vel condimenti aliquid, eam condio. & ſic eam comedo. Hic eſt meus epiſcopatus, mea, inquā, inſpectio. me enim ad eum delegit gula. Is verò dixit ſubridens. Mitte ridicula. Futurum eſt vt eligaris epiſcopus, & multum labores, & affligaris. Si ergo fugis afflictiones, ne ex eas è ſolitudine. In ſolitudine enim

*Culinarius
epiſcopus.*

nemo te poteſt ordinare epiſcopum. Ego autem eius verborum ſum oblitus. Tribus enim poſt annis & ſplene & ſtomacho laboraui. Illinc autem à fratribus miſſus ſum Alexandria, timens ne fierem hydropicus. Ab Alexandria autem conſuluerunt medici vt aëris gratia irem in Palæſtinam. habet enim, quod ad meam attinet temperaturam, ſubtilem aërem. A Palæſtina autem veni in Bithyniam. & in ea neſcio quomodo, an humano ſtudio, an potentiore voluntate, Deus ſcit, dignus habitus ſum ordinatione, quæ meas vires ſuperat, in eum caſum incidens quem Ioannes prædixerat. Et vndecim mēſibus latens in cella tenebroſa, recordatus ſum illius beati qui mihi prædixit ea quæ paſſus ſum. Porro autem hoc quoque mihi narrabat, tanquam profuturus ad hoc vt per narrationem me deduceret ad patienter ferendam ſolitudinem. Quadraginta annos verſor in hac cella. Non vidi faciem ſceminæ non vllum nummum. non vidi aliquem mandentem. non comedentē nec bibentem me vidit aliquis. Cum ergo ab eo reſceſſiſſam, veni in ſolitudinem in loco conſueto, hæc omnia narrans beatis patribus, qui poſt duos menſes venerunt & ſunt cum eo collocuti, iique hæc nobis narrarunt. Cum ad eum veniſſemus, læto vultu nos excepit & ſalutauit, ſe hilarem vnicuique oſtēdens. Rogabamus autem eum vt ſtatim pro nobis perageret orationem. eſt enim hic mos patribus qui ſunt in Ægypto. Is autem nos interrogauit nū inter nos eſſet clericus aliquis. Poſtquam autem omnes nō eſſe diximus, nos omnes circūſpiciēs, agnouit eum qui erat occultus. erat autem vnus ex nobis qui dignus fuerat

*Diaconima
num oscula
1107 Ioannes*

habitus diaconatu, cum esset vnus frater eius rei conscius. cui etiam præcepit vt nemini diceret. Qui causa humilitatis & in talium patrum comparatione, vix se dignum censebat Christiani appellatione, tantum abest vt alicuius dignitatis. Manu ergo eum ostendens, dicebat omnibus. Hic est diaconus. Cùm is autem assiduè negaret, & latere conaretur, è fenestra eius manum apprehensam osculatus est, & admonens eum hortatus est, dicens. Ne irritam facias gratiam Dei filii. ne mentiaris donum Dei inficiens. Mendacium enim alienum est à Christianis, & siue sit in re magna, siue in parua, non est tamen laudabile, cùm dicat Seruator, Mendicium est à malo. Is verò conuictus tacuit, accipiens paternam eius reprehensionem. Cùm preces autem compleuissimus, vnus frater ex nobis, quem iam tertiana febris vehemens tenebat, rogabat vt curaretur. Cùm autem dixisset frater, ei conferre afflictionem propter exiguam quæ ei inest fidem, tradens tamen oleum iussit eum inungi. Cùm is autem se vnxisset, quidquid intus habebat per os emisit, & à febre omnino liberatus, propriis pedibus recessit ad hospitium. Licebat autem videre hominem nonagenarium toto corpore ita afflictum, vt præ exercitatione ne barba quidem nata esset in facie. Nihil enim aliud comedebat quam fructus. Idque post solis occasum in summa senectute, cùm se prius multum exercuisset, & neque panem sumpsisset, neque aliquid ex iis quæ igni admota veniunt in vsum. Cùm ipse autem nos iussisset sedere, Deo agimus gratias quòd eius fruermur congressione. Is autem cùm tanquam germanos suos

1047.8.

*oleo curam
1107 febricitans.*

suos filios longo tempore accepisset, ridenti vultu hæc nobis est locutus. Vndenam ô filii, & ex quânam regione ad hominem abiectum & humilem accessistis? Postquam autem diximus patriam, & adiecit. Pro vtilitate animarum nostrarum ad vos venimus ab Hierusalem, vt quod auditione acceperamus, id cerneremus oculis. Sunt enim aures minus fideles oculis. & auditionem quidem sæpe consequitur obliuio: rei autem visæ non deletur memoria: sed menti quodammodo imprimitur historia. Ad nos ergo dixit beatus Ioannes. Et quid mirandum visuri ô filii charissimi, tantum itineris & laboris tolerantibus huc venistis, homines abiectos & humiles videre cupientes, qui nihil habent spectatu dignum nec admiratu? Vbi que autem sunt admirandi & laude digni Dei propheta & apostoli, qui leguntur in ecclesiis, quos oportet imitari. Valde autem miror, inquit, vestrum studium, quemadmodum tot contemptis periculis, ad nos venistis propter vtilitatem, cùm nos præfocordia ne ex ipsa quidè spelunca velimus progredi. Sed age nunc, inquit, etiam si res vestra sit laude digna, ne tanquam re aliqua præclare gesta, vobis sufficere putetis. Sed imitemini virtutes quas patres vestri persequuntur. Quòd si etiam omnes possederitis, quòd quidem est rarum, ne sic quidè vobis ipsis credideritis. Quidam enim qui sic confiderunt, & ad ipsum virtutum fastigium peruenerunt, tandem ex alto ceciderunt. Sed videte num preces vestrae se rectè habeant: num conturbata sit cordis vestri puritas: num mens vestra inter orandum sit occupata aliis negociis: num ali-

*Exhortatio
nes Ioannis.*

qua alia mentem subiens cogitatio, auertat ad aliquid aliud: num aliqua cogitatorum memoria animo exhibeat molestiam. Videte num mundo verè renuntiastis: num ingressi estis tanquam nostram speculantes libertatem: num ad vanam gloriam vestras virtutes venamini, vt ad ostentationem videamini hominibus nostra opera imitantes. Videte ne vobis facefat negocium animi perturbatio, ne honor & gloria & laus humana: ne rerum sacrarum curæ simulatio, aut amor proprius. Ne putetis vos esse iustos: neque de iustitiâ gloriemini. ne propter virtutes efferamini. Ne orantibus cognationis memoria animo insideat. Ne memoria cõmiserationis, aut alicuius alterius rei, neque ipsius vniuersi mundi vobis succurrat. Sin minus: res efficitur vanitas, quando quis Dominũ alloquens, deorsum impellitur ab iis quæ ex aduerso trahunt cogitationibus. Hæc autem mentis prolapsio vnicuique accidit qui hunc mundum non omnino abnegauit, sed venatur vt ei placeat. Per multa enim quæ aggreditur, eius mentem diuidunt curæ corporeæ & terrestres: & dum deinceps disputat cum animi perturbationibus, non potest Deum videre. Sed nemo ipsam cognitionem debet accuratè & exactè contemplari. ne si forte fuerit indignus tali possessione, & eius aliquam partem fuerit consecutus, existimet se totum comprehendisse, & omnino labatur in interitum. Sed oportet semper moderatè & piè ad Deum accedere, quantum potest vnusquisque mente progredi, & quantum possunt homines consequi. Oportet ergo mentem eorum qui Deum quærunt, ocium agere ab aliis

Deo maxime vacandum.

omnibus. Vacate enim & cognoscite, inquit, quod ego sum Deus. Qui ergo Dei cognitionem ex parte est consecutus, vniuersam enim nemo potest accipere, consequitur quoque aliorum omnium cognitionem: & videt mysteria Dei illa ei ostendentis & præuidet futura: & contemplatur reuelationes, quales sancti: & efficit virtutes: & obtinet à Deo omnem petitionem. Alia quoque multa dixit de exercitatione. & quòd oportet expectare mortem tanquam vitam bonæ translationis, & nõ imbecillitatem intueri corporeâ: & nec vel quibuslibet obuiis implere vètram. Nam qui, inquit, fuerit satiatus, eadem capit consilia quæ ij qui viuunt in deliciis: sed tètare oportet per exercitationem etiam appetitionum parare impatibilitatem. Nec quærat aliquis ea quæ sunt parata, & animi relaxationem: sed nunc sit imbecillus afflictusque & oppressus, vt regni Dei latitudinis possideat hæreditatè. Oportet enim nos per multas afflictiones intrare in regnũ Dei. Est enim, inquit, angusta porta, & arcta via quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui eam inueniant. & Lata est via quæ ducit ad perditionem: & multi sunt qui ingrediuntur per eam. Et oportet, inquit, nos hic contènere, cum paulo pòst eamus ad vitam æternã. nec oportet aliquã efferri ob ea quæ rectè à se gesta sunt, sed semper esse humilem, & longiores persequi solitudines, quãdo senserit se efferri. Habitatio enim propinqua vicis, eos etiã qui erant perfecti sæpe offendit. Quod etiam psallit David cui tale quid acciderat. Ecce elongaui fugiens, & habitauì in solitudine. Expectabam eum qui saluũ me facit à pusillani-

*Psal. 14.
Math. 7.*

Psal. 34.

mitate & tempestate. Hoc autem accidit multis quo- que ex nostris fratribus, & propter arrogantiam ex- ciderunt à scopo.

NARRATIO ABBATIS IOANNIS
de eo qui lapsus est.

XLIII.

Ne quis si-
bi ipsi con-
fidat, &
in propriis
virtutibus
glorietur.

Spectrum
mulieris ad-
mittitur in
speluncam.

ERat enim, inquit, quidam monachus, qui in pro- pinqua solitudine degebat in spelunca, & omnem ostenderat exercitationem, & propriis manibus panem sibi quærebat. Postquam autem permansit in orationibus, & profecit virtutibus, in seipso deinceps habuit fiducia, fretus pulchro suæ vitæ instituto. Qui autem tentat, eum quoque, sicut Iob, expetiit ad tentandum: & ei vespere præbet phantasia formosæ mulieris errantis per solitudinem. Quæ cum ostium inuenisset apertum, ingressa est speluncam. & procumbens ad viri genua, petiit vt sibi illic liceret quiescere, vt pote quod nox eam apprehendisset. Ille autem cum eius esset misertus, quod quidem non debuit, eam admisit in speluncam: & de errore illam est percontatus. Illa verò & narravit: & blanda ac fallacia verba insperfit: & sermonem diu cum eo protraxit. Eum autem sensim nescio quomodo pelliciebat ad amorem. pluraque deinceps verba inter se conferunt. ridéntque ac subrident. eumque ipsa multo sermone seduxit, & deinde contrestatione manus & genæ & ceruicis: & tandem exercitorem redegit in seruitutem. Cum autem ille internis versaretur cogitationibus, deinde vt qui iam rem haberet in manibus, reputans opportunitatem & voluptatis explen-

dæ securitatē, cogitationi assentitur, & tentat cum ea habere consuetudinem, vt qui iam euasisset insipiens & equus in foeminas insaniens. Illa verò cum repente magna voce exclamasset, euasit euanesceus ex eius manibus non secus ac vmbra aliqua. Risus autem in aëre auditur multorum dæmonum qui ipsum increpabant, & in fraudem induxerant, & magna voce ad ipsum clamabant. Qui se exaltat, humiliabitur. Tu autem vsque ad coelos quidem es exaltatus, humiliatus verò es vsque ad abyffos. Exinde surgit manè nocturnum luctum attrahens: & cum totum diem trans- egisset in lamentatione, sua desperata salute, quod nō debuit, in mundum reuersus est. Hoc est enim maligni studium, vt quando quempiam irriserit, eum redigat ad insipientiam, vt non possit deinceps surgere. Vnde ô filij, non est nobis conducibilis propinqua vicis habitatio: neque mulierum collocutio, vt ex quibus oriatur memoria quæ non potest deleri, quam ex visu attrahimus & collocutione. Sed neque debemus animum despondere, & nos ipsos detrudere ad desperationem. Iam enim iam ij quoque qui non spem abiecerunt, non fuerunt priuati Dei misericordis clementia.

Luc. 14.
Ne quis de-
speret, sed
penitentiam
aget.

Caveat mo-
nachus mu-
lierum col-
locutiones.

DE FRATRE QUI DVCTVS FVIT POENI-
tentiæ, eiusdem Abbatis Ioannis narratio.

ERat enim, inquit, alius adolescens in ciuitate, qui xlv. multa mala fecerat, & grauius peccauerat. Qui Dei nutu, propter multa peccata compunctus, veniēs ad sepulchra, priorem suam vitam defleuit, pronus

cadens in faciem, & nō audens vocem emittere, nec Deum nominare, neque supplicare, ipsa quoque vita seipsum indignum existimans. Et cū ante mortem se inclusisset in sepulchris mortuorum, & suam vitam diceret, gemebat ex profundo cordis. Cum iam autem ab eo tempore præterisset hebdomada, noctu ei adstunt dæmones, qui eius vitæ prius damnū attulerant, clamantes & dicentes. Vbi est ille scelestus & profanus, qui libidinibus & lasciuis exatiatus, nunc nobis intempestivus, temperans & honestus repente apparuit: & quando non potest amplius, tunc vult esse Christianus & probis compositisque moribus? Ecquidnam tibi boni amplius futurum expectas, cū sis nostris malis impletus? Non hinc cito exurges? Non venies ad ea quæ sunt nobiscum consueta? Te manent scorta & caupones. Non venies, & frueris cupidinibus, cū sit cuncta alia tibi spes extincta? Velox ad te omnino veniet iudicium, qui sic teipsum perimis. & cur miser festinas ad supplicium? Cur autem contendis tibi pœnas citius infligere? Multaque alia dicentes. Noster es. in nostrum ordinem es relatus. exercuisti omnem iniquitatem. Tu es nobis omnibus obnoxius, & audes fugere? Non assentieris? Non respondebis? Non simul egredieris? Postquam autem ille constans in fletibus, ne aures quidem eis præbebat, & nec verbum respondebat eum diu urgentibus dæmonibus: postquam, inquam, nihil effecerunt, eadem sæpe illi dicentes, acceperunt eum mali & turpes dæmones, & totum eius corpus malè multarunt, eum grauitè flagris cædentes. & cū eum grauitè tor-

*Dæmones
insultant
pœnitenti.*

fissent, abierunt eo relicto semimortuo. Ille autē nihilo fecius immobilis iacebat vbi eū reliquerunt, rursus gemens postquā animum collegerat. Cū autē eius necessarij eū inuestigassent & inuenissent, & causam eius quod ipsius corpori acciderat didicissent, rogabāt eum vt domū rediret. Is autē cū vim ei sæpe attulissent, restitit. Rursus autē sequenti nocte eum iisdem de causis peius quam prius affecerunt dæmones. & ne sic quidem eius consanguinei ei persuadent vt emigret. dicens fatius esse mori quam viuere in talibus vitæ maculis. Tertia nox propemodum fecit vt excederet ab hominibus, cū crudelibus tormentis in eum inuasissent dæmones, & eum vexassent vsque ad extremum spiritum. Postquam autem viderunt eum non concessisse, recesserunt homine relicto exanimi. Recedentes itaque exclamarunt, dicentes. Vicisti. vicisti. vicisti. Neque ei amplius aliquid mali occurrit: sed in purissimo sepulchro purè habitauit dum vixit, puram exercens virtutem. Is Deo quoque fuit preciosus, & virtutibus, & miraculorum effectionibus. adè vt & multos in admirationem induxerit, & ad zelum adduxerit & æmulationem honestorum institutorum. Hinc factū est vt multi quoque ex iis qui de se valde desperauerant, bonas actiones aggressi sint, & se rectè gesserint. eisque factum est id quod dicit scriptura. Omnis qui seipsum humiliat, ex-

Resistit diabolo & fugiet à vobis

Luc. 14.

cc

ALIA NARRATIO ABBATIS

Ioannis, De eo qui lapsus, ductus
est penitentia.

XLVI.

FVit enim alius quoque monachus qui vltiorem occuparat solitudinem, & multis annis se rectè & ex virtutè gesserat. Qui cùm esset deinceps senio affectus, tentabatur à dæmonum insidiis. Silentium enim valde amplectebatur exercitator: & in orationibus & hymnis & multis contemplationibus diem transigebat: & visiones quasdam videbat, partim quidem vigilans, partim verò etiam in somnis. & somni propemodum expers tenebatur à vita incorporea. non terram plantans: neque victus vllam curam gerens: neque in plâtis quærens quod egenti præberet corpori. Sed neque auium aucupium, neq; vllū animal persequabatur: sed fiducia plenus, ex quo ex regione habitabili illuc migrarat, nullam habebat rationem vt ei permaneret corpus nutritum. sed omnium oblitus, se perfecto sustinebat in Deum desiderio, expectans vocationem, & ex hoc mundo migrationem: & vt plurimum quidem alebatur delectatione eorum quæ nō ceruntur & sperantur. & neque diurnitate ei corpus liquebatur: neque mœrebat tristisque erat anima: sed in quodam honesto ac venerando statu bonum habeat habitum. Verum enimvero Deus eum honorans, post prolixū temporis interuallum, dabat ei super mensam panem duorum vel trium dierū, vt & videretur, & esset, & eo vteretur. & ingrediens in speluncam, quando sentiebat corpus indigere, inueniebat nutrimentum. & cùm adorasset & cibum sumpisset, hymnis rursus fruebatur,

Donatur
quotidiano
pane diuinitus.

tur,

tur, perseuerans in precibus & contemplatione, indies germinans, & se tradens præsentī virtuti & futuræ spei, semper magis magisque progrediens. & ferè iam de meliori sua sorte confidebat, tanquam iam eā haberet in manibus. quod etiam fuit ei causa lapsus, cum propemodum exciderit per eam quæ ipsum postea inuasit tērationem. Quid enim non dicimus eius eum qui propè fuit casum? Postquam enim ad hanc processit cogitationem, paulatim imprudens eo deuenit vt existimaret se esse pluris quam alios, & iam maius quid possidere quam alij homines. & cùm talis esset, iam deinceps in seipso habuit fiduciam. Ei ergo gignitur haud ita diu pèst primum parua quædam animi remissio, vt ne videretur quidē esse remissio. Deinde oritur maior negligentia, quæ deinde eousque progressa est vt sentiretur. Nam & ex somno tardius surgebat ad hymnos: & erant preces paulo ociosiores, nec hymnus adeò prolixus: & dicit ei anima se velle requiescere: & mens ei annuit: & fluctuabant & vagabatur ei cogitationes: & iam occultè aliquid absurdum meditabatur. sed prior assuefactio adhuc exercitorem quodāmodo abducebat, veluti quidam motus ex priori illa incitatione. & eum interim conseruabat. Et aliquando post solitas preces ingressus vesperè, inuenit panē super mēsam, qui eis suppeditabatur diuinitus: & se refecit. quo tempore nec illas execrabiles abiecit cogitationes. neque reputauit animam lædi à contemptione: neque conuersus est ad quærendam mali curationem. sed parum duxit parum abesse quomin⁹ excideret ab iis quæ decet facere. Amor ita-

Quantum
hominis a se
quim sarr-
Etismo ad
ferat elatio
detrimentum.

Q

que cupiditatis eum raptum cogitatione in regionē abduxit habitabilem. Cū se tamē interim cohibuisset in diem sequentem, ad consuetam conuersus exercitationem, cū orasset & hymnos dixisset, ingressus speluncam, inuenit quidem panem sibi appositum, sed non tam diligenter confectum nec tam purum, sed sordidum & inquinatum. Qui etsi esset id admiratus, & tristitia affectus, sumpsit tamē, & se refecit. Successit tertia nox, & triplex malum addidit. Et enim mens eius cito irrupit in cogitationes. Ita autem erat ei affecta memoria, vt videretur vnā cum eo adesse foemina & simul accumbere. & eam rem habebat in oculis, & eam veluti facere perseuerabat. Egressus tamen est tertio quoque die ad opus, & preces, & hymnos: sed non habens amplius mundas cogitationes. sed frequenter conuersus, in altum tollebat oculos, eos huc & illuc torquens. eius enim pulchrum opus interrompebant memoriæ cupiditatum. Vespere ergo reuersus pane indigens, illum quidem inuenit in mensa, veluti corrosum à muribus aut canibus, & foris siccas quasdam reliquias. Tunc ingemiscit quidem & lachrymatu: sed non quantum satis esset ad coercendam nequitiam. Nutritusque, non quantum volebat, se parabat ad quietem. Eum autē aceruatim inuaserunt cogitationes, eum vndique circundantes: & eius mētem oppugnant, & captiuum statim in mundum abducunt. Surgens autem iuit versus regionem quæ habitatur, ingrediens noctu per solitudinē. Cū autem dies eum apprehēdisset, & quæ habitatur regio adhuc procul abesset, & eum æstus affligeret, defessus

*Privatur
pane qui de
sit deo famulari.*

est. Vndiquaque autem in orbem considerans circumspicit, an alicubi appareret monasterium, in quod ingressus requiesceret. quod etiam accidit, eum excipiētibus quibusdam piis & fidelibus fratribus. qui cum eum tanquam patrem germanum aspexissent, vultum eius & pedes lauerunt: & cū orassent, mensam apposuerunt: & rogarunt vt quæ erant apposita sumeret cum charitate. Postquam autem se refecit, postularunt fratres vt verbum salutis ab eo acciperent, & quānam ratione possent seruari à laqueis diaboli, & quemadmodum superarent turpes cogitationes. Is autem ipsos tanquam pater filios admonens, hortabatur vt essent fortes & constantes in laboribus, vt qui essent paulopost in summa quiete collocādi. Multa quoque alia cum eis differēs de exercitatione, eos valde iuuit. Cū autē cessasset ab admonitione, & se parum percollegisset, considerabat quemadmodum alios admonens, se non admonebat nec corrigebat. & se esse vitium intelligens, cursu rursus rediit in solitudinem, seipsum deflens, & dicēs. Nisi quia Dominus mihi opem tulit, propemodum in inferno habitauit anima mea. Propemodum in omne malum sum redactus. propemodum me in terra confecerunt. Et in eo factum est quod dictū est, Frater qui à fratre adiuuatur, est tanquā vrbs munita & excelsa, & tanquam murus qui non potest corruere. Quanquam abhinc toto vitæ tempore luxit perpetuò, multatus mēsa quæ ei dabatur diuinitus, & panem suum quærens cum labore. Nam cū se in spelunca inclusisset, & sibi faccum & cinerem substrauisset, non prius è terra surrexit, nec

Psal. 93.

Prover. 18.

*Penitentia
lappi.*

cessavit flere, quam vocem angeli audiisset ei dicentē in somnis. Accepit Dominus tuam pœnitentiam, & tui est misertus: deinceps autē vide ne decipiaris. Ad te enim venient fratres quos admonuisti, & afferēt ad te benedictiones. quas cum acceperis, vesceris cum ipsis, & perpetuò Deo ages gratias. Hęc ergo vobis narraui ô filij, vt humilitatem exerceatis, seu in paruis seu in magnis esse videamini. Hoc est enim primū præceptum Seruatoris qui dicit. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. & ne decipiamini à dæmonibus qui vobis visa & phantasias excitant. Sed si quis ad vos venerit, aut frater, aut amicus, aut mulier, aut pater, aut magister, aut mater, aut soror, primum extendite manus ad orationem. & si sit phantasma, fugiet à vobis. Et si vos decipiant dæmones aut homines, vobis assentantes & laudantes, ne eis pareatis, nec mente efferamini. Nam me quoque sæpe noctu sic deceperunt dæmones. & neque me sinebant orare nec quiescere, quasdam mihi phantasias præbentes tota nocte: & manè illudētes humi procumbebāt, dicentes. Condone nobis Abba, quòd tibi labores præbeamus tota nocte. Ego autem dicebā, Disceditē à me omnes qui operamini iniquitatem: ne tentetis feruum Domini. Quare vos quoque ô filij, quietem persequamini, vos semper exercentes ad contemplationem: vt puram possideatis mentem Deum rogantes. Nam ille quoque est bonus exercitator, qui assiduè in mundo exercetur, & in honestis occupatur actionibus. qui humanitatem ostendit & clementiam, hospitalitatēque & charitatem, & facit eleemosy-

Mat. 6.

»

»

Psal. 6.

»

»

Quæ vita
melior acti-
ua in contē-
platiua.

nas, & bene facit aduenientibus, & opem fert laborantibus, & permanet citra vllam offensionem. Est quidem hic quoque vade bonus. Versatur enim in actione, & præcepta exequitur: sed in rebus terrenis occupatur. His quidem certè præstantior est & maior qui versatur in contemplatione, qui à rebus agendis se transfert ad intelligentiam, eas res aliis relinquens providendas. Ipse autem & seipso abnegato, & sui oblitus, scrutatur cœlestia, Deo omnium solutus & expeditus assistens, à nulla autē alia cura retro auulsus. Qui est enim huiusmodi, vnà cum Deo degit: vnà cum Deo versatur, assiduis hymnis Deum semper celebrans. Noui enim ego hominem in solitudine, qui decem annos cibi terreni nihil gustauit. sed ei angelus tertio quoque die cœlestem cibum ad eum afferebat, & ei in os iniiciebat. isque erat ei instar cibi & potus. Scio quoque ad hūc hominem in phantasia venisse dæmones, ostendentes angelicos exercitus, & currus ignis, & multos satellites tanquam alicuius regis venientis: & ei dicentes, In omnibus te rectè & ex virtute gessisti ô homo. De cætero me adora: & tanquam Eliam te assumam. Dicebat autē apud se monachus. Adoro quotidie regem meum & seruatorem: & si hic esset ille, non hoc à me peteret. Postquam autem ei dixit quod habebat in animo. Dominum meū & regem habeo, Deum, quem semper adoro: tu autem nō es rex meus: ille protinus euanuit. Hęc autem tanquam de alio differens, instituta vitæ suæ & res gestas volebat celare. Qui autem vnà cum eo erant patres, eū dicebant hęc vidisse. Hęc & alia multa nobis

Cibus cœlestis.

Dæmones in specie sanctorum Angelorum.

narrans beatus Ioannes, & tres dies ad nonam vsque differens, nostras curauit animas. Cùm autem dedisset nobis benedictiones, iussit ire in pace, nobis quoque dicta quadam prophetia. Hodie, aiebat, venerūt Alexādriam epinicia maximè pij Theodosij, propter de medio sublatum tyrannum Eugenium: & oportet imperatorē mori morte propria. quod quidē re vera ita fieri contigit. Licebat autem cernere multitudinē eorum qui cum ipso erant monachorum, in ecclesia, veluti quosdam iustorum choros, lucidis vestibus indutos, & hymnis assiduis Deum glorificantes. Postquam autem multos quoque alios patres vidimus, venerunt fratres nobis annunciantes consummatū esse beatum Ioannem modo quodam admirabili. Nam cùm iussisset vt tres dies neminem sinerent ad se venire, genibus flexis ad orationem, consummatus est, ad Deum veniens. Cui gloria in secula.

DE POEMANIE.

XLVII.

IS quoque cum Christi ancilla Poëmanie, quæ ad Ieum videndum accesserat, non est quidem collocutus: significauit autem ei quoque quædam arcana. Ei autem præcepit, dicens. Descendens à Thebaide, ne deflectas Alexandriam. quando quidem futurum est vt cadas in tentationes. Ea autem magni Ioannis prædictionem vel nihili ducēs, vel eius oblita, deflexit Alexandriam vt videret ciuitatem. In itinere autem prope urbem Niciæ, ad eam accesserunt naues quiescendi gratia. Egressi autem famuli, ex quadam insolentia cum illius loci habitatoribus, amentibus & profli-

gatis hominibus, manus conseruerunt. Qui quidem vnus quidem eunuchi digitum secuerunt: alium autem occiderunt: Dionysium autem sanctissimum episcopum, influuium, ignorantes, proiecerūt: & illam ipsam conuitiis & maledictis impetierunt: & reliquos omnes seruos fauciarunt.

VITA ABBATIS AMMONA,
& eorum qui cum ipso erant.

Vidimus autem alium quoque virum Thebaide, XLVIII.
nomine Ammonam, patrem ter mille monachorum. quos etiam nominabat Tabennesiotas, qui habebant magnum vitæ agendæ institutum. vt qui & ouillas penes ferrent: & vultu tecto comederent: & se deorsum inclinantes, ne quis eos aspiceret: & tantum exercerent silentium, vt viderentur esse in solitudine, vnoquoque occulte peragente suum vitæ institutum: solum autem sepcie quadam in mensa sederent, conantes se inuicem latere. Aliqui enim ex his semel vel bis manum ori admouebant, tangentes panem vel oleum, vel aliquid ex iis quæ erant apposita. & cum de vnoquoque obsonio semel gustassent, contenti erant hoc alimento. Alij autem panem sensim mandentes, alia autem accipiētes citra simulationem, sic perseuerabant. Alij autem ius tantum ter gustabant: à reliquis autem abstinebant. quæ cùm, vt erat consentaneum, essem admiratus, non prætermisi eam quæ ex eis capitur utilitatem.

Regula Tabennesiotarum.

XLIX.

Vidimus autem alium quoque senem, qui lenitate superabat omnes homines, nomine abbatem Be, De quo affirmabant, fratres qui apud ipsum versabantur, eum nunquam iurasse, nunquam de aliquo mentitum esse, neque aliquo verbo increpasse. neque iratum fuisse. erat enim eius vita valde quietā, & mores mansueti, vt qui statum haberet angelicum. Erat autem valde quoque humilis, & seipsum vilipendens. Cū nos autem multum rogaremus, vt adhortatorium nobis sermonem diceret, vix in animū induxit vt nobis pauca differeret de māfuetudine. Is, cum Hippopotamus aliquando vastaret vicinam regionem, stans propter fluuium, rogatus ab agricolis, visa belua ingentis magnitudinis, ei præcepit, dicēs. Denuncio tibi in nomine Iesu Christi, ne amplius vastes hanc regionem. Illa autem tanquam ab angelo loco pulsa, omnino euanuit. Sic etiam aliquando abegit crocodilum.

*Bellua gra-
santi im-
perat Ab-
bas Be.*

L. Vidimus etiam alium nō procul à ciuitate, in solitudine, nomine Theona, virum sanctum, in domuncula seorsum inclusum, qui tempore xxx. annorū silentium exercuerat. Is cū plurimas virtutes perageret, habebatur ab eis pro propheta. Exhibat enim ad ipsum multitudo ægrotantium, quibus manus imponēs per fenestrā, dimittebat eos abire saluos. Licebat enim videre ipsum habentem vultum Angeli, læ-

*Silentium
30. anni ob-
seruatum.*

tis

tis oculis, & totum plenum maxima gratia. Is, cū non multo antè tempore latrones eum noctu inuasissent, existimantes se multum auri apud eum inuenturos, & vellent eum occidere, precatus est. & manserunt immobiles ad portas eius vsque ad matutinum. Cū turbæ autem manè ad eum accessissent, & eos igni mandare in animo haberent, vnum tantum verbum ad eos est locutus. Sinite eos abire sanos. Sin minus: à me fugiet gratia curationum. Ij verò ipsum audierunt. non audebant enim contra eū dicere. & protinus abire latrones ad ea quæ erāt circumcirca monasteria, mutati moribus, & de iis quæ fecerant ducti pœnitentia. Erat autem vir eruditus in triplici gratia sermonum, in scriptis Romanis, Græcis, & Ægyptiacis, sicut à multis & ab illo ipso audimus. Cū enim nos agnouisset esse hospites, scribens in tabella, Deo propter nos egit gratias. Comedebat autem semina non cocta. Noctu autem, vt aiunt, egrediebatur è cella, & congregabatur cum feris: & eas potabat ex ea quam habebat aqua. Erat enim videre vestigia bubalorum, & onagrorum, & quarundam caprearum, circa eius monastarium, quibus semper delectabatur.

*Latrones
redduntur
immobiles.*

*Theon. do-
ctus in ge-
nere lingua-
rum discer-
so.*

LII. Vidimus autem alium quoque senem in solitudine Antinoi, quæ est metropolis Thebaidis, Eliam nomine, qui natus erat centum & decem annos. Super eum dicebant spiritum Eliæ prophetæ requiuisse. Erat enim valde celebratus, vt qui in terribili illa solitudine egisset septuaginta annos. Non potest

R

autem oratio pro dignitate narrare asperam illam solitudinem, quæ est in monte in quo ille sedebat, nunquam descendens in eam quæ habitatur regionem. Est enim quædam semita eorum qui ad ipsum accedunt eiusmodi, ut vix possint insistere vestigiis ij qui accedunt. Erat autem sedens sub quadam petra in spelunca, adeò ut ipsum quoque videre esset formidabile. Tremebat autem iam totus, ut quæ senectus opprimeret. Multa autem signa quotidie peragebat, nec cessabat mederi ægrotantibus. Dicebant autem qui apud ipsum erant patres, neminem meminisse eius ascensus in montem. Comedebat autem in senectute tres uncias panis, & tres oleas vespere. In iuventute autem semper semel comedebat in hebdomada.

*Ieiunium
mirabile.*

VITA ABBATIS APOLLO.

LII.

Vidimus autem alium quoque virum sanctum in Thebaide, in finibus Hermipolis. in quam Seruator venit cum sancta Maria & Ioseph, implens prophetiam Esaie quæ dicit. Ecce Dominus sedet super nubem leuem: & veniet in Ægyptum. & quantientur manufacta Ægypti à facie eius, & cadent in terram. Vidimus enim illic quoque templum, in quo, ingresso urbem Seruatore, ceciderunt omnia simulachra in faciem super terram. Vidimus autem illic in solitudine, virum Apollo nomine, qui monasteria habebat super montem. Erat enim pater monachorum circiter quingentorum, qui erat valde clarus & celebratus in Thebaide: erantque eius magna opera: & magnas virtutes per eum faciebat Dominus. & plurima signa & admirabilia per eum efficiebantur. Hic

*Simulachra
Ægypti ad
ingressum
seruatoris
corruerunt.*

enim cum à pueritia multam ostendisset exercitationem, in perfecta ætate talem est consecutus gratiam. Cum enim esset octogenarius, sibi magnum congregavit monasterium virorum perfectorum, qui poterant omnes ferè signa efficere. Is cum quindecim annos natus à mundo secessisset, & quadraginta annos in solitudine transegisset, & in ea omnem virtutem exercuisset: visus est postea audire Dei vocem dicentis ei. Apollo, Apollo, Per te sapientiam sapientum in Ægypto, & prudentiam stultarum gentium abolebo. Perdes autem mihi cum eis etiam sapientes Babylonis: & de medio tolles omnem cultum dæmoniacum. & nunc vade in eam quæ habitatur regionem. Generabis enim mihi populum peculiarem, æmulatorem bonorum operum. Is autem respondens, dixit. Aufer à me Domine arrogantiam: ne forte elatus supra fraternitatem, multer omni bono opere. Ei autem rursus dixit vox diuina. Mitte manum tuam super collum tuum: & deinde pones eam, & infodies in arena. Is autem cum statim manum misisset super collum, apprehendit paruum Æthiopem: & eum infodit in arena clamantem, & dicentem, Ego sum dæmon superbia. Et rursus facta est vox ad eum, dicens. Vade: quoniã quod à Deo petieris, accipies. Is autem cum primùm hoc audisset, profectus est in eam quæ habitatur regionem, tẽpore Iuliani tyranni. & tunc venit in propinquã solitudinem. Cum quandam autem parua occupasset spelũcam, manebat subter montem. Eius autem opus erat toto diurno spacio preces edere: noctu quidem cõtines: interdum autem toties, flexis genibus.

Dæmon superbia.

*Quod opus
fuerit
Apolliniano.*

Eius autem alimentum tunc quoque sicut prius, admirabili & præter opinionem ratione à Deo suppeditabatur. Ei enim in solitudine per angelum afferebatur nutrimentum. Eius autem indumentum erat lebiton, & paruum linteum in eius capite. Hæc enim ei manebant in solitudine, nec veterascebant. Erat autem in solitudine propinqua terræ quæ habitatur, faciens signa & virtutes admirabiles in virtute spiritus. quas propter miraculi insignem magnitudinem nemo potest omnes dicere, sicut audiimus à senibus qui cum eo versabantur, qui ipsi quoque erant viri perfecti, & præerant multis fratribus. Fuit itaque protinus clarus ac celebratus, tanquam novus aliquis propheta vel apostolus qui venisset nostro seculo. & cum magna fama de eo sparsa esset, omnes qui circumcirca habitabant monachi, semper ad eum veniebant, & tanquam patri germano, dona suas offerebant animas. Is autem alios quidem hortabatur ad contemplationem. alios verò instituebat ut persequerentur virtutem quæ versatur in actione. primum ostendens opere ea quæ ipsos facere admo-
nebat sermone. Sæpe enim eis ostendens exercitationem, dominica solum cum eis versabatur. ipse quidem non amplius sumens quàm olera quæ sua sponte nascuntur in terra. nō panem interim vel legumen, non ex fructibus arborum aliquid comedens, nec quæcunque igni admota veniunt in usus hominum. Cum autem tempore Iuliani aliquando audisset, fratrem in exercitu captum vinctum teneri in custodia, accessit ad eum cum fraternitate, rogans eum & ad-

*A nullo tem-
pore Iuliani.*

monens ut esset fortis & constans in laboribus, & despiceret pericula sibi imminencia. Dicit enim esse sibi tempus certaminum, ut tunc quoque mens eius probetur insultu tentationum. Postquam autem his verbis eius animum confirmavit, adueniēs Tribunus, qui quodam sceleris ferebatur impetu, cum quidam ei de ipsis significasset, clausis portis custodiae, & ipsum, & omnes qui cum eo erant, monachos inclusit, tanquam futuros aptos ad militiam. & cum eis quot satis essent custodes constituisset, domum rediit, nec auditione quidem ab eis rogari sustinens. Media autem nocte, lampadem ferens angelus apparet custodibus, lumine illustrans omnes qui erant in carcere, adeo ut præ stupore hiantes starent custodes. Qui cum surrexissent, eos rogarunt ut omnes abirent, reus aper-
tis ianuis. Fatebantur enim esse fatius pro illis mori, quam quæ ad eos diuinitus venisset libertatem, qui citra rationem detinebantur, desplicere. Tribunus itaque cum magistratibus, manè veniens in custodiam, contendebat ut viri egrederentur è ciuitate. Dicebat enim domum suam cecidisse terræ motu, & è suis seruis optimos oppressisse. Ij autem postquam audierunt, Deo gratias agentes, abierunt in solitudinem: erantque omnes simul, ut dicit Apostolus, habentes cor vnum & vnā animam. Docebat autem quotidie ornari virtutibus, & machinas diaboli in cogitationibus in principio protinus propulsare. Contrito enim capite serpentis, totum corpus est mortuum. Iubet enim Deus ut obseruemus caput serpentis. Id autē est, nē in principio admittamus malas & turpes cogita-
“ Act. 4.

*Tribunus
vult cogere
monachos
ad militiam.*

tionem. non solum vt obscenas animi nostri phantasias deleamus. Conari autem nos inuicem superare virtutibus: & ne quis in his laudibus altero videatur inferior. Hoc autem, inquit, sit vobis argumentum, profectus virtutum, quando fueritis vacui affectionibus & appetitionibus. hæc enim sunt Christi donorum principium. Quando autem à Deo habuerit aliquis ostensionem miraculorum, ne nimium intumescat, nec efferatur cogitatione, tanquam sit iã magis honoratus quàm alij. neque vt ostentans quòd talem gratiam acceperit. Sin minus: seipsum decipit mente captus, & gratia multabitur. Habuit ergo hæc magnam doctrinam in sermonibus, quam nos quoq; sæpe postea ab ipso audiuius. In operibus autem, efficiebat maiora. Omnis enim petitio ei statim dabatur à Deo. Quinetiam videbat quasdam reuelationes. Vidit enim suum fratrem natu maximum, qui ipse quoque fuerat cõsummatus in solitudine, & ipso pulchro vitæ instituto eum superauerat, cum quo ipse quoque longo tempore vixit in solitudine. Videbatur ergo eum videre sedentem in eodem throno cum apostolis, cum ei reliquisset suarum virtutum hæreditatem. & sic pro ipso intercedebat, Deum rogans, vt esset velox eius translatio. Visus est autẽ ei dixisse Seruator, oportere eum adhuc paruo tẽpore esse in terra ad multorum perfectionem, donec multi fiant eius virtutis æmulatores. Magnus enim monachorũ populus crederetur eius fidei, & pius exercitus, vt gloriam dignam laboribus consequatur à potẽtiore. Hæc vidit, quæ etiam euenerunt. Nam cum multi vndique ex

Reuelationes facte
S. Apollinisi.

auditione ad eum conuenissent monachi, & per eius doctrinam & conuersationem plurimi omnino mundo renunciaissent, facta est fratrum cohabitatio, cum ad quingenti fratres simul apud ipsum communem vitam haberent & vnã mensam, tota veste candidati. & in eis impleta est scriptura quæ dicit. *Lætare desertum sitiens. erumpe & clama quæ non parturis: quoniam multi sunt filij desertæ magis quàm virum habentis. Nam impletum quidem est hoc eloquium propheticum ex ecclesia quæ congregata est ex gentibus. Perfectum est autem in hac etiam Ægyptiaca solitudine, quæ plures filios Deo exhibet quàm terra quæ est habitata. Vbi enim sunt in vrbibus tot greges eorum qui salui fiunt, quot Deo exhibent quæ sunt in Ægypto solitudines? Quot sunt enim hic populi, tot sunt illic in desertis monachi. Ac mihi videtur dictum Apostoli etiam in ipsis esse impletum. Vbi enim abundauit peccatum, superabundauit & gratia. Abundauit enim in Ægypto multus & impius idolorum cultus, adeò vt in nulla gente magis. Canes enim & simias & quædam colebant alia, & allia & cepe: & ex vilibus oleribus multa Deos existimabant. vt ipsum sanctum patrem hæc narrantem audiuius, & reddentem causam prioris ignorationis. Nam bouem quidem aiebat in Deos referebant gentes quæ prius apud nos habitabant. quoniam per ipsum exercentes agriculturam, victum sibi parabant. aquã autem Nili, quoniã irrigat omnes agros. Terram quoq; colebant vt quæ esset aliis omnibus regionibus fertilior. Reli-*

“ *Esai. 54.*

“

“

Cur Deus
tot monachos
in Ægypto
pro suscitauit.

Rom. 5.

Vnde in Aegyptio tam multorum.
 quas autem abominationes, canes & simias, & reliquam omnem animantium & olerum colebant turpitudinem, quatenus eorum usus fuit eis occasio salutis, qui tempore Pharaonis homines occupatos tenuit, quando ille Israëlem persequens submersus est. Vnusquisque enim id in quo fuit occupatus, cum Pharaonem non esset secutus, hoc in Deos retulit, dicens. Hoc fuit mihi Deus hodie, per quod effectum est ut non perirem vna cum Pharaone. Hæc quidem in sermonibus habuit sanctus Apollo. Ante sermones autem scribendum est quæ possedit in operibus. Fuerunt enim aliquando gentiles propè accolentes in locis omnibus: & decem pagi & qui erant ei propinquiores, magis colebant dæmones. Erat autem templum maximum in vno vico, & simulachrum maximè insigne. Ligna autem erat hæc statua. Pompam autem ducebant, eam per vicos circumferentes sacerdotes, qui bacchabantur cum multitudine, veluti pro aqua fluuiatili celebrantes mysteria. Accidit autem ut illo tempore illic adesset Apollo cum paucis quibusdam fratribus. Postquam autem vidit multitudinem repente dæmoniacè furentem per regionem, flexis Seruatori genibus, fecit omnes gentiles repente immobiles. Cum autem non possent ex illo loco progredi, alius alium trudentes, & astu toto die torrerentur, ignorantes vnde hoc eis euenisset, sacerdotes eorum dixerunt esse quendam Christianum habitantem in eorum finibus sub similitudine, qui hæc faceret, dicens de Apollo: & oportere ei supplicare. Sin minus: fore ut veniant in periculum. Postquam autem qui procul habitabant, auditis

*Gentiles red-
duntur im-
mobiles.*

Imbecillitas idolorum.

tis clamoribus & lamentationibus, accesserunt, & eos rogarunt, Quidnam est, dicentes, quod vobis repente accidit: quo pacto hoc factum est? Illi autem dixerunt se nescire, nisi quod virum habebant suspectum, dicentes oportere illum placare. alij verò testabantur se eum vidisse accedentem: & sic rogarunt eos ut eis citò daretur auxilium, adductis bobus conati sunt mouere simulachrum. Id autem manebat tanquam immobile cum ipsis sacerdotibus. Cum nullam ergo euadendi rationem inuenissent, miserunt per accolam legationem ad Apollo, ut illinc liberati ab errore recederent. His autem Apollo significatis, celerrimè descendit homo Dei: & cum orasset, omnes soluit à vinculo. Hi autem omnes vno animo ad ipsum processerunt, vniuersorum seruatori credentes & Deo qui facit admirabilia, idolo protinus igni mandato. Quos omnes catechesi institutos adiecit ecclesiis. Multi autem ex his in hodiernum vsque diem degunt in monasteriis. Huius autem rei fama peruasit in omnes partes: & multi crediderunt in Dominum. adeò ut nullus amplius gentilis nominetur in eius finibus. Non multo post autem tempore, duo pagi inter se bellum incipiunt committere, pro agris decertantes. Postquam autem est Apollo renunciatum, statim ad eos descendit, inter eos pacem conciliaturus. Qui erant autem ex parte aduersa non parebant, sed contra dicebant, freti vno latronum principe, ut viro ad bellum præstantissimo. Cum eum ergo Apollo vidisset contra dicentem, dixit ei. Si parueris, ô amice, rogabo Dominum meum ut tua peccata remittantur. Is autem vbi hoc

*Latro con-
uertitur.*

audiuit, non cunctatus, abiectis armis, eius genibus aduolutus supplicauit: & pace facta eius intercessione, suos remisit ad propria. Cum ij autem pacem egissent, & abiissent, insignis eorum propugnator, Apollo de cætero sequebatur, promissum apertè exigens. Quem cum assumpsisset beatus Apollo in propinqua solitudine, admonuit & hortatus, est vt patienti & cōstanti esset animo, posse enim Deum ei condonare. Vbi autem nox aduenit, ambo viderunt in somnis se astare ante tribunal Christi. Vtrique autem cōtemplabātur angelos Deum vnà cum iustis adorantes. Cumque ipsi vnà cum eis procubuissent, patrem adorauerunt: & vox ad eos facta est Dei dicentis. Quæ est societas luci cum tenebris? aut quæ pars est fidelis cum infideli? Quid verò stat cum iusto homicida, cum sit indignus tali contemplatione? Tu autem abi ô homo. tibi enim est concessus huic tardè natus perfuga. Qui cum alia multa vidissent & audiissent admirabilia, quæ neque audet oratio dicere, neque auris audire, excitati annunciarunt iis qui cū eis conuersabantur. Omnes autem maxima inuasit admiratio, vtrisque vnam narrantibus visionem. Permanit autem cum exercitatoribus, is qui non erat amplius homicida, vsque ad mortem vitam suam corrigens, ex lupo in simplicem & innocentem agnum mutatus. In eo quoque impleta est Esaiæ prophetia, dicentis. Lupi & agni simul pascuntur. & leo & bos simul comedent paleas. licebat enim illic quoque videre Æthiopes cum monachis se exercentes, & multos virtutibus superantes, & scripturam in eis impletam, quæ dicit. Æthiopia

Esai. 65.

,,

præueniet manum eius Deo. Aliquando autem decertabant gentiles aduersus Christianos rusticos propriis finibus. erat autem multitudo vtrorumque armatorum. quibus adstitit Apollo pacem inter eos conciliās. Ei autem restitit gētilium in pugna princeps, qui erat vir gravis & sæuus, affirmabat autem & dicebat se non esse daturum pacem vsque ad mortem. Is autem ei dicit, Atque adeò tibi fiat quod elegisti. Nullus enim præter te occidetur. Tibi autem mortuo non erit terra sepuchrum, sed ventres ferarum & vulturū te implebūtur. Atque adeò oratio effectum protinus est sortita, cum ex vtraque parte nullus sit interfectus præter principem. Quem etiam cum in arena tumulassent, manè inuenerūt membra laniata ab hyænis & vulturibus. Illi autem cum vidissent miraculum, & euentum eius quod dixerat, omnes Seruatorem deprecantes, eum prædicabant prophetam. Erat autem antea in montis spelunca sanctus Apollo cum quinque aliis fratribus, qui primi fuerunt eius discipuli cum recēter venisset è solitudine. Cum autem aduentasset dies festus Paschæ, & Dei cultum impleissent, erant esuri ea quæ inueniebantur. erant autem aliquot sicci panes, & quædam olera reposita. Eis autem dixit Apollo. Si sumus fideles ô filij, & germani Christi filij: petat vnusquisque vestrum à Deo id quod eius animo gratum est ad vescendum. Illi verò ei vniuersum permiserunt, existimantes se esse indignos tali gratia. Cum læto autem vultu orasset, & omnes dixissent Amen, protinus noctu venerunt in speluncam quidam viri penitus incogniti, qui dicebant

Psal. 67.

Princeps negans se daturum pacem ipse solus occidetur.

Cibi diuini tuis dati.

se venire à longinqua regione: & omnia ferebant, ea etiam de quibus ne auditione quidem acceperant, & quæ non nascuntur in Ægypto, orti fructus omnis generis, vvas & mala punica, & ficus intèpestiuas. quin etiam quosdam inuentos mellis fauos, & vnam recentis lactis. & nicolaos panes maximos, & puros lupinos è regione externa. Ij autem qui ea attulerant, cum solum modo tradidissent, tanquam missi à viro magno & diuite, protinus properè recesserunt. Cum quæ erant autem esculenta percepissent, ea illis suffecerunt vsque ad Pentecosten. a deò vt ipsi quoque mirarentur & dicerent fuisse ea verè à Deo missa. Quidam autè ex monachis rogabat patrem vt statim Deum pro ipso oraret, vt gratiam aliquam consequeretur. Cum ipse autem orasset, ei datur gratia humilitatis & mansuetudinis, adeò vt mirarentur omnes eum esse tam mansuetum. Has autem eius virtutes narrarunt nobis qui cum ipso erant fratres, hæc multis quoque attestantibus fratribus. Et enim cum non multo antè tempore fuisset aliquando fames in Thebaide: qui autem ea loca accolebant populi audiissent, quòd qui erant apud eum monachi, præter spem omnem & opinionem alerentur: vno animo apud ipsum aderant cum vxoribus & liberis, simul benedictionem petentes & alimentum. Is autè nihil veritus ne cibus ei aliquando deesset, dabat omnibus venientibus, vnicuique quod in diem sufficeret. Relictis autem tribus folis magnis sportis cum panibus, & fame inualecente, iubet sportas afferri in medium, quas ipso die erant esuri monachi: & audientibus omnibus fratribus & po-

Nicolaus ab Augusto appellatus fuit placenta qua donata ei fuerant à Nicolao, qui Damasci habitabat, qui etià scripsit ad Herodem Iudæorum Regem de gentibus mirabilibus. Ex bibliotheca Phoenicij.

In tempore famis populum pascit.

puli multitudine, dixit magna voce. Non potens est manus Domini hæc implere? Hæc autem dicit spiritus sanctus. Non deficiet panis ex his sportis, donec nouo frumento fuerimus satiati. Et affirmarunt omnes qui tunc aderant, eis panes suffecisse quatuor menses. Similiter autem & in oleo & frumento. adeò vt veniret Satanas, & ei diceret, Num tu es Elias, aut alius ex prophetis & apostolis, quòd hæc facias? Is autem dixit ipsi. Quid enim? Non homines sancti fuerunt apostoli & prophetæ, qui hæc nobis tradiderunt? Antuc quidem aderat Deus, nunc autem peregrè est profectus? Potest autem Deus hæc semper facere, & nihil erit quod ipse non possit. Si ergo Deus est bonus: cur tu malus? Quid vero non oportet nos quoque dicere ea quæ vidimus? nempe quòd fratres ingrediebantur cum sportis, ad mensas panes afferentes, & cum comederent quingenti fratres ad satietatem, eas rursus plenas accipiebant? Aliud quoque miraculum, quod videntes obstupuimus, par est dicere. Cum enim ad eos venissemus spacio trium dierum, cogniti sumus, procul visi à fratribus, qui ex eo audierat de nostro ad eos aduentu, qui quidem properè accurrentes nobis venerunt obuiâ, psallentes. est enim hic mos apud omnes monachos. & cum proni in terrâ adorassent, nos deosculati sunt, nos sibi inuicem ostendentes, & dicentes. Ecce venerunt fratres, de quibus pater noster dixit tribus antè diebus, dicendo, Post tres dies venient ad nos fratres, venientes Hierosolymis. Et alij quidem nos deducebant. alij verò nos retrò sequebantur, psallentes, donec prope ipsum venimus. Cum au-

Non deficiet panis sportis

Non est peregrè profectus Deus, vt non eadem faciat.

Aliud miraculum.

tem audiisset pater vocem pfallentium, venit nobis obuia, vt mos ei erat erga omnes fratres. & cum nos vidisset, adorauit primus se in terra extendens. & cum surrexisset, est osculatus. & postquam introduxisset, orauit: & pedes nostros manibus lauit propriis, & hortatus est ad refectioē. Hoc autem faciebat omnibus fratribus qui ad ipsum veniebant. Qui enim cum ipso erant fratres, alimentum non prius accipiebant quam eucharistiæ Christi communicassent. Hoc autē faciebāt hora nona diei. Deinde cum sic comedissent, sedebant audientes eum docentem omnia præcepta, vsque ad primum somnum. Illinc alij quidem ex ipsis secedebant in solitudinem, scripturas tota nocte memoriter expromentes. Alij verò illic perseuerabant, assiduis hymnis Deum laudātes, ad diem vsque. quos ego vidi his oculis, cum vespere hymnos cœpissent, vsque ad matutinum non cessasse à cantu. Multi certè ex iis hora nona solum descendebant de mōte: & Eucharistiam sumentes, rursus ascendebant, contenti spiritali nutrimento vsque ad aliam nonam. Hoc autem multi ex iis faciebant multos dies. Licebat autem eos videre exultantes in solitudine. adeò vt nullam eiusmodi aliam exultationē in terra videre liceat, nec lætiam corpoream. Neque enim erat inter eos aliquis moestus aut tristis. Sed si quis videbatur præ se ferre tristitiam, statim pater Apollo ex eo rogabat causam, & quæ erant in occulto vniuscuiusque cordis renunciabat. Dicebat autem, Non oportet esse tristes propter salutem, cum futuri simus hæredes regni cælorum. Tristes autem, inquit, erunt gentiles: flebunt Iu-

*Eucharistia
communio.*

*Exhortatio
ves abbatris
Apollinis.*

dæi. lugebunt peccatores. Iusti autem lætabuntur. Et qui terrena quidam animo agitant, lætantur in rebus terrenis. nos autem qui tanta spe digni sumus habiti, quemadmodum non lætamur perpetuò? cum nobis Apostolus suadeat vt semper lætemur, & ore-mus sine intermissione. Quis autem dixerit eius in sermone gratiam, & reliquas eius virtutes, quas propter summum miraculum siluimus, auditas vtique ex ipso & ex aliis? Cum autem de exercitatione & vitæ instituto nobiscum sæpe seorsum differuisset, sæpe etiam dixit de suscipiendis monachis, quòd oportet adorare fratres aduenientes. Non enim ipsos, aiebat, sed Deum adorasti. Vidisti enim, inquit, fratrem tuum. vidisti Dominum Deum tuum. & hoc, inquit, ab Abraham accepimus. & quod oporteat, inquit, nonnūquam cogere fratres ad refectioem, à Lot accepimus qui cœgit angelos. & quòd oportet, si fieri potest, monachos quotidie communicare sacramentis. Qui enim se ab eis procul amouet, Deus quoque procul ab eo recedit. Qui autem hoc facit assidue, assidue suscipit Seruatorem. Est enim, inquit, vox salutaris, Qui comedit carnem meam, & bibit meum sanguinem, manet in me, & ego in eo. Hoc cōfert monachis salutaris passionis cōmemorationem cōtinenter facientibus, quotidie etiam se præparare, vt omni ex parte digni sint qui suscipiant cœlestia sacramēta: quādoquidem sic quoque consequimur remissionem peccatorum. Catholica autem & generalia ieiunia non licet soluere sine ingenti necessitate. In quarta enim fetia traditur Seruator: & in parasceue crucifigitur.

1. Thess. 5.

*Cogendi aliquando
hospites ad
refectioē.*

Gen. 18.

Gen. 19.

*Quotidie cō
municabāt.*

cc Ioan. 6.

cc

Eucharistia

Per sacramentum altaris cōsequimur remissionem peccatorum.

*Ieiunata ca-
tholica quar-
ta & sexta
feria.*

Qui ea ergo soluit, seruatorem vnà tradit, & vnà crucifigit. Sed si ad vos veniat frater qui opus habet vt reficiatur cùm sit ieiuniũ, ipsi soli mensam apponite. Sin autem nolit: ne cogatis. Habemus enim communem traditionem. Multum autem reprehendebat eos qui ferrũ gestabant, & comam nutriebãt. Hi enim, inquit, se ostentãt & quærunt placere hominibus. cùm oporteat ipsos potius corp^o soluere ieiuniis, & quod bonũ est facere in occulto. Ij verò nõ sic, sed se propalãt omnib^o. Et quid opus pluribus? Omnis enim eius doctrina est eius vitæ instituto similis. quã nec qui scribere potuerit nec dicere. Plurima ergo nobiscum seorsum tota sæpe hebdomada differendo, tandẽ dimittens dixit. Habete pacẽ inter vos. ne separemini in via. Cùm autem dixisset iis qui cum ipso erant fratribus, quisnã ex ipsis vellet nos deducere, sanctus Apollo tribus viris delectis, qui valerẽt & sermone & vitæ instituto, erantque peritilinguæ Græcæ & Romanæ & Ægyptiacæ, cum eis nos dimittens, iussit eis ne nos prius relinquere, quàm satisfactum esset nostro videndorum patrum desiderio. quos si quis vellet omnes videre, ad eos aspiciendos tota vita non sufficeret. Cùm nobis ergo benedixisset, amandauit, dicens. Bene dicat vos Dominus ex Sion: & videatis bona Hierusalem omnibus diebus vitæ vestrę. Nobis autem ambulanti- bus meridie per solitudinem, videmus tractum magni draconis, qui tãquam trabes erat protractus per arenam. Quem cũ vidissemus, nos magnus timor inuasit. Qui autem nos ducebant fratres, hortati sunt ne timere- mus, sed essemus bono animo, & sequeremur draco-

nis

nis vestigium. Videbitis enim fidem nostram, cùm ipsi simus eum manu nostra superaturi. Multos enim, inquit, & dracones & cerastas manu interfecimus, sicut scriptum est. In eis enim implebatur illud. Dedit vobis potestatem ambulandi super serpentes & scorpiones, & super omnem potestatem inimici. Nos autem qui ferebamur incredulitate, & maiori eramus affecti formidine, rogabamus eos ne iremus per vestigia draconis, sed recta via. Vnus autem frater ex ipsis, magna animi alacritate, cum nos eo in loco dimisisset, profectus est in solitudinem, quærens beluam. Quam cùm inuenisset nõ procul ab antro, magna voce exclamat draconem esse in spelunca: & vocabat ipsos, vt ad se venirent visuri quid esset euenturum. & hortantibus nos aliis fratribus ne timeremus, cum magno metu abiimus visuri beluam. Nobis autem repente occurrens frater vnus, manu nos traxit in suum monasterium, dicens nos nõ posse ferre impetum beluæ, & maximè quòd nõdum vidissemus talem beluam & tam vasta magnitudine, vt quæ sit plus quàm quindecim cubitorum. Cùm nos ergo iussisset manere in loco, abiit ad fratrem, dicens ei vt recederet à cauerna. conabatur enim ille à loco non recedere, priusquam interfecisset draconem. Cui cùm persuasisset, eum ducit ad nos increpãtem modicam nostram fidem. Quiescentes autem apud illum fratrem, qui circiter vnum milliare remotum habebat monasterium, satis refecti sumus. Ille autem nobis narrabat, in illo loco in quo ipse sedebat fuisse virum sanctum, cuius ipse fuit discipulus, nomine Amun, qui in

Luc. 10.

cc

cc

*Vita Abba-
tis Amun.
LIII.*

T

illo loco plurimas fecit virtutes. ad quem sæpe latrones venientes, accipiebant eius panem & alimenta. Hæc ergo ægrè ferens, cum vno die egressus esset in solitudinem, adduxit secum duos magnos dracones, & iussit eis vt in eo loco manerent, & portam custodirent. Homicidæ autem cum pro more venissent, & vidissent miraculum, præ stupore hiantes ceciderunt in faciem. Egressus autem inuenit eos mutos & ferè semimortuos. & cum eos excitasset, probris eos afficit, dicens. Videte quantum estis bestiis agrestiores. Nam isti quidem propter Deum nostræ parent voluntati. Vos autem neq; Deum timuistis. neque Christianorum estis reueriti religionem. Introductis autem eis in cellam mensam apposuit, & monuit vt mores mutarent. Illi autem surgentes, protinus multis visi sunt meliores. non multo post autem ipsi quoque visi sunt eadem signa facere. Aliquando autem, inquit, cum vnus magnus draco propinquam vastaret regionem, & multa occideret animalia, quicunque habitabant iuxta solitudinem, omnes simul venerunt ad patrem, rogantes vt deleteretur belua ex eorum regione. Is autem eos ita dimisit, vt qui eis tristitia affectis nihil prodesset. Manè autem surgēs, venit in eum locum quo transitura erat belua. Postquam autem ter flexit genua ad orationem, in ipsum veniebat belua, magno cum stridore grauem emittēs anhelitum, & intumescens ac sibilans, tetrūmque edēs spiritum. Is autem nihil territus, ad draconem cōuersus, dixit. Vincet te Iesus Christus, filius Dei viui, qui est magnum draconem victurus. Idque cum dixisset, proti-

Duo dracones portæ monasterij custodas.

Draco disruptus presbiter abbas Amun.

nus disruptus est draco, per os omne virus euomēs, cum sanguine. Cū autem venissent rustici postridie, & illud magnum vidissent miraculum, & nō ferrent spiritum, in animal multam arenam congesserūt, patre illic eis adstante. ad draconem enim licet mortuum, non audebant accedere. Puer autem, inquit, pascēs cum repente vidisset adhuc viuum draconem, statim emota mente fuit exanimatus. Iacuit itaque puer nihil spirans in loco tota die in solitudine. Cū eum autem sui vespere inuenissent parum spirantem, totum inflatum ex ecstasi, deducunt ad patrem, ignorantem causam eius quod acciderat. Cū is autem orasset, & eum vnxisset oleo, surrexit puer narrans id quod fuerat deprehensum. Quare vir maximè motus, ad interimendum draconem est conuersus.

Oleo curabat.

VITA ABBATIS COPRE
presbyteri.

ERat autem illic quidam presbyter, qui monasterium propè habebat in solitudine, Copres nomine, vir sanctus, propè octogenarius, qui ipse quoque plures faciebat virtutes, morbis medēs, & multas faciens curationes, & dæmones expellens, & res multas efficiens, atque adeò quasdam in nostris oculis. Is ergo postquam nos vidit, salutauit, & pro nobis orauit, & postquam pedes nostros lauisset, suscitatus est à nobis quænam in mundo fierent. nos autem rogauimus vt ipse nobis potius exponeret sui vitæ instituti virtutes, & quo modo ei Deus est donatus largitus, & quānā ratione fuisset particeps eius gratiæ.

Is autem nulla eo nomine elatus superbia, nobis suam vitam narrauit, & maiorum suorum qui ipsum superarunt, quorum ipse vitæ institutum est imitatus. Nō est, inquit, ō fili, quod à me fit admirabile, si conferatur cum iis quæ in vita gesta sunt à patribus nostris. Et cum narraret nobis Copres presbyter quæ rectè & ex virtute gesta fuerāt à patribus, vnus ex fratribus nostris dormitans, vt qui iis quæ dicebantur fidem nequaquam haberet, videt in eius manibus librum admirabilem scriptum literis aureis, & canum virum adstantem, & minaciter ei dicentem. Non audis attentè lecturam, sed dormitas? Is autem conturbatus, nobis eum audientibus statim quod viderat Romanè exposuit. Eo autem hæc nobis adhuc dicēte, venit quidam rusticus habens cyathum arenæ, qui expectabat donec impleffet narrationem. rogauimus autem nos presbyterum, Quid sibi vult rusticus cum arena? nobis respondit pater, dicens. Filioli mei, Non oportebat me gloriari apud vos, neque ea enunciare quæ gesta sunt à patribus: ne mente elati amittamus mercedem. propter studium autem vestrum & vtilitatem, quod tam procul ad nos venistis, non fraudabo vos vtilitate. sed quæ per nos Seruator gessit, narrabo præsentibus fratribus. Sterilis erat ager qui est prope nos: & rustici qui ipsum possidebant, seminantes, vix semen duplicatum metebant. Vermis enim nascens in spica, totam messem corrumpebat. Agricola autem catechismo à nobis instituti, & effecti Christiani, rogarunt nos vt oraremus pro messe. Dixi autem eis. Si habetis fidem in Deum, vel arena deserti fru-

*Sterilitas
fide fugatur.*

ctum vobis afferet. Ij autem nihil cunctati, cum hac arena quæ à nobis calcatur sinus impleffent, attulerūt, rogantes vt benediceremus. Postquam autem sum precatus vt illis fieret secū dum ipsorū fidem, ipsi eam cum frumento seminarunt in aruis suis. & repētè eorum ager ita multiplicauit fructum, vt omnē superaret Ægyptum. Hoc ergo facere soliti, nobis quotannis exhibent molestiam. Vnum autem, inquit, magnum miraculum præbuit mihi Deus multis præsentibus. Cū enim in ciuitatem aliquando descendissem, inueni quendam virum magum, qui populos seduxerat. Cū autem non possem ei publicè persuadere, dixi conuersus ad multitudinem. Magnum rogam in platea accendite, & ingrediamur in flammam. & qui ex nobis illæsus à flamma manserit, is habet bonam fidem. Postquam autem hoc factum est, & turbæ rogam citò accenderunt: ipsum mecum trahebant in ignem. Is autem dicit, Vnusquisque seorsum ingrediat: debésque primus ingredi qui iussisti. Cū autem in nomine Christi signatus essem ingressus, flamma in hanc & illam partem diuisa, me nulla affecit molestia, cū semihoram in ea essem moratus. Turbæ autem viso miraculo exclamarunt. & cogebant illum pyram peruadere. is autem nolebat, timore affectus. Cū eum autem accepissent populi, in medium protruserunt. & totus flamma ambustus, eiectus est è ciuitate: clamantibus populis. Planum viuentem exurite. Me autem turbæ accipientes, & laudibus prosequentes, deduxerunt in ecclesiam. Cū autem ego aliquando per quoddam templum transirem, quidam ex genti-

*Copres non
læditur ab
igne.*

Crucis signum.

bus suis idolis sacrificabant. Dixi autem eis. Cur cum sitis participes rationis, sacrificatis iis quæ carent ratione: vósque estis de cætero iis magis experes rationis? Illi autē, vt qui rectè dixissem, me statim sunt secuti, credentes Seruatori. Cùm autem esset mihi aliquando ortus in agro propinquo, propter eam quæ ad nos veniebat fraternitatem, & quidam pauper cum operaretur, ingressus est quidam gentilis vt furaretur olera. Vbi verò ea suffuratus recessisset, eaque tribus horis non potuisset coquere, sed māsissent in lebete qualia acceperat, vtpote quòd aqua minimè calefieret, vir se colligens, accepta olera ad nos detulit, rogans vt nobis condonaretur erratum, & vt fieret Christianus. quod etiam factum est. Erant autem hac ipsa hora hospites, fratres qui ad nos venerant. propter quos tēpestiuè admodum ad nos allata sunt olera. Quæ cum comedissemus, egimus Domino gratias, duplici accepta lætitia, & ex salute hominis, & ex refectione fratrum.

*Olera furto
rapta coqui
nō possunt.*

VITA ABBATIS SVRI.

27. **A**bbas autem Surus, inquit, & Esaias, & Paulus sibi inuicem repente occurrerunt ad fluum, viri pij & egregij exercitatores, inuisuri magnū abbatem Anuph. Distabat autem eorum interuallum tribus mansionibus: & dicunt ad se inuicem. Ostendat vnusquisque nostrum suum vitæ institutum, & quemadmodum fuit in hac vita à Deo honoratus. Abbas autem Surus dixit eis. Peto à Deo donum, vt nos virtute spiritus indefessi ad locum perueniamus. & cùm i-

pse solum orasset, inuentū est protinus paratum nauigium, & ventus secundus, & momento temporis inuenti sunt in loco, cum aduerso flumine nauigassent.

VITA ABBATIS ESAIÆ,

ESaias autem dicit eis. Et quid mirū ō amici, si vir nobis occurrerit, qui vitam narret vnus cuiusque? LVI.

VITA ABBATIS PAULI.

Paulus autem dicit eis. Si Deus nobis reuelauerit, quòd post tres dies assumit hominem? Cùm autem paulò vltius processissent, vir eis obuiam factus eos salutat. Paulus autem ei dicit. Dic nobis quæ rectè gessisti. Nam post crastinum diem abibis ad Deum. LVII.

VITA ABBATIS ANUPH.

Dixit autem eis Anuph. Benedictus Deus qui mihi hæc quoque signauit, & vestrum vitæ institutum & aduentum. Cùm autem dixisset quæ vnusquisque eorum rectè gesserat, exposuit deinceps quæ ipse fecerat, dicens. Ex quo Seruatoris nomen professus sum in terra, ex ore meo non est egressum mendacium. humani cibi nihil sumpsi, me coelesti alimento alente quotidie angelo. nullius alterius rei cupiditas in cor meum ascēdit, præterquam Dei. Nihil ex rebus terrenis occultauit mihi Deus, quod non significarit & ostenderit meis oculis. Non interdium somnū cepi. non noctu requieui, Deum quærēs. Vnà mihi semper adfuit angelus, mundi ostendēs potestates. lumen co LVIII.

*Magna vi-
ta perfectio*

gitationis meæ nunquam fuit extinctum. omnem petitionem accepi à Deo protinus. Vidi sæpenumero Deo assistentes myriades. Vidi choros iustorum. Vidi martyrum congeriem. Vidi monachorum vitæ institutionem. opus autem omnium Deum laudabat. Vidi Satanam igni traditum. Vidi angelos eius punitos. Vidi iustos latantes in æternum. Hæc & multa alia narrans, tertio die tradit animam: eamque statim suscipientes angeli & chori martyrum in coelos sustulerunt, ipsis videntibus & hymnos audientibus.

VITA ABBATIS HELLENIS.

LIX.

Quidam autem alius pater, qui vocabatur Abbas Hellen, cum ab ineunte ætate se fortiter exercuisset, sæpenumero ignem gestabat in sinu, incitans eos qui propè erant fratres ad ostendenda signa, dicens eis. Si vos verè exercetis, virtutis signa de cætero ostendite. Aliquando autem cum per se esset in solitudine, incessit eum mellis desiderium: cum verò illico fauos inuenisset sub petra, dixit. Recede à me intemperans cupiditas. Scriptum est enim. Spiritu ambulat: & desiderium carnis non perficietis. eis querelictis abiit. Cum autem iam tres hebdomadas ieiunasset in solitudine, inuentis qui disiecti erant fructibus, dixit. Non comedam, neque attingam aliquid ex iis. ne fratrem meum scandalizem, nempe meam animam. Scriptum est enim, Non in alimento solum viuet homo. Cum autem adhuc aliam ieiunasset hebdomadam, postea dormitauit. & veniens angelus in somnis, ei dixit. Surge & tolle ea quæ inueniuntur, & comede.

Galat. 5.

Abstinentia à cibone
Ladatur anima.

Math. 4.
Luc. 4.

comede. Is autem surrexit, & circûquaque aspiciens, videt fontem in orbem herbas delicatas germinasse. Cum autem & potum sumpisset, & comedisset olera, affirmabat nihil vnquam sibi fuisse iucûdus. Cum paruum autem speluncam in loco inuenisset, mansit illic paucos dies ieiunus. Vbi autem egebat alimento, orabat flexis genibus. ei autem protinus apponebantur esculenta omnia, & panis calidus, & oliuæ, & varij fructus. Aliquando autem inuisit fratres suos: & cum eos multum monuisset, cõrendebat in desertum, afferens quædam ad vsum necessaria. Cum autem vidisset quosdam onagros pascentes, ait ipsis. in nomine Iesu Christi, veniat vnus ex vobis, & suscipiat onus meum. Is autem statim ad ipsum accessit. Cum autem supellectilem ei imposuisset, & ei insedisset, vno die peruenit ad speluncam. In sole verò ab eo positus panibus & fructibus, cum ad ea venissent feræ vt solent ad fontem, & panes solum tetigissent, mortuæ sunt. Accessit enim aliquando ad quosdam monachos cum esset dies dominicus, & dixit eis. Cur hodie non egistis synaxim? Cum ij autem aperte dicerent, Eo quòd non venerit presbyter. Dixit autem eis. Ego ibo & eum vocabo. Ij autem dixerunt non posse aliquem trāsmittere alieum propter altitudinem. Quinetiam dicebāt eo in loco esse beluam maximam, nempe crocodilum, qui multos homines cõsumperat. Is autem non cunctatus, statim surgens profectus est ad vadum. Quæ cum belua statim tergo excepisset, transmisit. Cum autem in agro inuenisset presbyterū, rogauit ne despiceret fraternitatem. Ille autem eum videns multis consutis

Eucharistia
die dominice.

*Crocodylo
reclusus est
Hellas.*

pannis obsitum, rogauit vndenam pannum habuisset, dicens. Habes vestem animæ pulcherrimam ô frater. eiusque humilitatem & frugalitatem admiratus, cum securus est abeuntem ad fluuium. Cum autem qua transfugerentur cymbam non inuenissent, vocem emisit abbas Hellen, aduocans crocodilum. Is autem ei statim obediens aderat, tergum substernens. Rogauit autem presbyterum vt cum eo ascenderet. Is vero timore affectus cum vidisset beluam, retrocessit. Cum autem eum teneret admiratio & eos qui trans fluuium habitabant fratres, videntes eum cum belua transmittentem alueum, ille ascendens in terram, vna secum attraxit beluam, dicens melius esse ei vt moreretur, quam interemptarum animarum acquireret supplicium. Ea autem cadens protinus est mortua. Tres autem dies permanens apud fratres, sedebat docens eos præcepta, & quæ erant occulta vniuscuiusque consilia apertè enuncians. hunc quidem dicens vexari à fornicatione, illum verò à vana gloria: alium à deliciis: alium ab ira. & alium quidem pronuntiabat esse mitem, alium verò pacificum, illorum quidem vitia, horum verò virtutes arguens. Hæc autem audientes, mirabantur dicendo re vera ita esse. Eis autem dixit, Parate nobis olera. Hodie enim ad nos venient plures fratres. Cum illi autem adhuc pararent, superuenientes fratres se inuicem salutarunt. Rogauit autem eum quidam ex fratribus, volens vnà cum eo degere in deserto. Eo autem dicente non posse illum sustinere tentationes dæmonum, is contentiosius se omnia toleraturum asseue-

*Exhortatio
mes Hellenis*

rauit. Cum eum autem excepisset, iussit habitare in alia spelunca. Ad eum autem noctu aduentantes dæmones, eum suffocare aggrediebantur, cum eum primum turpibus perturbassent cogitationibus. Ille autem excurrrens renunciauit abbati Helleni quæ euenerant. Ipse autem cum ei figuram impressisset, iussit eum deinde manere securè. Cum autem aliquando panes ei defecissent in spelunca, aduenrans angelus in figura fratris, eius attulit nutrimentum. Rursus autem ipsum aliquando quærentes fratres decem numero, errabant per solitudinem, septimo iam die ieiuni permanentes. Cum verò eos inuenisset, iussit in spelunca refici. Illi verò eum victus admonuerunt. Ille qui nihil habebat quod eis apponeret, dixit eis. Potens est Deus mensam parare in deserto. Statim autem quidam adolescens pontone ipsis orantibus pulsauit fores. Cum autem aperuisset, viderunt adolescentem habentem magnam sportam panis & oliuarum. Is autem susceptis, comederunt, Deo agètes gratias, cum adolescens statim euauisset. Hæc & alia multa miracula cum nobis narrasset pater Copres, nosque benignè & humaniter tractasset, induxit in suum ortum, ostendens nobis palmas, & alias arbores frugiferas quas ipse plantauit in solitudine, admonitus à fide rusticorum quibus dixit. Potest desertum fructus producere iis qui fidem habent in Deum. Postquam enim vidit, vt aiebat, eos qui arenam seminauerant, & eorum agrum fructum tulisse, ipse quoque idem aggressus, idem est consecutus.

*Angelus
panem esu-
vienti mini-
strat.*

*Parat deus
mensam in
deserto.*

VITA ABBATIS APELLE.

LX. Vidimus autem alium quoque presbyterū in partibus superioris regionis, Apellem nomine, virū iustum, qui fabricæ ærariæ artem primū tractauit, & exinde conuersus est ad exercitationem. Is cū ad eum venisset diabolus in figura muliebri, quo tempore ad vsum monachorum quædam tractabat fabrilia, ferrea lamina ex igne raptā, idque manu propter festinationem, totum eius vultum corpus combussit. eamque audierunt fratres vlulantem in cella. Ab eo tempore vir ille semper manu tenebat ferrum ignitum, nec lædebatur. Is cū nos benignè & humaniter accepisset, narrauit nobis de viris præclaris & Deo dignis qui cum eo fuerant & erant adhuc superstites.

*Virum igni-
eum tenere,
nec vi.*

VITA ALTERIVS IOANNIS.

LXI. Est, inquit, in hac solitudine frater noster nomine Ioannes, alterius quidem iam ætatis, omnes autem monachos superans virtutibus. quem nemo potest citò inuenire, quòd semper in solitudinibus locum loco commutat. Is primū stans tres annos sub quadam rupe, orauit perpetuò. non sedens omnino, non dormiens, nisi quātum somni stans suffurabatur. & dominica solum sumens eucharistiam, afferente ei presbytero, nihil aliud comedebat. Atque adeò cū quodam die se Satanas transfigurasset in presbyterū, ad eum abibat celerius, præ se ferens se ei velle dare Eucharistiā. Cū eum autē agnouisset beatus Ioan

eucharistia

nes dixit ei. O omnis fraudis & malitiæ pater, inimice omnis iustitiæ, nō cessabis decipere animas Christianorum: sed audes sanctis insultare sacramentis? Is autem ipsi respondit. Parum abfuit quin te deiectum lucrifecerim. Nam sic quoque seduxi quendam ex tuis fratribus: & mente motum deduxi ad insaniam. Pro quo cū multi iusti multum rogassent, vix potuerunt efficere vt esset sanæ mentis. Hæcque cū dixisset dæmon, ab eo recessit. Cū autem essent disrupti eius pedes ex eo quòd tanto tempore stetisset immobilis, & exiret sanies, adueniens angelus tetigit eius corpus, dicens. Christus erit tibi verus cibus, & sanctus spiritus verus potus. Interim autem tibi sufficit spiritale nutrimentum, ne repletus euomas. & cū eum curasset, dimouit à loco. Deinceps autem vitam egit in solitudine, circumiens, & herbis vescēs. Dominica autem inueniebatur in eodē loco sumens communio-
*da est com-
municio.*
nem. Cū paucos autē palmæ ramos petisset à presbytero, efficiebat cingula animalibus. Cum verò vellet quidam claudus ad eum venire vt curaretur, & asinum solummodo inscēdisset: vbi primum eius pedes tetigere cingulum, fuerat autem à sancto viro factum, fuit illico curatus. Alias autem ægrotis mandabat benedictiones, & à morbis liberabantur protinus. Porro autem reuelatur de eius monasteriis, quòd quidam ex iis qui sunt in ipsis, vitam non rectè instituunt. & per presbyterum ad cunctos scribit epistolas. quòd illi quidem sunt ocio dediti, hi verò contendunt ad virtutem. & inuenta est sic se habere veritas. Scribit autem ad eorum quoque patres, quòd quidam ex his

*Dominica
dæ sumen-
da est com-
municio.
Curatur
claudus ac
tactu cingulo.*

funt de fratrum salute minus solliciti. alij verò eos quantum satis est exhortantur. annunciauitque vtrorumque honores & supplicia. Et rursus alios quoque prouocans ad statum perfectiorem, admonebat vt à sensilibus se transferrent ad ea quæ percipiuntur intelligentia. Tempus est enim, inquit, deinceps tale vitæ ostendere institutum. Non debemus enim, inquit, omni tempore permanere pueri & infantes, sed iam nos perfectioribus applicare cogitationibus, & magni & excelsi animi virtutem attingere, & cæteras maximas virtutes aggredi. Hæc & complura alia nobis pater de patre narrabat, quæ quidem, propterea quod excedant miraculi modum, omnia non scripsimus: non quòd non sint vera, sed propter incredulitatem aliquorum. Nos autem satis de his certiores facti sumus, cum multi & magni viri ea nobis narrauerint qui suis viderunt oculis.

DE ABBATE PAPHNUTIO.

LXII.

Vidimus autem locum quoque Paphnutij Anachoretæ, viri magni & virtute præditi. qui haud ita multo abhinc tēpore consummatus est in regione quæ est circa Heraeleotas Thebaidis. de quo multi multa narrarunt.

DE TIBICINE.

LXIII

*Cui similis
Paphnutius.*

Isenim post multam exercitationem Deum rogauit, vt ei significaretur cuinam ex iis sanctis qui se rectè gesserunt esset similis. Angelus autem visus ei dixit. Es similis tibicini qui degit in hac ciuitate. Is

autem studiosè ad eum profectus, eius vitæ institutum ab eo est sciscitatus, & omnia eius vitæ facta est perscrutatus. Is autem ei dixit id quod etiam erat verum, se esse peccatorem, & ebriosum, & scortatorem, haud ita longo autem ab hinc tempore se ex arte latrocinandi eò contulisse. Cùm autem accuratè examinaretur quidnã vnquam rectè ab eo gestum esset, dixit se nullius rei honestæ sibi esse conscium, nisi quòd cùm aliquando latronis vitam ageret, Christi virginem cui erat à latronibus vitium afferendum, liberauerit, & noctu ad vicum vsque reduxerit. Rursus autem, inquit, inueni aliquando formosam mulierem errantem in solitudine, fugatam ab apparitoribus & curialibus præsidis, propter publicum mariti debitum, & errorem suum desilentem. Sciscitatus sum autem ex ea causam fletus. Illa autem dixit, Ne me roges Domine, nec miseram examines: sed tanquam ancillam tuã abducas quo velis. Nam cùm maritus tēpore biennij ob debitum publicum trecentorum aureorũ saepe fuerit flagellatus, & in carcere inclusus, & tres mihi charissimi filij abrepti fuerint, ego recedo fugitiua locum loco cōmutans. nunc autè etiam errans per solitudinem, saepe inuēta, & assiduè flagellata, iã tres dies permansi ieiuna in solitudine. Ego autem eius sum miserta, inquit latro. & cùm eam deduxissem in speluncã, dedi ei trecentos aureos, & deduxi eam vsque ad ciuitatem, & eius maritum liberaui cum liberis citra vllum probrum & contumeliam. Cui respondit Paphnutius. Ego quidem nullius rei talis mihi sum conscius. in exercitatione autem omnino

*Conuersio
mira tibi
muis ad
monasticen.*

*Evipitur
virgo à
latronibus
per latronē.*

*Elemosyna
latronis.*

audiisti me esse celebrem. Non enim vitam traduxi in ocio. Mihi ergo Deus de te reuelauit, te rebus gestis nihilo me esse inferiorem. Si ergo ô frater, non parua à diuinitate tui habetur ratio, ne tuam animam temerè neglexeris. Is autè statim proiectis quos habuit in manibus tibiis, & lyre musicæ harmonia in spiritalem traducta melodiam, virum secutus est in desertum. Cùm autem tribus annis se pro viribus exercuisset, & in hymnis & orationibus vitæ suæ tempus peregisset, in cœlum iter direxit, & cum choris angelorum & iustorum ordinibus connumeratus, requieuit.

*Nulli infra
Et nota est
penitentia.*

DE PROTOCOMITE.

LXIII.

VBi ergo illū qui se exercuerat virtutibus, prius ad Deum misit, maiori & accuratiori vitæ instituto quàm prius esset sibi imposto, rogauit Deū vt sibi significaretur cui nā ex sanctis esset similis. & rursus vox diuina ad eum facta est, dicens. Es similis vicini pagi Protocomiti. Is autem ad eum abiit celerrimè. & cùm ipse pulsasset ostium, processit ille, vt ei mos erat, ad accipiendum hospitem, & cùm pedes eius lauisset & mensam apposuisset, hortatus est vt vesceretur. Cùm autè facta eius sciscitaretur, & ei diceret, Narra mihi, ô homo, institutum vitæ tuæ. multis enim monachis, vt mihi Deus ostendit, euasisti superior, ille dixit se esse peccatorem, & indignum nomine monachorum. Cùm autem instaret percontari, homo respondit dicens. Non habeo quidem necesse narrare ea quæ à me facta sunt: sed quoniā dicis te à Deo venisse, quæ mihi adsunt referam. Iam agitur tricesimus annus ex quo
me

me à quo mea vxore separaui, cùm ter cum ea solum habuisssem consuetudinem, & tres ex ea filios suscepisssem, qui etiam mihi ad meos vsus inseruiunt. Hospitalitatem autè nunquam intermisi vsque in hodiernum diem. Nō gloriatur aliquis ex comitibus se hospitem ante me ex cepisse. Nō egressus est pauper, nec hospes ex mea aula vacuis manibus, qui non prius rationi conueniente esset viatico sustentatus. Non vidi pauperem infortunio affectum, cui non suppeditarim quod satis fuit solatij. Non accepi personam filij mei in iudicio. Nō ingressi sunt in domum meam fructus alieni. Non fuit lis aliqua quā non cōposuerim, & pacificauerim. Non increpauit aliquis meos filios quòd se inhonestè gererent. Non tetigerūt fructus alienos mei greges. Non seminaui primus agros meos. sed cùm eos omnibus proposuisssem cōmunes, colligebā ea quæ erant reliqua. Non concessi vt pauper opprimeretur à potentia diuitis. non affeci aliquem molestia in vita mea. nunquam malum iudicium protuli in aliquem. Hæc à me esse facta Deo volente mihi sum cōsciis. Cùm autè viri virtutes audiisset Paphnutius, eius caput osculatus est, dicens. Benedicat te Dominus ex Sion; & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ. In iis enim te rectè gessisti. Vnum autem tibi restat quod est caput virtutum, nempe Dei omni ex parte sapiens cognitio, quam nō poteris sine labore consequi, nisi cùm te ipsum à mūdo abnegaris, crucem accipias, & sequaris Seruatorem. Is autè vbi hæc audiit, statim nec suis quidem valere iussis, virum secutus est in montem. Et cùm venissent ad fluuium, sca-

*Hospitali-
tatis exem-
plum.*

“ Psal. 127

“

“

phanon inuenta iussit Paphnutius eum flumen traicere pedibus, quod propter altitudinem nemo illo tempore pedibus traiecerat. Cùm autem transiissent, & eis peruenisset aqua vsque ad cingulum, constituit eum in quodam loco. Cùm se autē separasset, Deum rogauit vt eiusmodi hominibus videretur præstantior. Non multo autem interiecto tempore, vidit viri animam assumi ab angelis, Deum laudantibus & dicentibus. Beatus quem elegisti & assumpsisti. habitabit in atriis tuis. & rursus iustis respondentibus & dicentibus. Pax multa diligentibus legem tuam, & non est eis scandalum. & tunc cognouit virum esse consummatum.

Psal. 64.

Psal. 118.

DE MERCATORE.

LXV.

CVM autē perseueraret Abbas Paphnutius Deum venerari precibus, & multiplicare ieiunia, rursus orauit vt sibi ostenderetur cuiusnam esset similis. Dicit ei rursus vox diuina. Similis es mercatori quærenti bonas margaritas. Sed surge deinceps, & ne cunctare. Tibi enim occurret vir cui es assimilatus. Cùm ille autem descendisset, vidit virum quendam mercatorem Alexandrinum, pium & Christi amatem, vicies mille aureis negociantem, cum centum nauibus, descendentem ex superiore Thebaide, qui omnes suas facultates & merces distribuerat pauperibus. Is cum suis filiis decem saccos leguminum ad eum affererat. Et quid hæc, ô amice, ei dixit Paphnutius. Is autem dixit ipsi. Sunt fructus meæ mercaturæ, qui Deo offeruntur ad iustam refectionem. Quid au-

Mercator
Alexandri-
nus paupe-
ribus. exci-
me deuotus.

tem hæc, inquit ipsi Paphnutius, & tuo nostro nomine non frueris? Is autem confessus est se ad id studio se cõtendere. Ei respondit Paphnutius. Quousque ergo tu terrenã exerces negociationem, nec cœlestia attingis mercimonia? Sed hæc quidē es aliis dimissurus. tu verò iis te adiūgens quæ sunt maximè opportuna, sequere Seruatorem, ad eum vēturus paulo post. Is verò nihil differens, iussit filios suos reliqua diuidere pauperibus. Ipse autem cùm in mōtem ascendisset, & se ipsum in eo loco inclusisset, vbi duo priores cōsummati fuerant, perseuerabat in orationibus. Paruo autem elapso tempore, relicto corpore factus est ciuis cœlestis. Postquam autem eum quoque præmisit in cœlos, ipse etiam despondit animum, vt qui se non posset amplius exercere. Assistens autem angelus ei dixit. Huc deinceps accede tu quoque ô beate, in æterna Dei tabernacula: venerūt enim prophetæ te in suos choros accepturi. Hoc autem nō tibi prius declarauit, ne si fuisses elatus, de tuis detraheretur meritis. Cū ergo vno solo die superuixisset, & per reuelationē ad eum venissent quidā presbyteri, omnibus illis narratis, tradidit animã. Apertè autem videntes presbyteri eū assumi in choris iustorū & angelorum, Deum laudabant.

VITA ABBATIS APOLLONII.

FVIT in Thebaide quidam monachus nomine Apollonius. Is plurimas ostendit virtutes & facta egregia. Dignus quoque fuit habitus dono doctrinæ supra multos qui tunc fuere insignes virtutibus. Is in tempore persecutionis addens animum Christi

LXVI.

confessoribus; multos effecit martyres. Porro autem ipse quoque comprehensus custodiebatur in carcere. ad quem veniebant qui ex gentibus erant nequiores, & cum eo disputabant, incessabantque maledictis, & irrabant.

DE PHILEMONE MARTYRE,

& iis qui cum ipso fuerunt martyribus.

LXVII.

*Subita mu-
tatio impij.*

ERat autem quidam ex ipsis choraules, vir nequitiiis famosus, qui accedens eum appetebat contumeliis, dicēs eum impium & impostorem, & planū, & qui ab omnibus habebatur odio, & qui debebat mori citius. Cui dicit Apollonius. Miserebitur tui Dominus o homo: & eorum quæ dicta sunt, nihil tibi reputabitur ad peccatum. Hæc autem cū audiisset ille choraules, Philemon nomine, mordebatur animo, à verbis eius compunctus. Statim autem ad tribunal profectus, coram iudice se sistit, & ei dicit populo præsentē. Iniuste facis o iudex, qui viros pios & nulli culpæ affines punis. Nihil enim mali faciūt nec dicūt Christiani. Ille autē cū ipse hæc diceret, in principio quidē existimabat eū loqui ironice & ludificari. Postquam autem eum vidit persistere, Insanis, inquit, o homo, & mēs tibi repēte est emota. Ille autē, Non infanio, inquit, o iudex iniustissime. Sū enim Christianus. Is autem multis blanditiis vnā cum turba ei conabatur persuadere. Postquam autem vidit immobilem, ei omne genus tormenta adhibuit. Cū autem rapuisset Apollonium, & multis eum affecisset contumeliis, ipsum torquebat tanquam planum. Apollo-

nus autem ei dixit. Optarem o Iudex, vt tu & omnes præsentēs hunc meum errorem sequeremini. Is autem eo hæc dicente, iussit ambos igni tradere toto inspiciente populo. Cū autem in flamma essent præsentē iudice, vocem ad Deum emittit beatus Apollonius, toto populo audiēte & iudice. Ne tradas domine bestiis animam confitentem tibi: sed te ipsum nobis apertē ostende. Nubes autem rosca & luscida adueniens, viros texit, igne extincto. Admiratæ autem turbæ & ipse iudex, dicebant, Vnus est Deus Christianorum. Maleficus verò quispiam hæc renunciat præsidi Alexandria. Qui cum crudeles quosdam & immanes elegisset protectores & apparitores, eos misit vt vinctos adducerēt iudicem & Philemonem. Ducebatur ergo vnā cum eis Apollonius, & quidam alij confessores. Cū omnes autem iter ingrederentur, eum inuasit gratia, & coepit docere milites. Vbi autem ipsi quoque compuncti, crediderunt Seruatori, erant omnes vno animo vincti. Quos omnes cū vidisset præses à fide non posse dimoueri, iussit proici in profundum maris. Hoc autem fuit eis signum baptismatis. Cū eos autem sui inuenissent dissectos in littore, fecerunt omnibus ædem vnā, vbi nunc multæ virtutes peraguntur. Tanta autem fuit viri gratia, vt de iis quæ esset precatus statim exaudiretur, eum sic honorante Seruatore. Quem etiam nos in martyrio precati, vidimus, cum iis qui cum ipso fuerunt testificati. & Deum adorantes, eorum tabernacula salutauimus in Thebaide.

psal. 73.

cc

*Miracula
ad reli-
quias.*

LXVIII. **V**idimus autem alium quoque presbyterum in Thebaide, nomine dioscuro, patrem centum monachorum. qui cum ad Dei gratiam esset accessurus, dicebat eis. Videte ne quis qui noctu phantasmam habuit mulieris, audeat accedere ad sancta sacramenta. Ne quis ex vobis visis & phantasmis pulsus somniet. Nam qui absque phantasmis fiunt fluxus feminis, casu fiunt, nec ex vniuscuiusque libero animi arbitrio insunt, sed absque voluntate. Procedunt enim ex natura, & ex redundanti materia excernuntur. Quo circa nec sunt peccato obnoxij. Visa autem ac phantasmæ procedunt ex libera eligendi voluntate, & sunt argumentum mali animi. Oportet autem, inquit, monachum transilire etiam legem naturæ: corpus autem liquare, nec inueniri in vlllo inquinamento carnis. sed carnem liquefacere, & non concedere vt in ipsa redundet materia, frequentibus & prolixis ieiuniis. Siminus autem, nos ad appetitiones & desideria incitant. Non oportet autem monachum attingere appetitiones animi. In quo enim differt à mundanis, quos sæpe videmus abstinere à voluptatibus propter sanitatem corporis, aut propter aliquas alias causas à ratione minimè alienas? Quanto autem magis, inquit, curanda est animæ sanitas & spiritus?

LXIX.

Deuenimus quoque ad Netrenses, vbi multos & magnos vidimus Anachoretas: partim quidem indigenas, partim verò etiam hospites, qui se inui-

Ad sacramentū non accedebat qui surpe somniasset. Quando fluxus viriosus.

Exhortationes Dioscuri

Netrenses anachoretæ.

cem superabant virtutibus, & magno studio se exercebant, & in vita se inuicem contendebant superare. & alij quidem ex ipsis versabantur in contemplatione, alij verò in actione. Cùm vidissent autem aliqui ex ipsis nos procul venientes, aliqui quidem nobis cum aqua occurrerunt. & alij quidem pedes nostros lauabant. alij verò vestes mundabant. alij verò ad cibum imitabant. alij autem ad contemplationem & Dei cognitionem. & quod vnusquisque ex iis poterat, in eo studebat nos iuuare. Et quid dixerit quispiam omnes eorum virtutes, cùm nihil possit dicere pro dignitate? Habitant itaque locum desertum: & habent cellas magno inter se interuallo distinctas, vt nullus possit procul agnosci ab altero. neque citò videri, nec vox audiri. sed degunt in multa quiete, vnusquisque per se inclusus. Solum autem sabbato & dominico congregantur in ecclesiis: & se inuicem excipiunt. Multi autem ex iis sæpe etiam quatuor dies inueniuntur in cellis, absque eo quòd se videant inuicem, præterquam in synaxi. Et alij quidem ex his veniebant ad synaxim à tertio & quarto lapide. tam longè sunt remoti à se inuicem. Tantam autem habent inter se charitatem, etiam supra reliquam fraternitatem, vt multis qui cum ipsis salui esse voluerint, vnusquisque studeat suam cellam eis dare ad se reficiendum.

DE ABBATE AMMONIO ET IIS

qui erant cum ipso.

Vidimus autem patrem quoque eorum qui illic **LXX.** erant, nomine Ammonium, habentem eximias

*Institutum
vitæ mona-
sticæ Am-
monij.*

cellas, & atrium, & puteū, & reliqua necessaria. Cū autem ad eum venisset quidam frater qui volebat saluus fieri, & ei diceret vt ipsi inueniret cellam ad habitandum, illico egressus, præcepit ei ne egrederetur è cellis, donec ipsi inuenisset aptum habitaculum. & cū ipsi reliquisset omnia quæ habebat, cū ipsis cellis, seipsum inclusit in paruam cellam. Quòd si plures erant qui conueniebant volentes salui fieri, congregabat vniuersam fraternitatem. & illo quidem tradente lateres, hoc verò aquam, perficiebantur cellæ in vno die. Eos autem qui erant habitaturi in cellis, in ecclesiam vocabant ad conuiuia. Dūmque illi se recreāt & exhilarant, vnusquisq; cū è sua cella ouillam suam pellem aut sportam pane vel cæteris impleffet necessariis, deferebant ad nouas cellas. vt nulli nota esset vniuscuiusque oblatio. Noctu autem venientes habitaturi suas cellas, repente inueniebant omnia necessaria. Multi autem ex ipsis neque panem comedebāt nec fructus, sed solum intyba agrestia. Quidam autē ex ipsis tota nocte non dormiebant: sed sedentes vel stantes vsque ad manè, perseuerabant in oratione.

*VITA ABBATIS ISIDORI ET EORUM
qui erant cum ipso.*

LXXI.

*Monasteriū
mille mona-
chorum.
Presbyter
ianitor.*

Vidimus autem in Thebaide monasterium cuiusdam magni Isidori, quod intus habebat mille monachos. Habebat autem intus puteos & ortos, & quæcunque sunt ad vsum necessaria, nemine egrediente extra monasterium. Sed erat presbyter ianitor, qui nullum permittebat egredi, neque alium ingredi,

gredi, præterquam si quis vellet vsque ad mortem illic permanere nusquam progrediens. Porrò autem eos qui portam ingrediebantur, in paruo habitaculo excipiebat hospitio. & cū manè dedisset benedictiones, in pace deducebat. Duo autem ex ipsis presbyteri solum exhibant, opera fratrum administrantes, & referebant ea quæ erant ipsis ad vsum necessaria. Dixit autē mihi is qui portam custodiebat presbyter, eos qui intus sunt sanctos esse tales, vt possint omnes signa efficere: & neminem ante decessum in morbum incidere: sed quando vniuscuiusq; venisset translatio, id omnibus prius significantem & se reclinantem, dormire.

*VITA ABBATIS AMMONA
presbyteri.*

Est autem alia quoque solitudo in Aegypto, maritima quidem, sed difficillima. in qua multi & magni habitāt Anachoretæ, quæ est prope urbem Diolcon. Vidimus autem illic presbyterum virum sanctum & valde humilem, & assidue videntem visiones, nomine Ammonam. Is aliquando offerens Deo cultum videt angelum stantem à dextris altaris, & signantem fratres accedentes ad gratiam & scribentem in libro eorum nomina. Cū autem non adfuissent aliqui in synaxi, vidit deleri eorum nomina, qui post tres dies sunt mortui. Eum sæpe torquentes dæmones in tantam adduxerunt imbecillitatem, vt non posset ipse stare ad aram, nec offerre. Angelus autem veniens, eius manu apprehensa, protinus eum confirmavit, & sanum ad aram statuit. Cuius tormenta cum vidissent fratres, obstupuerunt.

Eucharistia

Angelus signans fratres accedentes ad communionem.

Ammonæger curatur per Angelum.

LXXIII. **V**idimus autem alium quoque in Diolco, Ioan-
nem nomine, patrem monasteriorum, qui ipse
quoque multam habebat gratiam, & Abrahæ habi-
tum, & barbam Aaron. Efficiebat autem virtutes atq;
curationes: & qui multos curauit paralyticos & po-
dagra laborantes.

VITA ABBATIS PITYRIONIS
& eorum qui cum ipso erant.

LXXIIII. **V**idimus autem in Thebaide altum montem flu-
uio imminentem, valde terribilem & præcipi-
tem: & monachos illic viuentes in speluncis. Eorum
autem pater erat nomine Pityrion, qui fuit vnus ex
discipulis Antonij, & tertius qui illum locum excepit.
qui quidem multas virtutes efficiebat, & efficaciter
spiritus expellebat. Cum enim successisset Antonio
& eius discipulo Ammonæ, meritò etiam successit
hæreditati donorum. qui multos quidem alios quo-
que apud nos habuit sermones, qui etiam de discre-
tione spirituum accuratè disseruit. dicens esse aliquos
dæmones qui sequuntur animi motus, & nostras affe-
ctiones ad malum sæpe conuertunt. Quisquis ergo,
ô filij, dicebat is nobis, vult exigere dæmones, prius
in seruitutem rediget affectiones animi. Qualem e-
nim quis superarit affectionem, eius quoque expellit
dæmonem. Oportet autem vos paulatim vincere af-
fectiones, vt earum expellatis dæmones. Si quis ergo
gulam superauerit, expellit eius dæmonem. Is au-
tem comedebat bis in hebdomada, dominica &

Monachi in
speluncis.

Quis possit
dæmones
fregare.

quinta feria, paruum farinae iusculum: nec poterat a-
liquid aliud fumere, propterea quòd suum habitum
ita formasset.

VITA EULOGII
presbyteri.

LXXV. **V**idimus autem alium quoque presbyterum, no-
mine Eulogium. qui in offerendis Deo donis,
tantam accepit gratiam cognitionis, vt vnusquisque
ex iis qui accedebant monachis mentem cognosce-
ret. Is cum sæpe vidisset aliquos monachos ad aram
accessuros, eos retinuit, dicens. Quomodo audetis
ad sancta accedere sacramenta, cum habeatis malas
cogitationes? Et tu quidem hac nocte animo verfasti-
turpem fornicationis cogitationem. Alius autem in
animo suo reputauit, dicens nihil referre an peccator
an iustus accedat ad Dei gratiam. Alius autem de do-
no dubitauit, dicens, Nunquid me accedentem san-
ctificabit? Parum ergo secedite à sanctis sacramentis,
& ex animo agite poenitentiam, vt sit vobis remissio
peccatorum, & sitis digni Christi communionem. Ni-
si enim primum mundaueritis cogitationes, non po-
teritis ad Christi gratiam accedere.

Mentem cõ-
municantiũ
cognoscebat
Eulogius.

Eucharistiã
non assume-
bat qui tur-
pes cogita-
tiones ha-
buerat.

VITA SERAPIONIS
presbyteri.

LXXVI. **V**idimus verò etiam in partibus Arsenoita pres-
byterum quendam nomine Serapionem, patrem
multorum monasteriorum, & qui præest multæ frater-
nitati, vt qui sint decies mille numero, magnamq; per

*Decem mil-
lia mona-
chorum sub
Serapione.*

fratres exequitur dispensationem, cum omnes simul, tempore messis, omnes suos fructus ad ipsum afferant, quos pro messis mercede acceperunt, unusquisque frumenti annuos duodecim artabas, qui sunt veluti quadraginta qui a nobis dicuntur modij. & ea ad ministerium pauperum per se dispensat. adeo ut deinceps in ea quae est circuncirca regione nullus sit pauper, sed etiam mittat ad eos qui sunt Alexandriae pauperes. Sed neque praedicti patres per totam Aegyptum unquam neglexerunt hanc administrationem: sed ex laboribus fraternitatis, nauigia plena frumento & vestimentis pauperibus miserunt Alexandriae. propter ea quod rari essent apud ipsos qui egerent.

VITA ABBATIS POSIDONII.

LXXVII. **P**osidonij Thebani multa quidem sunt, eaque narratu difficilia, quemadmodum erat mitis, & in se exercendo acerrimus, & quanta fuerit in eo innocentia. Nescio an vllum talem conuenerim. Vixi enim cum eo anno vno in Bethleem, quando sedit ultra Poemanius. & multas vidi eius virtutes. Atque inter caetera ipse mihi quodam die narrauit. Cum habitarem, inquit, in loco Porphyrite anno vno, toto anno nullum hominem conueni. non audiui sermocinationem. non panem tetigi. nisi si quando paucis vterer dactylis, & sicubi herbas inuenirem agrestes. Quo quidem tempore cum mei panes aliquando defecissent, egressus sum a spelunca, ut venirem in orbem terrae habitabilem. & cum toto die ambulassem, vix aberam a spelunca duo millia. Cum ergo circumspexissem, video equi-

tem militis habitum praeseferentem, habentem in capite galeam tiariferam. & cum coniecisssem eum esse militem, profectus sum usque ad speluncam: & inueni canistrum vuarum & ficuum nuper decerptarum. Quem cum accepissem, laetus veni ad speluncam, habens duobus mensibus cibos illos ad meam refectio- nem. Hoc autem miraculum fecit beatus Posidonius in Bethleem. Quaedam mulier grauida habebat spiritum immundum, & in ipso tempore quo erat paritura, laborabat in partu, ipsam conterente spiritu. Cum ergo a daemone vexaretur mulier, aduenit eius maritus, & rogauit sanctum illum ut adesset. & nobis ingressis ad orandum, cum stetisset & precatus esset, post secundam genu flexionem, eiecit spiritum. Surgens autem dixit nobis, orate. modo enim expellitur immundus spiritus. Oportet autem esse aliquod signum ut de eo fiamus certiores. Egrediens autem daemon, diruit a fundamento totum aulae parietem. Mulier autem sexennio non fuerat locuta. Postquam autem egressus est daemon: & peperit, & locuta est.

*Posidonius
curat muli-
erem a spi-
ritu immun-
do, quae gra-
uida erat.*

*Daemone gre-
diens dat si-
gnum.*

DE HIERONYMO.

Huius sancti noui hanc quoque prophetiam. Hieronymus enim quidam presbyter habitabat in illis locis, qui in sermone Romano magna erat virtute ornatus, & praclaro ingenio. sed tanta fuit eius inuidia, ut ab ea obrueretur virtus doctrinae. Cum ergo multis diebus cum eo versatus esset sanctus Posidonius, dicit mihi in aurem.

LXXVIII.
*Propter ami-
citiã quae ei
intercedebat
cum Rufino,
videtur Pal-
ladi fuisse
iniquior in
D. Hieron.
De Paula.*

Ingenua quidem Paula quae eius curam gerit, pra-

LXXIX.

De Oxyperantio.

LXXX.

De Petro.

LXXXI.

De Symeone

LXXXII.

morietur liberata ab eius inuidia. Vt autem arbitr or, propter hunc virū non habitabit vir sanctus in his locis. sed eius peruadet inuidia vel vsque ad propriū fratrem. Resque ita accidit. Etenim beatum Oxyperētium Italum is hinc expulit: & Petrum alium quendā Ægyptium: & Symeonem, viros admirabiles, quos ego adnotauī. Narrauit mihi hic Posidonius continētissimus & virtutis obseruantissimus, quod quadraginta abhinc annis panē non gustasset, neque acceptę iniurię sit recordatus vsque ad diei dimidiū. Hęc sunt certamina & signa præclari Christi athletę Posidonij, quę fecit prouidētia eius quę est omnium virtutū maxima. & in his est insignis finis vitę huius beati.

VITA SERAPIONIS
Sindonitę.

LXXXIII.

Imperitia
sumam do-
ctriam.Se redidit
mimis vt
eos lucrifa-
ceret Christo

FVit alius quidam Serapion sindonites. nām præter sindonem nihil vnquam induebat. qui exercuit magnam possessionum & facultatum vacuitatem. Cū esset autem imperitus literarum, memoriter dicebat omnes scripturas. Et neque ob possessionum egestatem & scripturarum meditationē, potuit in cella quiescere. Non quod traheretur à terrena materia: sed orbem terrę obiens, se rectē & ex virtute gerebat. Natus enim erat hac natura. Sunt enim naturarū non substantiarum differentię. Narrabant itaque patres, quod cū quendam accepisset exercitorem qui cum eo luderet, se in quadam vrbe gentilibus vendidit histrionibus viginti nummis. & cū signasset mummos, eos apud se seruabat. Tandiu autem permanfit & seruiit mimis qui eū emerant, donec eos

fecit Christianos, & eos auulsit à theatro. præter panem & aquam nihil sumens, neque præ meditatione scripturarum ore silens. longo autem tēpore primus compunctus est mimus. Deinde mima. Deinde vniuersa eorum familia. Dictum est autem quod quo tēpore eum ignorabant, lauabat pedes amborum. Ambo ergo baptizati, à theatro recesserunt: & cū ad vitam honestam & piam processissent, virū valde reuerabantur. Ei itaque dicunt. A desdum frater. nos te liberabimus, quandoquidem ipse nos liberafti à turpi seruitute. Dicit ergo eis. Quādoquidem Deus est operatus, & salua facta est vestra anima, vobis dicam mysteriū actus. Ego vestrę animę misertus, cū essem liber exercitator genere Ægyptius, ea de causa me ipsum vēdidi, vt vos seruarem. Quoniam autem hoc fecit Deus, & per meam humilitatem salua euasit anima vestra, accipite aurum vestrum, vt etiam aliis opem feram. Illi autem cū multum rogassent & affirmassent, dicendo, Te tanquam patrem & Dominum habebimus, solum mane nobiscum, non potuerunt ei persuadere. Tunc dicunt ei. Da aurum pauperibus. nām id nobis fuit causa salutis. Sed saltem post annum nos inuisas. & sic ab iis abiit. Is frequentibus peregrinationibus peruenit in Græciam. & cum tribus diebus moratus esset Athenis, non fuit qui ei panem præberet. Nām neque Es ferebat, neque peram. non pellem ouillam. nihil horum. Cū autem venisset quartus dies, valde esuriit. Res est enim grauis fames inuoluntaria, quę adiutricem habet incredulitatem. & stans super tumultum ciuitatis, in quo congregabantur qui erant viles

& abiecti in ciuitate, coepit vehementer & cum planctulamentari, & clamare. Viri Athenienses, ferte opem. Ad quem accurrentes omnes qui pallium gestabant & pileum, dicunt ei. Quid habes, vnde nam es, & quid pateris? Is verò dicit ipsis. Genere quidem sum Ægyptius. ex quo autem absum à vera mea patria, incidi in tres foeneratores. Et duo quidē à me recesserunt ex soluto eis debito: cū non haberent de quo me accerferent. Vnus autem à me non discedit. Illi ergo studiosè quærentes de foenaratoribus vt eis satisfacerent, ipsum rogabant, Vbi sunt? Quis est qui tibi exhibet molestiam? Ostende nobis eum, vt tibi feramus auxilium. Tunc eis dicit. Molestiam mihi exhibuit avaritia & gula & fornicatio. Et à duobus quidem sum liberatus, avaritia scilicet & fornicatione. Neque enim aurum habeo. neque aliquid aliud possideo. non fruor deliciis quæ sunt nutrices huius morbi. Quocirca nihil mihi exhibent amplius molestiæ. A gula autem non possum recedere. Iam enim quatuor diebus nihil comedi. & mihi pergit venter molestiam exhibere, quærens consuetum debitum, sine quo non possum viuere. Tunc quidam philosophi suspicati eum esse mendicum, dant ei nummum. Quem acceptum posuit in officina panaria, & accepto pane recessit, statim profectus à ciuitate, & in eā non reuersus amplius. Tunc cognouerunt philosophi eum verè fuisse virtute præditum. & cū pistori dedissent precium panis, acceperunt nummum. Cū autem venisset in loca Lacedæmonis, audiuit quendam ex primis ciuitatis, esse Manichæum simul cum

Tres perniciosi foeneratores.

tota

tota domo, alioqui virum bonum. Ei rursus seipsum vendidit in primo actu. Et cū intra duos annos ipsum abduxisset ab hæresi & eius vxorem, adduxit ad ecclesiam. Tūc eum amantes, non amplius habebant tanquam seruum, sed tanquam germanum fratrem & patrem, & Deum laudabant. Post hæc seipsum coniecit in nauem tanquam Romam nauigaturum. Nautæ autem coniiicientes eum vel intulisse sumptus, vel in auro habere quod expenderet, nihil aliud percontati eum exceperunt, alius alium existimans accepisse eius utensilia. Cū autem ipsi enauigassent, & abessent quingentis stadiis ab Alexandria, coeperunt vectores vesci circa occasum solis, cū Nautæ prius comedissent. Viderunt autem eum primo die non comedere: & putauerunt causam esse nauigationem. Similiter & secundo & tertio & quarto die. Quinto autem die vident ipsum sedentem quietum, dum omnes comederent. & dicunt ei. Homo, cur non comedis? Is verò dicit eis. Quoniam non habeo quod edam. Cū ergo inter se quæssissent quis eius accepisset utensilia vel impensas, vidissent autem neminem accepisse, neque enim habebat aliquid, coeperunt cum eo contendere. Quomodo sic ingressus es absque impensis? Quomodo dabis nobis naulum? Quoniam autem aleris? Is verò eis dicit. Ego nihil habeo. Auferte me, & abiicite vbi inuenistis. Illi verò, Ne si centum quidem aureos nobis dares, lubenter hoc faceremus, cū sit nobis ventus ad eò secundus. Scopum ergo vrgeamus, peragentes quæ sunt nobis proposita. Sic fuit in nauī, & eum aluerunt Romam vsque. Cū autem

Vendidi se viro Manichæo vt ipsum reduceret ab errore.

Romam se rapion nauigati.

ieiunant.

*Vita abba-
tis Domnis.
LXXXIII.
Lehis cu-
rat egrotos.*

*Mirum vir-
ginis silen-
tium.*

*Quid sit mū-
do esse mor-
tuum.*

Romā venisset, curiosè indagauit quis esset in ciuitate magnus exercitator aut exercitatrix. Inter quos incidit in quendam Domnionē. cuius lectus curauit ægrotos post mortē. Cū ergo in eum incidisset, & ex eo vtilitatē accepisset, erat enim vir & moribus ornatus & eruditione, & ab eo didicisset quisnā esset illic alius exercitator aut exercitatrix, cognouit esse quandam virginem silentium agentem & quiescentem, quę iam viginti quinque annis in cella erat inclusa, & cum nemine vnquam colloquebatur. Cū autem eius domū didicisset, venit, & dicit vetulę quę ei inseruiebat. Dic virgini me necesse habere eam cōuenire. Deus enim me misit. Cum autem duos vel tres dies intermisisset eam conuenit postea. & ei dixit. Quid sedes? Ea verò dicit ipsi. Non sedeo, sed ambulo. Is verò dicit, Quo ambulas? Illa verò dicit, Ad Deum. Is autem dicit. Viuisne, an es mortua? Illa verò ei dicit, Credo in Deum me esse mortuam. Qui enim carne viuit, non potest non ambulare. Is autem dicit ei. Vt me ergo certio-rem reddas te esse mortuam, fac quod facio. Ea illi dicit. Impera mihi quę possunt fieri, & faciam. Is autem dicit ei. Nihil est quod non possit mortuus, absque eo quod non potest esse impius. Tunc dicit ei, Descēde & progredere. Ea verò respondit. Iam agitur vice- simus quintus annus ex quo non sum progressa: & cur progrediar? Ei autem dicit, Si mortua es mundo, & tibi mundus: idem est tibi progredi & non progredi. Ergo progredere. Illa verò progressa est. & postquā progressa fuit vsque ad quandam ecclesiam, ei dicit in ecclesia. Si vis ergo me certio-rem reddere quod ve-

rè sis mortua, & non amplius viuis placens homini- bus: fac quod facio, & sciam te esse mortuam. Ei itaque dicit. Exuens sicut ego omnia vestimenta, ea impone humeris. & transi mediam ciuitatem, me in hoc habitu præeunte. Illa verò ei dicit. Hac re minime honesta multos offendam: & poterunt dicere me esse emotæ mentis & dæmoniacam. Is autem dicit ei. Et quid tibi est curæ, si dixerint te esse emotæ mentis & dæmoniacam? tu enim es eis mortua. Tūc illa ei dicit. Dic si quid aliud velis. neque enim ad hunc vsque modum me venisse gloriar. Tunc ei dicit. Ecce ergo, ne amplius te iactes & tibi placeas, tanquā omnibus magis pia & mūdo mortua. Ego enim sum te magis mortuus. & re ipsa ostendo me esse mortuum mundo. Nā citra vlla animi perturbationem & pudorem hoc facio. Tūc cū eam ad humilitatem instituisset, & eius fregisset arrogātiā, recessit. Sunt autem multa quę alia quę pertinent ad impatibilitatem. Is decedit cū ageret annum ætatis sexagesimum, in ipsa Roma sepultus.

DE EVAGRIO CELEBRI

Diacono.

DE Euagrio claro Christi diacono, qui vixit in-
star apostolorum, non est æquum tacere. Sed ea literis mandare ad ædificationem eorum qui sunt lecturi, & ad bonitatis Seruatoris nostri gloriam, æquū arbitratus, ab alto expono, & quemadmodum venerit ad institutum monasticum, & quomodo cū se dignè exercuisset, moritur quinquaginta quatuor annos natus, in solitudine. Qui, vt scriptum est, In breui cō- LXXXVI.

Sapientia. 4. summatus, impleuit longa tempora. Fuit enim vera eius anima grata Domino. Is genere quidem fuit Ponticus, ciuitatis liberorum, filius presbyteri, lector promotus à sancto Basilio episcopo ecclesiæ Cæsareæ ad Argeum. Post decessum autem sancti Basilij episcopi, attédens eius aptitudinem, sapientissimus, & à perturbationibus animi alienus, & omni doctrina clarus Gregorius episcopus Nyssenus, frater episcopi cui datur honor inter apostolos, eū ordinat diaconū. Illinc cum venisset sanctus Gregorius episcopus in magnā synodum Constantinopolitanam, relinquit eū beato Nectario episcopo, cum esset omnium differendi artis peritissimus. Floruit ergo in magna ciuitate, in disputationibus iuueniliter exultans aduersus omnem hæresim. Accidit autem ut is qui propter morum insignem bonitatem honorabatur à tota ciuitate, configeretur à simulachro muliebris concupiscentiæ, ut ipse nobis narrauit postea cum esset mens eius libera. Eum autem vicissim amauit muliercula. Erat autem ea vna ex primis. Euagrius autem, & Deum timens, & suā veritus conscientiam, & habens ante oculos dedecus turpitudinis, & quā hæreses de alienis malis concipiunt lætitiā, Deum supplex rogauit ut ab ipso impediretur scopus quē sibi proposuerat mulier, quæ eum vrgebat cupiditate, & eius infano tenebatur desiderio. Cumq; vellet ab ea recedere, non poterat, ut qui eius obsequij blandis detineretur vinculis. Haud multo post autē eam quæ præcessit orationem, antequam rem esset expertus, adstitit ei visio angelica præ se ferens speciem militum præfecti, quæ eum

Gregorius Nyssenus Frater Basilij ordinat Euagrium.

Nectarius Constantinopolitanus.

Euagrius agitur concupiscentia in mulierē.

Visio detur ab amore libidinoso.

rapit, & ducit tanquam in iudicium, & coniiicit eum in eam quæ dicitur custodiam, collari ferreo eius collo iniecto, & catena ferrea alligatis manibus, iis videlicet qui ad ipsum venerant, ei causam minimè dicentibus. Ipse autem qui pungebatur conscientia, existimabat se ea subire eius gratia, arbitrans maritum mulieris de hac re iudicem conuenisse. Animi itaque admodum anxius cōstitit Euagrius, dum de alia causa ageretur, & de aliis propter tale crimē haberetur quaestio. Post magnum ergo illum metum & summum animi angorem, angelus qui ab initio præbuerat visionem, ita transformatur ut videretur adesse germanus & sincerus amicus Euagrii, valde obstupefactus, & tristitia affectus ob tantam vinculorum infamiam, & dicēs ei vincito inter catenas quadraginta reorum. Cur cum tanta ignominia detineris cum reis, domine diacone? Ille ei dicit. Re vera quidem nescio: suspicor autem N. qui est ex præfectis, me detulisse, motum zelotypia citra vllam rationem. & vereor ne magistratus fuerit ab eo corruptus pecunia, & me maximo afficiat supplicio. Dicit ei is qui amici figuram susceperat. Si audias amicum, tibi consulo. Non tibi expedit degere in hac ciuitate. Dicit ei Euagrius, Si Deus me liberauerit ab hac calamitate, & me videris Constantinopoli, scias me iure subire hoc supplicium, & esse dignum alio maiore. Dicit ei amicus, Si ita habet, fero ad te sanctum euangelium. iura mihi in eo, quòd recedes ab hac ciuitate, & tuæ animæ curam gereres: & te liberabo ab hac necessitate. Euagrius autē, Rogo te, inquit, iurabo ut volueris. me solummodo li-

Euagrius in ebasi.

Angelus in amicum suam intēmi specie.

Iurat Euagrius super euangelium se egressurū ciuitatem.

bera ab hac nube tenebrosa. Interim autem ei affert sanctum euangelium, & exigit iusiurandum. Euagrius autem ei iurat per euangelium verbis sic conceptis. Non manebo hic præter vnum diem, idque vt meas vestes in nauem immittam. Cùm autẽ processisset iusiurandum, ad se rediit ab ecstasi quæ ei noctu euenerat. Cùmque surrexisset, cogitauit. Etsi mihi fuit datum iusiurandum in ecstasi, iuravi tamen. Omnibus ergo quæ habebat in nauem coniectis, venit Hierosolyma, & illic excipitur à beata Melania Romana. Rursus cum diabolus eius cor tanquam Pharaonis indurasset, vt pote adolescentẽ & ætate luxuriantem, eum rursus incessit dubitatio, & animi fuit accipitis, cùm tamen nemini quidquam dixisset. Quo factum est vt & vestes rursus mutaret, & in differendo ei veternum afferret vana gloria. Sed Deus qui impedit omnium nostrum interitum, ei rursus attulit calamitatem, rursus in febrem coniiciens. & deinde in longum morbum, tempore semestri eius carnem macerans, quæ ei afferebat impedimentum ad virtutem, medicis dubitantibus, & non inuenientibus modum curationis. Dicit ergo ei beata Melanium. Non placet mihi fili, morbus tuus diuturnus. Dic ergo mihi quæ habes in animo. non est enim verus hic tuus morbus. Confessus est ergo ei rem quæ sibi euenerat Constantinopoli. Dicit ei beata. Promitte mihi teste Domino, te vitæ monasticæ scopum esse secuturum. & ego licet peccatrix, orabo Deum, vt detur tibi tẽpus comẽatus, & vitæ terminus. Is autem est assensus. Cùm ea autem orasset, intra paucos dies conualuit.

Venit Hierosolymam.

Vestes mutare.

Morbo venocatur Euagrius.

Amicus monasticus.

cùmque is surrexisset, ab illa ipsa est amictu monastico indutus, & peregre proficiscitur in montem Nitriæ qui est in Ægypto. In quo cùm habitasset biennio, tertio ingreditur solitudinẽ. Cùm itaque vixisset quatuordecim annis in iis quæ dicuntur celliis, comedebat quidem panis libram in die. trimestri autem tempore olei sextarium: vir qui in molli delicata & lauta vita fuerat educatus. Faciebat autem centum orationes: scribens annuatim precium solum eorum quæ comedebat. eleganter enim scribebat celerem characterem. Cùm ergo intra quindecim annorum spacium mentem expiasset, dignus est habitus dono cognitionis & sapientiæ, & discretionis spirituum. Is composuit tres sacros libros monachorũ, qui dicuntur *Ἀντιρρητικὰ*, hoc est Contradictoria, suppeditans artes quibus sit vtendum aduersus dæmones. Ei aliquando grauem exhibuit molestiã dæmõ fornicationis, vt ipse nobis narravit: & tota nocte stetit in puteo cū esset hyems, aded vt eius carnes cõfrescerent. Aliquando autem rursus ei molestiã exhibuit spiritus blasphemie: & quadraginta diebus non est tectum ingressus, vt ipse nobis narravit. aded vt corpus eius, non secus ac corpus ferarum animantium, scateret muscis. Ei tres apparuerunt dæmones in habitu clericorum, de fide cum eo inquirentes. Et vnus quidem dicebat eum esse Arrianum. alter verò Eunomianum. Tertius autem Apollinarianum. & eos paucis superauit spiritu sapientiæ. Rursus cùm quodam die periisset clavis ecclesiæ, ferra cruce signata, manu trudens eam aperuit, Christo inuocato. Is à dæmonibus aded fuit flagellatus, &

Austeritas eius qui delicatam vitam fuerat secutus.

Euagrii Ἀντιρρητικὰ.

Mira constantia.

Vt fregerit dæmonum imperium.

Dæmones in habitu clericorum.

Crucis signum.

variorum dæmonum tantam fecit experientiam, vt ij non possint facilè enumerari. Vni ex discipulis suis, quæ post decem & octo annos erant euentura ei dixit, omnia ei prædicens in specie. Dicebat autem hic beatus, Ex quo veni in solitudinem, non tetigi lactucam. non minutum olus. non aliquid viride. non fructum. non vnam. non lauacrum. non carnem. non panem. non vinū. neque omnino aliquid ex iis quæ per ignem transeunt, præter quædam olera cruda, & modicum aquæ. Postea autem sextodecimo anno instituti vitæ suæ actæ absque decoctione ignis, cum caro, propter imbecillitatē corporis & stomachi, opus haberet vt aliquid sumeret quod per ignem transisset, panem quidem tetigit, nequaquam autem sumpsit cuncta olera. sed vel ptisanam, vel legumina duos annos. In his corpus consumebat hic beatus, viuificans animam sancto spiritu, in epiphaniis in ecclesia communicans. Nobis autem narrabat hic generosus Christi athleta circa tempus mortis. Iā sunt tres anni ex quo non sum amplius vexatus à cupiditate carnis. Si autē post vitam ita ex virtute actam, & immensum laborē exercitationis, eūmque vel maximè inflexibilem, & sobriam perpetuè orationem, hunc immortalem aedè inuasit bonis infestus & exitiosus dæmon: quid ab execrabili dæmone pati putamus eos qui sunt socordiores, propter suam negligētiam? Huic sancto significata est aliquādo mors patris sui, & dicit ei qui renūciavit, Desine blasphemare: meus enim pater est immortalis. Deū autē dicebat. Hucusque est exactissimū & perfectissimum vitæ institutum insignis Euagrii.

*Prævidet
futura.*

Epiphania.

*Non afficitur
morte
patris sui.*

VITA

VITA ABBATIS PIOR.

Quidam Pior nomine, Ægyptius genere, ætate LXXXVII. iuuenis, cum mundo renunciaffet, exiit è domo paterna: & propter insignem amorem spiritalē, Deo est professus se nullum ex suis visurum amplius. Votum. Quinquaginta ergo post annis, soror eius quæ cōsenuerat, & ab aliquo rescuerat fatrem suum viuere, veniebat in mētis emotæ periculū, nisi ipsum videret. Cum autem nō posset venire in vastū desertum, rogauit illius loci episcopum vt scriberet ad sanctos patres qui erāt in solitudine, vt ipsum mitterent, & eum videret. Cū ergo ei vis magna afferretur, patribus obediens, statuit vno alio adsumpto, abire. & significauit domui sororis fratrem suum Pior aduenire, & foris stare. Cum autem sensisset strepitum ostij, & quòd eius soror ei veniret obuiā, Pior clausis oculis, clamauit ad ipsam. Mulier nō licet venire in solitudinem. O soror N. Ego sum Pior frater tuus, ego sum: ecce, vide, aspice quantum velis. Illa ergo facta certior Deū glorificauit, & cum multa fecisset, non potuit ei persuadere vt domum ingrederetur: sed oratione facta in limine, reuersusest in solitudinem, propriam patriā illic sibi virtute comparans. Hoc eius fertur miraculum, quòd cum fodisset in loco quem ædificauit, inuenit aquam amarissimam, & donec decessit illic permansit, se aquæ concludens amaritudine, vt suam ostēderet tolerantiam. Multi autem monachi post eius mortem cum in cella manere contendissent, non potuerunt vnum annum id efficere. Est enim locus terribilis, & alienus ab omni consolatione.

AA

VITA ABBATIS MOYSIS

Libyci.

LXXXVIII.

MOyses Libycus fuit vir mitissimus, & maxima charitate præditus. Is dignus est habitus dono curationum. Is hoc narrauit. In monasterio, inquit, eram valde iuuenis, & fodiebam maximum puteum, latum viginti pedes. In eo cū tres dies fodissemus viri octoginta, & venam consuetam, & quæ aspiciebatur transissemus circa cubitum, aquam non inuenimus. Magna ergo affecti molestia, deliberabamus de desistendo ab opere. Dūmq; de eo deliberarem, ad nos adueniens Pior ex vasta solitudine, in ipsa sexta hora æstus, cū esset senex, indutus sua pelle ouilla. & cū nos salutasset, dicit nobis post salutationem. Quid animi abieciſtis homines modicæ fidei? Vidi enim vos iam ab hesterno die abieciſſe animū. Quod cū dixisset, in putei fossam statim demisit scalas, & cum eis facit orationem. & accepto ligone, & tertio ictu incusso, dixit. Deus sanctorum patriarcharum, ne irritum & inutilem feceris laborem seruorum tuorū. sed mitte ad eos vsum aquæ. & statim aqua exiit, vt nos omnes ea aspergeremur. Et cū rursus orasset, abiit, dicens, Hac de causa missus sum. & aperta est. Cū autem illi vim facerent vt illic comederet, non potuit in animum inducere, dicens, Non ideo missus sum. Hæ sunt res admirabiles Pior præclaræ columnæ tolerantia. & hic est finis illius virtutis, qui pro amaro fonte, fruitur perpetuo dulcedinis fluente cum magno spiritali gaudio.

Pellis ouilla pro veste

*Putei scru-
litate Pior
medetur.*

VITA ABBATIS CHRONII.

LXXXIX.

Quidam qui dicebatur Chronius, ex vico qui dicitur Phoenix, cū a suo vico qui est prope solitudinem, mensus esset decies mille quingentos passus dextero pede numeratos, illic precatus fodit puteum. & cū aquam inuenisset pulcherrimam, quæ in profundo aberat quinque vlnis, illic quoq; sibi ædificauit paruum hospitoliū. & ex quo die seipsum collocauit in monasterio, Deum rogauit ne reuerteretur in locū qui habitatur. Cū pauci autem anni præterierent, dignus fuit habitus presbyteratu, circiter trecentorū virorum circa ipsum congregata fraternitate. Hæc ergo fertur eius virtus exercitationis, quod cum sexaginta annis aræ assedisset fungēs sacerdotio, nō egresus est è deserto. non extra laborem manuum comedit panem. Cum eo habitauit quidā Iacob è vicinis, qui cognominatus est Claudus, vir summa cognitione præditus. Erant autem ambo noti beati Antonij.

Ata & sacerdotium.

*Vita Ab-
batis Iacobi. xc.*

VITA ABBATIS PAPHNVTII CEPHALA.

xc.

CVm ergo quodam die conuenisset etiam Paphnutius qui dicebatur Cephalas. qui quidem habuit donum cognitionis diuinarum scripturarū, veteris & noui testamenti, omnem eā interpretans, cū non legisset scripturas: erat autem adeo modestus vt celaret virtutem propheticam. De quo dicitur, quod octoginta annis non habuit simul duas tunicas. Cū vnā hos cōuenissemus, ego & beati diaconi Euagrius & Albinus, quærebamus scire causas fratrum qui decidebant vel labebantur inhonesta vita.

AA ij

DE CHEREMONE.

XCII.
De eo qui fo
diebat pu-
erū. XCIII.
XCIIII.
XCV.

Accidit enim illis diebus vt Cheremon exercita-
tor sedēs decederet, & inueniretur mortuus se-
dens in cathedra, & tenens opus in manibus. Acci-
dit etiam vt alius frater fodiens puteum, obrueretur
à puteo. Accidit etiam vt alius veniens à Scete, si-
ti aquæ moreretur.

DE STEPHANO LAPSO.

INter quos commemorauimus etiam Stephanum
qui in turpem lapsus est intemperantiam, & Eucarpū,
& Heronem Alexandrinum, & Valentem Palæsti-
nū, & Ptolomæum Ægyptium qui erat in Scete. Simul
ergo rogauimus quænam esset causa, quod qui sic vi-
uunt in solitudine: ex iis alij quidem mente decipiun-
tur, alij verò erumpunt in intemperantiam. Hoc
ergo responsum nobis dedit sanctus Paphnutius
vir maxima cognitione præditus. Quæcunque
fiunt, in duo diuiduntur. in Dei placitum, & Dei
permissionem. Atque quæcunque quidem fiunt
ex virtute ad Dei gloriam, ea fiunt Dei placito. Quæ
verò damnosa, periculosa, & quæ infortunia & casus
important, ea fiunt Dei permissione. Permissio au-
tem ex egestate rationis vel infidelitate eorum qui
deseruntur. Fieri enim non potest vt qui pie viuunt &
rectè cogitat, incidat in ignominia lapsus, vel impo-
sturæ dæmonum. Quicumque ergo prauo scopo ac
instituto, nempe vt hominibus placeant, & arro-
ganti cogitatione, virtutem videntur aggredi, ij in

Vnde solita
vij quidam
erumpāt in
intemperan-
tiam.

Paphnutij
doctrina.

Dei placitū
& permis-
sio.

casus incidunt, Deo eos deserente ad eorum vtilita-
tem. vt cum per derelictionē mutationem senserint,
aut propositum, aut actionem corrigāt. Nam aliquā-
do quidem peccat propositum, quando fit malo sco-
po. vt sæpe accidit intemperantem prauo scopo face-
re eleemosynam in adolescentulas propter turpem fi-
nem. & actionem esse rationi consentaneā, vt Orpha-
næ, & quæ exercetur monachæ, dare auxilium. Acci-
dit autē recto quoque scopo facere eleemosynam, in
ægrotos, vel eos qui euersi sunt bonis, vel eos qui cō-
senuerūt. sed parcè & cum murmuratione. & esse sco-
pum quidem rectum: actionem autem scopo indignā.
Oportet enim misericordem misereri in hilaritate &
largitate. Hoc quoque dicebat. In multis animis sunt
dotes quædam præcipuæ. In aliis quidem, bonitas in-
genij. in aliis verò aptitudo ad exercitationē. sed quā-
do non fit propter ipsum bonum & ex diuino scopo,
neque actio, neque ingenij bonitas, neque ij qui do-
tes habent præcipuas. non bonorum datori Deo as-
cribentes, sed suo libero arbitrio, ingenio, & sufficiē-
tiæ: qui tales sunt, relictī à prouidentia, incidunt in fa-
cta turpia, turpes perpeffiones, probrāque & dede-
cora. Derelicti ergo, per aduenientem humilitatem
& pudorem, sensim nescio quomodo expellunt arro-
gantiam, quam susceperāt ex ea quæ virtus reputaba-
tur. Qui enim est inflatus, qui de bonitate, inquam,
ingenij effertur, & Deo nō ascribit bonitatem inge-
nij, neque eam quæ sibi suppeditatur cognitionem,
sed vel suæ exercitationi, vel naturæ, abducit ab eo
Deus angelum prouidentia. Quo auerso, superatus

Ne quid ma-
lo proposito
aggredia-
mur, etiam
si boni spe-
ciem ha-
beat.

Omnia in
hilaritate.

Magnū ar-
rogantia ma-
lum.

à viribus aduersarij is qui effertur ob bonitatem ingenij, incidit in intemperantiam propter insolentiam. vt ablata teste temperantia, non videantur credibilia quæ dicuntur ab ipsis, fugientibus pijs doctrinam quæ ex tali ore procedit, tanquam fontem qui scatet hirutinibus. vt impleatur quod scriptum est. Peccatori autem dixit Deus. Cur tu enarras iustificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Eorum enim animæ qui vitiis laborant, sunt re vera diuersis fontibus affimiles. Nam qui sunt gulæ & vino dediti, lutulentis fontibus. Qui verò tenentur auaritia & plura habendi cupiditate, fontibus ranas habentibus. Inuidi autem, qui habent aptitudinem cognitionis, fontibus serpentes habentibus, in quibus semper fluctuat ratio. propterea quod nemo haurit ex ipsis, propter morum acerbitatem. Quocirca tria rogat Dauid, bonitatem & disciplinam & cognitionem. Nam absque bonitate cognitio est inutilis. Etsi correctus quidem fuerit is qui est huiusmodi, deposita causa derelictionis, nepe arrogantia, & assumpserit humilitatem & sui modum cognouerit. neque aduersus aliquem se effert, & Deo agens gratias, ad eum rursus reuertitur, quæ testimonio fulcitur cognitio. Orationes enim spirituales, quæ non habent vitam honestam & temperantem simul equitantem, sunt spicæ quæ à vento intereunt. quæ habent quidem figuram, sed ab eis ereptum est alimentum. Omnis ergo lapsus, siue fiat per linguam, siue per sensum, siue per actiones, siue per totum corpus, conuenienter proportioni arrogantiae, fit per Dei derelictionem parentis iis qui de-

Hinc & multi labuntur in hereses. Psa. 49.

Gulosi quibus similes. Auari. Inuidi.

Dauid rogat bonitatem disciplinam & cognitionem.

relinquuntur. Si enim cum intemperantia, eorum quoque bonitati ingenij Dominus tulerit testimonium, suppeditando eloquentiam, dæmones ipsos facit superbia, se extollentes cum immunditia. Hæc autem vobis dico, o viri, vt cum videritis aliquem vita quidem peruersum, oratione autem aptum ad persuadendum recordemini dæmonis qui in sacra scriptura cum Christo loquitur, & testimonij quod dicit. Serpens autem erat prudentissimus omnium bestiarum quæ erant super terram. cui prudentia potius detrimentum attulit, cum alia virtus non concurreret. Oportet enim eum qui est fidelis & bonus, ea quidem animo sentire quæ dat Deus. loqui autem quæ sentit: facere autem quæ loquitur. Si enim cum veritate verborum non concurrat vitæ cognitio, panis est sine sale, vt dicit Iob. Qui est autem talis, minimè comedetur. Quod si etiam comedatur, conicit eum qui comedit in malam habitudinem. Si comedetur enim, inquit, panis sine sale. etsi est gustus in verbis inanibus, non impletis verborum testimonio. Ex derelictionibus ergo, vna quidem est vt virtus occultata manifestetur, vt virtus Iob. Deo respondente & dicente. Ne reiicias iudicium meum. neque putes me tibi aliter respondisse: sed vt iustus appareas. es enim mihi notus qui noui occulta. Sed quoniam ignoraris ab hominibus. suspicantur enim nunquam me à te coli propter diuitias, ideo feci vt in casum incideres. Demessi diuitias, vt ostendam eis tuam gratiarum actionem & philosophiam. Alia autem propter auertendam superbiam, vt in Paulo. Relictus est enim Paulus casibus, & colaphorum incussio-

Vita peruersus & eloquens est dæmonis imitator, sic hereticus. cc Gen. 2.

cc Iob. 6.

cc Iob. 40.

Tribulationes immisse ad correctionem.

2. Cor. II. » nibus, & diuersis iactatus afflictionibus. & dixit, Datus est mihi stimulus carnis, vt me colaphizet. ne forte extollar. ne forte cum miraculis quies & rerum successus & honor ei accedens, eum in arrogantiam iniiceret diabolicam. Superbia elatus relictus quoque est paralyticus propter peccatum. Cui dixit Dominus. Ioh. 5. » Ecce sanus factus es, noli amplius peccare. Derelictus Act. 1. » quoque est Iudas, qui pluris fecerat pecuniam. Quo Gen. 27. » circa fuit etiam suffocatus. Derelictus quoque est Esau, & incidit in intemperantiam, vt qui sterminus intestinorum praposerit benedictioni paternae. adeo vt cum haec omnia sensisset Paulus, dixerit de aliquibus. Rom. 1. » Quoniam enim non probauerunt Deum habere in cognitione, tradidit eos in reprobum sensum, vt faciant quae non conueniunt. De aliis autem qui videbantur habere Dei cognitionem cum mente corrupta & inani tumore, dicit, Quoniam enim cum Deum cognouissent, non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, tradidit eos Deus in passionem ignominiae: adeo vt nos ex eo cognoscamus fieri non posse vt cadat aliquis in intemperantiam qui non fuerit derelictus a Dei prouidentia, propter negligentiam & socordiam eorum qui derelinquuntur, & deseruntur ad hoc vt haec eis eueniant.

VITA ABBATIS SOLOMONIS.

xcvi. **I**N Antinoi ciuitate regionis Thebaidis quadraginta annos versatus, eo tempore accepi etiam cognitionem eorum quae sunt illic monasteriorum. Nam circa ciuitatem sedent viri circiter bis mille, manibus viuentes,

viuentes, & se summe exercentes. In his sunt etiam Anachoretæ qui seipsos incluserunt in speluncis rupium. Inter quos est Solomon vir mansuetissimus & temperantissimus, & qui donum habet tolerantiae. Is quinquaginta annos degit in spelunca, sibi victum suppeditans manibus: & didicit totam scripturam.

Anachoretæ in speluncis rupium.

VITA ABBATIS DOROTHEI.

xcvii. **F**Vit etiam quidam Dorotheus, presbyter in alia spelunca habitans, qui in summa bonitate ipse quoque vitam vixit inculpatam. dignusque est habitus presbyteratu, & ministrat fratribus qui sunt in speluncis. Huic aliquando Melanium iunior, magnae Melaniae neptis, de qua dicam postea, misit quingentos nummos, rogans eum vt ministraret fratribus. Is autem cum tres solos accepisset, misit reliquos ad Dioclem Anachoretam, virum summa cognitione praeditum, dicens. Est me sapientior frater Diocles, & potest eos integre & innocenter dispensare, vt qui me melius sciat eos quibus sit merito ferendum auxilium. Nam hi mihi sufficiunt.

VITA ABBATIS DIOCLIS.

xcviii. **H**Ic Diocles in grammatica quidem primum eductus, cum se postea dedisset philosophiae, tandem trahente eum gratia, aetatis annum agens vicesimum octauum, renunciauit quidem disciplinis liberalibus, se Christo vero coniunxit. & iam tricesimum annum agit in spelunca. Is dicebat nobis quod mens quae cogitatione recessit a Dei contemplatione, fit vel da-

Diocles a Philosopho monachus.

Ne mens recedat à Dei contemplatione.

mon, vel bestia. Nobis autem rogantibus quoniam modo, sic dixit. Mens quæ recessit à Dei contemplatione, necessario incidit vel in dæmonem cupiditatis, vel in spiritum iræ. Et cupiditatem quidem dicebat beluinam, iram verò dæmoniacam. Cùm ego autem contradicerem: Quomodo fieri potest vt mēs humana sit cum Deo sine intermissione? ipse dicebat, quod in quacunque cogitatione vel re pia & diuina fuerit anima, ea est cum Deo.

VITA ABBATIS CAPITONIS.

cxix.

Prope eum manebat quidam Capito à latronibus, qui cum quinquaginta annos impleffet in spelun-
csi, quatuor millibus longè ab vrbe Antinoi, nō abiit à spelunca vsque ad fluuium Nilū, dicens se non posse turbas conuenire, eo quòd aduersarius ei adhuc resistat.

VITA ANACORETÆ
qui illudebat.

Cum his vidimus etiam alterum Anachoretam, qui ipse quoque erat similiter in spelunca. Is in somnis illusus oestro vanæ gloriæ, vicissim illudebat eos qui decipiebatur, ventos pascens. & habebat quidem in corpore temperantiam, & propter senectutem, & propter tempus, & forte etiam propter vanam gloriā: vanæ autem gloriæ intemperantia corruptus erat eius animus.

VITA SANCTI EPHRAIM
diaconi.

AVdiisti omnino de Ephraim diacono ecclesiæ c. r. Edesseonrum. Fuit enim vnus ex iis qui digni sunt, de quibus fiat mentio à sanctis Christi seruis. Is cùm spiritus viā dignè peregisset, & à recta non declinasset, dignus est habitus gratia naturalis cognitionis, quam consequitur Teologia, & postremo beatitudo. Cùm ergo vitam exercuisset quietam, & multis iam annis ædificaret eos qui ventitabant, postea è cella progressus est hac de causa. Cùm magna fames inuassisset ciuitatem Edessenorum, misertus omnium qui peribant agrestium, processit ad eos qui erant diuites in ciuitate, & dicit eis. Cur non miseremini humanæ naturæ quæ interit? sed frumentum vestrum finitis putrescere ad condemnationem animarū vestrarum? Se autē excusantes, dicunt. Non habemus cui credamus, ad hoc vt panem subministret esurientibus. Omnes enim res cauponantur. Is verò dicit eis. Quid ego vobis videor? erat autē apud omnes in magna existimatione, non falso, sed re vera. Ei itaque dicunt. Nouimus te hominē Dei. Mihi itaq; de cætero credite. Ecce, me propter vos eligo hospitū exceptorem. Cùmque pecuniam accepisset, & in fixis vallis septum construxisset, & lectos ad trecentos statuisset, curabat eos qui famescebant. eos quidem qui deficiebant sepeliens, eorum verò qui spem vitæ habebant curam gerens, & vt semel dicam, hospitium & ministerium propter famem quotidie exhibēs ex iis quæ suppedi-

Auari frumentum finitū putrescere.

Effrem succurrit fame sentibus.

tabantur. Impleto ergo anno cū successisset fertilitas, & omnia rectè succederent, cū nihil haberet amplius quod ageret, ingressus est in suam cellam. & post mensem est mortuus, cū Deus ei hanc occasionem præbisset instar coronæ in extremis diebus. Reliquit autem scripta quoque studio digna, quæ magnam viri virtutem testantur.

VITA ABBATIS IULIANI.

111.

AVdiui à quodam in illis partibus fuisse Iulianum virum maximæ exercitationis, qui cū carnem suam supra modum liquefecisset, ossa solum & pellem circumferabat. Is in extremis finis sui dignus est habitus gratia curationum.

VITA ABBATIS INNOCENTII.

111.

DE beato Innocentio presbytero Oliueti, à multis quidem audiisti: nihilo fecius autem à nobis quoque audies, qui tres annos cū eo viximus. Is fuit longè simplicissimus. Cū autem em is fuisset illustris in palatio inter magistratus Constantini imperatoris, mundo renunciauit, profectus à matrimonio. In quo etiam habuit filium, Paulum nomine domesticū, qui militabat. Is cū peccasset in filiam presbyteri, imprecatus est proprio filio Innocētius, Deum rogans, & dicens. Domine, da ei spiritum: ne amplius inueniat eius caro tempus peccādi. melius arbitratus eum pugnare cum dæmone quàm cum intemperantia. Quod etiam factum est. Nam nūc quoque adhuc est in monte Oliuarum, ferrum gestās, & castigatus à spi-

*Innocentius
è matrimonio
monachus.*

ritu. Hic Innocentius aded fuit misericors, (fortasse autem videbor etiam nugari dum vera narro) vt sæpe suffuraretur à fratribus, & daret egentibus. Fuit autem summè simplex & innocens. Is dignus est habitus dono aduersus dæmones. & ad eū aliquādo adductus est nobis videntibus adolescens quem inuaserat spiritus & paralytis, vt ego cū vidissem, voluerim aperte matrem expellere eius qui fuerat adductus, desperans eum posse curari. Accidit autem vt interim veniēs senex hāc videret adstantē, deflentēque, & euiulantē propter inenarrabilem calamitatē filij. Lachrymatus ergo præclarus senex & cōmotus visceribus, accepto adolescēte ingressus est in suum martyrium, quod ipse ædificarat, in quo sitæ sunt reliquiæ Ioannis Baptistæ: & cū pro eo orasset vsque ad horam nonam ab hora tertia, sanum reddidit adolescentem & eodem die & paralytim expulit & dæmonem. Erat autem talis eius paralytis, vt spuens puer tergū suum conspueret. ita erat inuersus. Aliud rursus fuit eius signum. Quædam anus quæ ouem amiserat, accessit ad eum flens. Quam secutus dicit ei. Ostende mihi locum vbi amiseris. Ea verò ducit eum ad loca quæ sunt circa Lazarium. Stans ergo orauit. Qui suffurati autem erant adolescentes, ipsam prius occiderant. Dum ergo ipse oraret, nemine confitente, carne occultata in vinea, alicunde veniens coruus stetit supra furtum, & rursus euolauit. Cū beatus autē animaduertisset, vidit mactatam victimam. Et sic iuuenes ad pedes eius accidentes confessi sunt se occidisse, & iustum precium fuit ab eis exactum.

*Gratia con-
tra dæmo-
nes.*

*Martyrium
locus ora-
tionis.
Reliquiæ
S. Ioannis
Baptistæ.
Paralyticus
sanatur.*

VITA ABBATIS ADOLII.

c. III.

RVfus noui Hierosolymis quendam nomine Adolium genere Tarsensem. qui cum venisset Hierosolyma, ingressus est viam valde immutabilem. non quam multi ingressi sunt, sed secto sibi quodam nouo vitæ instituto. Se enim super hominem exercuit. vt etiam ipsi dæmones horrentes eius austeritatem, ne ad eum quidem auderent accedere. Propter summam autē exercitationem & vigiliam, existimatus est esse spectrum. In quadragesima enim comedebat post quinque dies. toto autem alio tempore, vno die interiecto. Hæc autem fuit eius res magna. A vespera vsque ad illud tempus quo congregabatur fraternitas in oratoriis, in oliueto, in colle assumptionis vnde ascendit Iesus, perpetuè stabat psallens & orans, & ieiunabat. & siue pluebat, siue grandinabat, manebat immobilis. Impleto autem tempore consueto, excitatorio malleo pulsabat cellas omnium, eos congregans ad oratoria. & in vnoquoque oratorio vnà cum eis psallens vnā aut duas antiphonas, & vnà cum eis orans. & sic die appropinquante ibat in cellulam, & re vera fratribus eum exuentibus, & vestes exprimentibus tanquam eas lauturi, eum aliis induebant. Et cum quieuisset vsque ad horam tertiam, psalmodia excitatus erat ei intentus vsque ad vesperam. Hæc est ergo virtus Adolij Tarsensis, qui fuit consummatus Hierosolymis, & ibi dormiit.

Quadragesima.

Oratoria in medio cellularum

DE ABRAMIO.

FVit quidam Abramius genere Ægyptius, qui vitam asperrimam & maximè agrestem egit in solitudine. Is animo sauciatus ab intempestiua persuasione, veniens in ecclesiam, contendit cum presbyteris, dicens. Noctua Christo ordinatus sum presbyter. Suscipite me vt sacerdotem. Patres cum abduxissent eum à solitudine, & ad vitam deduxissent crassiorem, & magis indifferentem, curarunt eum à superbia, deducentes eum ad cognitionem suæ imbecillitatis, illusum à dæmonibus.

VITA ABBATIS ELPIDIJ.

IN Amorrhæorum speluncis quæ sunt in Hiericho, quas olim construxerant fugientes Iesum Naue, qui tunc populabatur alienigenas, in monte Luca fuit quidam Elpidius Cappadox genere, postea autem dignatus presbyteratu monasterij, factus à Timotheo Chorepiscopo Cappadociæ, viro sufficientissimo. Is habitauit in quadam spelunca, & tantam in exercitatione ostendit continentiam, vt omnes obscuraret. Viuit enim viginti quinque annos, vescens solum sabbatis & dominicis. Stans autem totas noctes cantabat. Is tanquam regi apum futuro, in medio fraternitatis cohabitans, illum montem ædificauit: licebátque illic videre apud vnumquenque diuersos modos vitæ exercitationis. Hunc aliquando Elpidium, & verè Elpidium, qui re vera spe gaudebat, & propter Christum sustinebat afflictionem,

Elpidius habitat in spelunca.

noctu pfallantem nobis vnà cum eo pfallentibus, ipsum pupugit scorpius. Quem cum calcaffet stans, non mutauit habitum corporis. tanta tolerantia nullam duxit rationem doloris quem inussit scorpius. Porro autem cum quodam die quidã frater teneret frustum scalarum, id accepit sanctus dum federet in margine montis, & infodit tanquam plantans, etsi non esset tempus. Usque ad eò autem creuit, & tam ampla vitis euasit, vt tegeret totam ecclesiam.

VITA ABBATIS AENESII.

CVII.

Cum hoc sancto Dei athleta vnà etiam fuit consumatus inclitus Dei seruus Aenesius, vir magnæ existimationis, & qui fuit insignis in exercitatione.

VITA ABBATIS EUSTATHII.

CVIII.

Et eius frater Eustathius ei honore æqualis, promptoque & alacri animo exercens vitæ certamina. Eò autem processit beatus Elpidius impatibilitate corpus macerans, vt sol eius ossium fabricam perspicuè ostenderet. Fertur autem hoc quoque in eius virtutis narrationibus à studiosis eius discipulis, quod totis viginti quinque annis non fuit conuersus ad occidentem*, etsi spelunçæ ostium esset positum in montis cacumine. Neque post horam sextam solem qui imminebat capiti, vidit vnquam inclinantem ad occidentem. Neque stellas quæ in occasu oriuntur vidit viginti annis. Hic magnus athleta patientiæ, ex quo ingressus est speluncam, non descendit de monte donec fuit sepultus. Hæc sunt cœlestia facinora cor-

* Scilicet
Christiani
orabant ad
orientem.

nati

nati & inuicti athletæ Elpidij, qui nunc degit in paradiso.

VITA ABBATIS SISINII.

Huius discipulus Sisinnius nomine, qui prodiit CIX. quidem ex seruili fortuna. fide autem liber, genere Cappadox. Oportet enim genera quoque significare ad gloriam Christi qui nos reddit claros genere, nosque deducit ad beatam & veram nobilitatem, nempe regnum cœlorum. Hic cum fuisset longo tempore apud beatum Elpidium, acris athleta virtutum exercitationis, vt qui sex vel septem annis didicisset viri virtutes, & fortitudinem laborum in exercitatione, is postea seipsum inclusit monumento. In eo autem constitutus tres annos, perseuerauit in orationibus. non noctu, non interdiu sedens, non accumbens, non foras egrediens. Is affectus est gratiam aduersus dæmones. Nunc autem reuersus in patriam, dignus est habitus presbyteratu, ab eo collecta fraternitate virorum & mulierum dato testimonio impatibilitatis per honestam vitæ institutionem. & mascula expulsa sua cupiditate, & foeminarum mollicie constricta continentia. ad eò vt impleatur, quod scriptum est. In Gal. 3. Christo Iesu non est masculus & foemina. non est seruus, nec liber. Est autem etiam insigniter hospitalis, etsi careat possessionibus, in vituperium diuitum qui minimè impertiuntur.

VITA ABBATIS GADDANA.

Noui ego senem quendam Palæstinum genere, CX. Gaddanam nomine: qui toto vitæ suæ tempo-

CC

re vixit absque tecto, vixit autem circa Iordanem. Hunc beatum eremitam, cum Iudæi moti æmulatione, in locis quæ sunt circa mare mortuum adorti, stricto gladio inuasissent, accidit vt talefieret miraculum.

*Exsiccatur
manus Iu-
dæi Volētis
percutere
Gaddanam.*

Dum enssem extolleret, & vellet Gaddanæ afferre interitum, exsiccata est manus eius qui enssem tenebat. Isque illi ita cecidit vt non sentiret. Hoc auxilium à Deo latum est beato Gaddana.

VITA ABBATIS ELIÆ.

CXI.

Rursus quidam Elias monachus probatissimus, in iisdem locis habitabat in spelunca. & cum esset vitæ honestissimæ & in primis religiosæ, vacabat continentia & orationi, omnes aduenientes benignè excipiens. Quodam ergo die cum cōplures fratres ad eum accessissent, erat enim illac eis transeūdum, ei panes defecerunt. iuransque nobis affirmabat dicens, Propemodum sum exanimatus ob cibi penuriam. Ingressus ergo cellam mœrore animi confectus, quod nescirem quemadmodum in eos qui aduentarant, implerem pro viribus mensuram charitatis, inueni tres recentes panes illic positos, quos lætus accepi & apposiui. Cum autem viginti viri comedissent ad satietatē, superfuit vnus panis. Eum autē cum sustulisset, vsus sum eo viginti quinque diebus. Hæc domini gratia facta est cum hospitali Elia. cuius laborum remuneratio-nes paratæ sunt apud benignum Dominum.

DE SABBATIO.

CXII.

Quidam Sabbatius nomine, Hierichuntinus genere, cum haberet vxorem, propter Dei timo-

re aded amauit monachos, vt ipse obiret cellas & omnem solitudinē noctibus, & in vno quoque monasterio foris poneret vnum modium dactylorum, & olerū quod satis esset, propterea quod pane non vescantur qui in Iordane sunt exercitatores. Huic continentium monachorum dextero mense stratori, cum is quodā die tulisset sanctis quæ exercitationi erant necessaria, maligni æmulatione ei leo occurrit. inimico monachorum excitante immanem feram aduersus ministrum monachorum, studente & illos priuare refectioe, & hunc suo proposito. Et cum fera eum comprehendisset à lapide vnus ex monachis, suis vnguibus eum protrudit & euertit. Sed qui docuit in Daniele leones ieiunare, prohibuit ne eum qui seruabat præcepta deuotaret leo, etsi valde esuriret. Quo factum est vt accepto fenis asino recederet. Qui enim ei vitam donauerat, feræ quoque famem exatiavit.

*Leo in-
fuit
in sabbatium.*

DE PHILOROMO
presbytero.

Religiosissimum presbyterum Deique amantissimum Philoromum in Galatia conueimus, & cum eo longo tempore versati sumus, qui fuit vir exercitatissimus. Is ortus quidem est ex matre serua, patre verò libero. Tātam autem virtutum nobilitatem ostendit in vitæ Christianæ institutione, vt etiā ipsi qui sunt in genere insuperabiles, eius vitam angelis æqualem reuererētur, & efficacē virtutem exercitationis. Is mundo renūciauit in diebus Iuliani execrandi imperatoris. & liberè cū hoc impio est locutus generosus Christi athleta Philoromus. quē iussit radi, & à

CXIII.

*Iulianus
apostata il-
ludii Philo-
romum.*

pueris ei stanti alapas impingi. Is verò rem fortiter & toleranter tulit, & ei egit gratias, vt ipse nobis narrauit. Hunc præclarum virum in principio adortum est bellum fornicationis & gulæ, vt dicebat, quod tyrannidè exercens exagitat multitudinem. At is veluti immensum incendium multa aqua extinxit, summa cura continentia, ferrum gestando, & se concludendo, & abstinendo à cibus, & vt semel dicam, ab omnibus coctis, & in his se fortiter gerendo ac tolerando propter ingluuiem. Qui cum id vicerit, potuit hymnum victoriæ canere, sic dicens. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, & non lætificasti inimicos meos supra me. Hic à spiritu fornicationis variè oppugnatus, perseverauit quadraginta annos in monasterio. Is autem narrabat, dicens. Triginta & duos annos nullum fructū tetigi. Cùm autem, inquit, timiditas me summè oppugnasset, adè vt vel interdiu pertimescerem, me inclusi sex annos in monumento: & ea ratione euasi superior, ex impatibilitate bellum gerens cum spiritu, qui mihi hanc imponebat seruitutē. Huius viri insignis magnā curā gerebat beatus Basilius Episcopus, qui delectabatur eius austeritate, constantia, & in opere diligentia, qui adhuc in hodiernum diem à calamo & charta non recessit, cùm sit natus annum octogesimo. Dixit hic beatus. Ex quo sum initiatus & regeneratus ex spiritu & aqua, vsque in hodiernum diem, alienum panem gratis non comedi, sed eū qui ex propriis laboribus ad nos venit diuinitus. Ducentos quinquaginta nummos ex opere manuum mearum dedi iis qui erant manci ac mutili. ne-

Tentatio fornicationis & gula quomodo retunditur.

Psal. 29.

S. Basilius Philoromo familiaris.

que vlli vnquam feci iniuriam. Is pedestri itinere venit Romam vsque ad orādum in martyrio sanctorum Petri & Pauli. Peruenit autem etiam vsque ad Alexandriam, cùm vouisset, in martyriū venerandi athletæ Marci. Dignus autem, inquit, sum habitus, qui voti gratia, bis propriis pedibus venire Hierosolyma ad honoranda loca sancta. & ipse mihi suppeditauit impensas. Dicebat autem, nobis, vt vtilitatem ex eo caperemus. Non memini me vnquam animo à Deo meo recessisse. Huius beati Philoromi talia sunt certamina, & in his est inuicta victoria. & beatorum laborum ei redditur finis, corona gloriæ immarcescibilis.

Romana peregrinatio. Votum peregrinationis

VITA BEATI SEVERIANI

& eius vxoris.

IN Ancyra Galatiæ, in ipso loco contigit mihi al-
 Iqui quendam Seuerianum vnà cum eius coniuge Dosphoria. nec eorum magnam habui experientiam. Ij quidem multa spe bona repleti sunt, & suos frustrantur filios, re vera in futura intuentes. Suorum enim prædiorum reditus consumunt in egenos, habentes quatuor filios & duas filias. quibus ne vitis quidem sarmentum dederunt præterquam iis quæ nupserant. Dicebant autem reliquis suis filiis. Post nostrum decessum omnia sunt vestra. Quandiu autem sumus superstitēs, nos possessionum nostrarum fructus colligemus, eos distribuentes ecclesiis, & monasteriis, & xenodochiis, & omnibus egentibus. In quibus hoc quoque est eorum virtutis egregiæ. Cùm esset magna fames, & quæ omnium hominum peruadebat viscera, illi tunc eas quæ illic erant hæreses traduxerunt ad

CXIII.

rectam opinionem. Nam cum in multis prædiis horrea sua aperuissent, ea præbebant in alimentum pauperum. adeò vt ex hac inexplicabili eorum benignitate in vnã rectæ fidei consonantiam couenerint, qui erant hæreticæ opinionis. Deo gratias agentes ob simplicem eorum fidem, & immensam beneficentiam. Alia autem exercitatio eorum erat admirabilis. Vestis eorum habitus erat maximè venerandus. eratque in eis magna & quæ dici nequit victus tenuitas. erant valde modici sumptus. alimentorum frugalitate contenti quantam vita requirebat. pietatem in Deum mirandum in modum exercentes: in agris degentes plurimo tempore: semper fugiètes ciuitates, & vitia quæ ex eis oriuntur. ne ex iucunda cum turba cõuersatione tumultus ciuiles attraherēt, & exciderēt à Dei proposito. Propter hæc omnia horum beatorum rectæ vitæ facinora, hinc iam intelligentibus oculis aspiciūt æterna bona quæ parata sunt à Dei gloria.

*Vitæ solita-
riæ descri-
ptio.*

VITA ELEEMONIS MONACHI.

cxv. **V**idimus in hac ciuitate monachum patrem monasteriorum, qui non inducebat in animum cum villo homine vel pauco tempore colloqui. Is vicefimum annum agens in exercitatione, hoc habuit vitæ institutum, vt permaneret apud ciuitatis episcopum virum sanctissimum. Est autem adeò benignus & misericors, vt etiam noctu circumbeat, & misereatur eorum qui indigent. Is non negligit custodiam. non nosocomium, non Ptochium. non diuitem. nõ pauperem. sed fert opem omnibus. apud diuites qui-

*Eleemo-
næ apud
Episcopum.*

dem, vt immites & immisericordes, verba faciens de misericordia. vnicuique autem ex indigentibus prouidens quæ sunt necessaria. eos qui pugnant pacificas. nudis suppeditans indumenta. ægrotis medicamēta afferēs ad curationem. Quod autem solet fieri in omnibus magnis ciuitatibus, in ea quoque fiunt. In porticu enim ecclésiæ iacet multitudo mæcorum ac mutilorum quotidianum victum emendantium. qui partim quidem vxores non duxerunt, partim verò etiam duxerunt. Quodam ergo die accidit vt vnus horum vxor pareret in porticu, & in ipsa hyeme. Ea ergo clamante cum ab illo intolerabili dolore pungeretur, audiuit hic beatus vlulatū, orās in ecclesia. & relictis sibi consuetis precibus, egressus respexit. & cum neminẽ inuenisset qui illi adesset in hac necessitate, ipse functus est vice obstetricis. non abhorrēs fastidium quod cõsequitur mulieres parientes. mulierum insensibilitatẽ ei largiēte hac profundissima eleemosyna. Atque vestitiū quidem quibus est indutus precium non est vnus oboli. Cibum autem contendit cum vestibus. libello autem non sustinet incumbere, à lectionibus eum abducente clementia. Si quis ex fratribus ei librum donauerit, eū statim vendit & distribuit pauperibus. Iis autẽ qui sciscitabantur, Cur hæc vendis? dicebat. **Q**uipossum meo persuadere magistro me eius artem accuratè didicisse, nisi illo ipso vsus fuero ad artem rectè exercendam? Hic immortalis cum in hac actione hucusque permansisset, perpetuo germinans memoriæ nomen reliquit illi, quæ est circūcirca regioni. Ipse fruens æterno gaudio in regno cœlorum, recipiēs

*Verè Hic
Eleemosina-
rius.*

digna præmia beatis laboribus. & qui esurientes hic nutriit, & nudis dedit vestimenta, nunc apud bonorum operum remuneratorem fruitur omne genus deliciis.

VITA ABBATIS BISARIONIS

CXVI

Simplex tunica.

FVit quidam senex, possessionibus carens, & misericors, nomine Bisarion. Is cum venisset in quendam vicum, vidit mendicum nudum in foro mortuum. vnam quidem ferens tunicam conuenienter euangelicæ traditioni, & paruum superhumerali. Nihil enim possidebat præter hoc necessarium tegumentum. Habebat autem semper quoque paruum euangelium sub axilla, aut ad sui faciendum periculum num perpetuò voci Domini obediret. aut potius gestans sermonem quem erat opere executus. Tam admirabili enim vita vsus est hic vir & citra vllum dedecus, vt perinde ac terrestri angelus cœlesti iter legitime peregerit. Hic ergo cum vidisset reliquias, se protinus exuens superhumerali, eo induit mortuum. Et rursus cum parum processisset, nudo egenti occurrit: & stetit apud se disceptans, & sic ratiocinans. Quomodo ego quidem, qui mundo renunciaui veste induor, frater autem meus algore concreuit? Si ergo ego eum si uero exanimari, ero omnino causa mortis proximo. Quid ergo, exuens ne scindam, & partem distribuam, an totum dabo ei qui est factus ad Dei imaginem? Sed quid mihi & illi erit utilis pars quæ scinditur? Et cum apud se disceptasset, dixit. Damnè ne aliquid patiemur, si plus quam sit præceptum faciamus? Generosus itaque

Bisarion nudum pauperem vestit suo habitu, ipse interim nudus.

hic

hic athleta, prompto & alacri animo vocat pauperem in vestibulum: & cum eum dimisisset indutum, stetit nudus, se operiens manibus, genua flectens & subsidens. solum habens sub axilla verbum quod facit diuites. Eius autem consilio & prouidentia transiens quidam Irenarcha, agnouit senem. & dixit proximo suo socio. Respice illuc. Nō est hic senex abbas Bisarion. Cum is autem dixisset, maximè. de equo descendens rogauit sanctum, dicens, Quis te exuit? Ille verò dextera protendens euangelium, Hoc, inquit, me exuit. Statim autem se sua veste exuens Irenarcha, perfectum militem, inquit. & protinus gestans veluti quandam paruum vestem monachorum, à mundo latens recessit. declinans laudem eius qui suum vidisset vitæ institutum. eum qui est ab occulto honorem celando expectans. Hic ipse postquam omne præceptum euangelicum rectè esset executus, cum nihil huius mundi amplius haberet in animo, ad diuinorum dictorum perfectiorem executionem, cum in transitu vidisset pauperem, cursu in forum contendit. vbi cum paulisper constitisset, vendidit euangelium. Paucis igitur post diebus, qui cum eo erat abbatis discipulus Dulas nomine, rogauit senem, dicens. Quid paruo libello factum est o abba? Cui senex placidè. verbum pulchrum admodum & valde scitum est locutus, sic dicēs. Ne tristitia afficiaris, o frater. Nā vt illic habemus fiduciam, propter obedientiam, vendidi ipsum sermonem, qui mihi semper dicebat. Vende quæ habes, & da pauperibus. Sunt autem aliæ quoque res plurimæ ex virtute gestæ huius magni patris. Cum

Vendit Euangelium pauperi succurrit.

*„Mat. 10.
„Luc. 18.*

D D

quo nos quoque digni habeamur habere partem, gratia Christi, Amen.

VITA BEATÆ MELANIÆ
Romana.

CXVII.

Necessarium autem existimaui virilium quoque & honestarum mulierum meminisse in hoc libro quibus Deus æqualia donauit præmia viris qui ex virtute vitam egere: & ipsis reddidit coronam eorum qui ipsi placuerunt. ne molles teneræque reddantur quæ sunt socordiores, & prætextum quærant & excusationem, tanquam quæ sint imbecilliores ad certamina virtutis, & ad honestam vitam agendam. Atque multas quidem vidi pias ac religiosas. & plurimas virtutis ergò conueni & virgines & viduas. Inter quas erat etiam beatissima Melania Romana, quæ fuit quidem filia Marcelli consularis, vxor cuiusdam viri qui erat in magna auctoritate, cuius nominis nõ rectè meminisse. Hæc cum esset vidua agens annum vicesimum, diuino amore digna fuit habita. & nemini quidquam dicens. prohibebatur enim iis temporibus Valente tenente imperium, cum curasset vt filij sui nominaretur tutor, ipsa acceptis suis mobilibus & in nauem iniectis cum aliquot famulis & mulieribus, cursu nauigauit Alexandriam. & cum illic res suas vendidisset, & in aurum minutum conuertisset, ingressa est in montem Nertiæ, sanctos patres cõueniens, Pambo, & Orsimum, & Sarapionem magnum, & Paphnutium Scetiotem, & Isidorum cõfessorem Episcopum Hermipolis, & Dioscurum. & versata est apud eos circiter annum dimidium, obiens solitudinem, & videns om-

Melania Romana sub Valente.

Subministrat monachis necessaria

nes sanctos. Post hæc autem cum Augustalis Alexandria relegasset Isidorum, & Pitimium, & Adelum, & Paphnutium, & Pambo, & inter eos etiam Ammonium Parotium, & duodecim episcopos, & presbyteros, in Palæstinam circa Diocesaream, ipsa eos est secuta, eis ex suis propriis pecuniis subministrans. Cum autem prohiberentur ministri, vt narrabant: conuenerunt enim sanctum Pitimium, Isidorum, & Paphnutium, & Ammonium: hæc fortis mulier induta seruuli caracalla, vespere eis ferebat quæ erant ad vsum necessaria. Cum autem id cognouisset consularis Palæstinæ, & vellet sinu suum implere, sperauit fore vt ei fumo oculos præstringeret, & ab ea aliquid exprimeret. eaque re tentam coniecit in carcerem. ignorans eius libertatē. Hæc autem significat ei, dicens. Ego illius quidem fui filia, huius verò vxor qui in terra fuit genere clarus: nunc autem sum Christi ancilla. Neque meum vilem habitum despexeris possum enim me si velim extollere. nec potes mihi hac in re fumo oculos præstingere, neque ex rebus meis aliquid accipere. Ne ergo forte ignorans in aliquod crimen incidas, quænam sim tibi declarauit. Oportet enim aduersus stolidos, tanquam cane & accipitre vti animi elatione, & in tempore eorum superbiæ in ipsos immittere. Tunc certè iudex cum hæc accepisset, se excusauit, & eam adorauit: & iussit eam absque villo impedimento cum sanctis viris versari.

VITA RVFINI PRESBYTERI.

Hæc, postquã hi fuerunt reuocati, monasterio adificato Hierosolymis, viginti septē annos versata
DD ij

CXVIII.

*Ruffini a-
micicia cau-
sam dedisse
videtur Par-
ladio, ut ef-
set in Hie-
ronymum
iniquior.
Votum Hie-
rosolimita-
rum.*

est in Hierusalem, habens conuentum virginum cir-
citer sexaginta. Cum qua vixit etiam nobilissimus &
moribus simillimus & fortissimus Ruffinus ex Aqu-
lea ciuitate Italiae. qui postea dignus est habitus pres-
byteratu. quo non est inuentus inter homines nec
doctior nec mitior. viginti autem & septem annis ex-
cipiebant eos qui veniebant Hierosolyma voti causa,
& episcopos & monachos & virgines, & omnes qui
aduentabant, suis fouebant expensis. Iuuerunt quo-
que habitum qui est secundum Paulinū, circiter qua-
dringentorum virorum vitam monasticam agentium.
& omnem hereticum ex Pneumatomachis, hoc est
ex iis qui bellum gerunt aduersus sanctum spiritum,
persuasum introduxerunt in ecclesiam. & clerum qui
erat in eo loco, & donis & alimentis honorantes, sic
vitam transegerunt, neminem offendentes, sed omnē
propemodum orbem terrae iuuantes. Atque de admi-
rabili quidem & sancta muliere Melania superius qui-
dem narraui attingendo leuiter. nihilo fecius autē re-
liqua, vel potius ea quae teneo memoria de eius vir-
tutibus, ad texā oratione. nempe inenarrabilem religi-
osissimae mulieris beneficentiam, per quem cum bea-
tum incorruptionis indumentum suis texuisset labo-
ribus, & quae non potest marcescere gloriae coronā, suis
pecuniis, proprio suo capiti fabricata esset & induif-
set cum multa fiducia hinc excessit ad Dominum. Me-
ergo incipientem narrare praecleara huius beatae faci-
nora, si volo dicere quae scio, tempus deficiet. Quan-
tam quidem opum materiam ea consumpsit in egen-
tes, coelesti correpta desidetio, non arbitrator flammā

ignis si in copiosam inciderit materiam, tantam posse
exurere. Hoc autem non est meum solum narrare, sed
etiam eorum qui Persidem & Britanniam, & omnes
habitant insulas. Beneficiorum enim & largitionum
huius immortalis foeminae non Occidēs, non Oriens,
non Septentrio fuit expers, nec Meridies. Triginta
enim & septem annos hospites excipiens, illis ea quae
erant vsui suis praebuit sumptibus, ecclesiisque & mo-
nasteriis & hospitibus & carceribus. & ut semel dicam,
nullus ex iis qui eam conuenit, non est aliquam partē
eius opum consecutus. suppeditantibus ei consan-
guineis, & ipso filio, & curatoribus quotannis pecu-
nias. Ea autem cum in hospitalitate adeo perseuera-
uerit, ne palmū quidem terrae possedit. Non abstracta
est à cupiditate filij, non eā diuisit à charitate in Chri-
stum vnigeniti filij desiderium. Sed eius precibus
adolescens & ad summam peruenit doctrinam, mori-
busque fuit ornatissimus, claroque & illustri fuit ma-
trimonio coniunctus, & mundanos est honores con-
secutus. qui duos quoque habuit filios, qui testaren-
tur iustum matrimonium. Multis itaque post annis
cum de neptis statu audisset, eam & nupsisse, & velle
seculo renunciare: verita ne forte in aliquam malam
abriperentur doctrinam, vel haeresim, vel malā vitam
anus sexaginta annos nata nauē ascendit, & Cæsarea
nauigans viginti dierum spacio Romam venit. Atque
illic quidem cum esset, beatissimum virum maximae
existimationis clarissimum Aprianum, qui erat genti-
lis, catechesi instituit, & Christianum fecit. persuasit-
que ut contineret etiam cum sua vxore, eius autem

*Continēt i
coniugum.*

forore, Auita nomine. Cùm autem suam quoq; neptem confirmasset Melanium vnà cum eius marito Apriano, & catechesi instituisset Albinam nurum suam, vxorem autē sui filij: & persuasisset his omnibus vendere quæ habebant, Roma eos eduxit: & ad honestū ac tranquillum vitæ portum deduxit. Et sic depugnauit aduersus omnes bestias, nempe eos qui erant ordinis senatorij, & eorum vxores prohibentes eam renunciare reliquis suis ædibus. Christi autem ancilla eis dicebat. Filij, plusquam quadringentis abhinc annis scriptum est, Vltima hora est. Quid ergo lubentes ac volentes immoramini in vanitate vitæ? ne forte veniant dies Antichristi, & non possitis frui vestris opibus, & rebus maiorum vestrorum? Cùmq; omnes his verbis liberasset, duxit in Siciliam. cùmque reliqua omnia sua vendidisset, & precium accepisset, duxit Hierosolyma. & cùm facultates diuisisset, intra quadraginta dies dormiit in bona senectute & summa mansuetudine, & veneranda memoria. relicto etiam monasterio Hierosolymis & sumptibus monasterij. Postquam autē hi omnes Roma abscessissent qui catechesi instituti fuerant à beata Melania, barbarica quædam procella, quæ etiam in prophetis iam olim posita fuerat, in Romam irruit. & nec æneas quidem statuas reliquit in foro. sed omnia barbarica diripiēs insolētia, corruptit. adeo vt Roma quæ mille & ducentis annis pulcherrima fuerat & frequētissima, dirueretur, fieretque deserta, & vt ait Sibylla, *πύμν*, hoc est vicus, non Roma. Tunc qui catechesi fuerant instituti, & ei minimè aduersati, Deum laudauerunt

1. Ioan. 2.

Roma dicitur
et sic vicus.

qui rerum mutatione persuasisset incredulis, quòd aliis omnibus redactis in seruitutem, eæ solæ saluæ fuerint familiæ quæ Domino fuerunt holocausta studio beatæ Melaniæ.

VITA PARVÆ MELANIÆ.

NON est autem iustum vt iunioris quoque in carne Melaniæ vitā despiciamus, & neptis magnæ Melaniæ tantam virtutem tacitam prætereamus, quæ longè forte præstat prudentibus & studiosis vetulis. Hanc ergo ætate iuuenem, pietatis autem sententia vetulam, parentes inuitam nuptum dedere, eam iungentes matrimonio viro vrbis Romæ primario. Hæc semper stimolata auię suę narrationibus, tantum fuit sauciata, vt matrimonio non posset inseruire. Cùm autem ei nati essent duo filij masculi, ii que decessissent, tantum eam cepit odium matrimonij, vt dixerit marito suo Pipiano filio Seueri qui erat ex Præfectis. Si volueris quidem mecum cohabitare vt ratio dicit temperantiæ, & te Dominum agnosco, & profiteor meã vitam esse in tua potestate. Sin autem hoc tibi graue videtur vtpote iuueni: res omnes meas tibi habe, & solū sine me esse liberam, vt satis faciam meo quod est ex Deo desiderio, facta hæres eius quæ est ex Deo virtutis meę auiæ, cuius etiam nomen gero. Si enim vellet nos Deus degere in hoc mundo, & frui rebus mundanis, non filios mihi natos accepisset immaturos. Cùm autem longo tempore inter se contenderent, Deus postea misertus adolescentis, ei quoque zelum immisit religionis, vt ipse quoque mundi vniuersæ renunciaret terrenæ materiæ. adeò vt impletum fuerit

CXIX.

NARRATIONIBUS
AUIÆ STIMULATUR
IUNIOR MELANIA.

1. Cor. 7. 33
 33
 Renuncia-
 re mundo.
 Ornamen-
 ta altaris.
 Melanie
 quomodo
 sua distri-
 buerit.

quod scriptū est ab Apostolo. Quid enim scis mulier an virum seruabis? Vicesimo ergo suæ ætatis anno mundo renūciat. Et primum quidem omnia sua ferica super humeralia tegumenta dedit altaribus. reliqua autem ferica indumenta cūm conscidisset, res diuersas fecit ecclesiasticas. Argentum autem & aurū cūm credidisset cuidā Paulo presbytero monacho, id per mare misit ad Orientem. Atque Ægypto quidem & Thebaidi decies mille nummos: Antiochiæ autem & eius partibus nummos decies mille: Palæstinæ nummos decies mille distribuit. Ecclesiis autem quæ sunt in occidente, & monasteriis, & xenodochiis, & omnibus egentibus per seipsam suppeditauit, & suppeditat his quadruplo plura. Liberauit autem seruorum qui voluerunt octo millia. Reliqui enim noluerunt: sed maluerunt manere cum fratre eius. Omnes autem possessiones quas habuit in Hispania, & in Gallia, & in aliis ciuitatibus, cūm vēdidisset, eas ad tres vsque nūmos distribuit. Quæ autem habebat in Sicilia, Campania, & Africa, sibi reliquit, vt suppeditare posset monasteriis & egenis. Hæc est sapientia in primis religiosæ, & quæ mentem senilem susceperat de pecuniæ materia, Melaniæ iunioris. Hæc autem erat eius exercitatio. Post diem vnum comedebat. In principio autem post quinque, variè ancillis suis seruiens. quas etiam secum vnà reddidit exercitatrices. Iam verò ipsa quoque multos ex suis cognatis ducens ad zelum diuinum, fecit vt similiter atque ipsa religiosè Deum colerent. Hæc est vita iuuenis Melaniæ per Dominum nostrum Iesum Christum.

D E

DE ALBINA.

HAbebat autem secum quoque matrem Albinam, ^{CXX.} quæ similiter exercetur, & similiter rursus seorsum dispergit suas pecunias. Habitant itaque in agris. aliquando quidem Siciliæ. aliquando verò Campania cum eunuchis quindecim, & virginibus & ancillis.

DE OPIANO.

SImiliter autem Opianus quoque eius quondam ^{CXXI.} smaritus, nunc autem in opere virtutis adiutor vnanimis, qui exercetur cum triginta monachis, & legit diuinas scripturas, ortoque colendo est intentus, & congressionibus. Non paruo autem nos honore affecerunt cūm Romam venissemus propter beatum Ioanem episcopum, nos reficientes, & abundantissimis viaticis excipientes, accersentes æternam vitā Domini nostri Iesu Christi, & optimæ vitæ institutionis. Ad eum accessit vir procōsularis, nomine Pamachus, qui cūm mundo renunciaisset, vitam egit <sup>De Pama-
chio.
CXXII.</sup> optimam. & suas opes partim quidem viuus dispersit, partim autem moriens reliquit pauperibus. <sup>De Macario
CXXIII.</sup> Similiter etiam quidam nomine Macarius ex Vicaria. <sup>De Constā-
tio.
CXXIII.</sup> Constantius quoque assessor Præfectorum Italiæ, insignes viri & eruditissimi, qui peruenerunt ad summum pietatis & religionis. quos existimo adhuc nunc quoque esse in carne, optimā instituendæ vitæ rationē exercentes, beatamque vitam & nulli exitio obnoxiam expectantes. Inter quos fuit etiam Paula Romana mater Toxotij, vxor N. ad spiritalem vitæ institutionem accommodatissima. Cui impedimento fuit <sup>De Paula
Romana.
CXXV.</sup>

E E

Hieronymus quidam Dalmata. Nam cum posset superare multas, ne dicā cunctas, vt quæ ad vitam ex virtute gerendam esset optimo ingenio prædita, eam sua inuidia impediit, ipsam trahens ad scopum proprium. Cuius filia nunc quoque exercetur in Bethleem, nomine Eustochium: quam ego non conueni.

De Eustochio.
CXXVI.

Dicitur autem esse temperantissima, habens conuentum quinquaginta virginum. Inueni autem Venerēā Ballomeci comitis filiā, quæ onus cameli rectè dispersit, & liberata est à vulneribus quæ oriūtur ex materia.

De Venerēā
CXXVII.

Et beatam Theodoram Tribuni filiam, quæ ad tantam processit egestatē possessionū, vt ipsa eleemosinam accipiens sit mortua. In monasterio Hesicha propter mare, noui mulierem nomine Vsiā, longè in omnibus honestissimam.

De Theodora.
CXXVIII.
De Vsiā.
CXXIX.

Et eius sororem Adoliam, quæ ipsa quoque vixit in virtute, & non pro eius quidam dignitate, sed pro suarum virium facultate sibi vixit zelo Dei. Noui autem etiam Basianillam

De Adolia.
CXXX.

Candiani ducis exercitus filiam, quæ ipsa pio & alacri animo virtutem exercuit, & in hodiernum vsque diem certamina acriter exequitur. Et Photinam virginem summè honestam, filiam Theoctisti presbyteri in Laodicea. Vidi autem Romæ quoque Afellam honestam Dei virginem, quæ honestè consenuit in monasterio, mulier longè mitissima, & quæ retinet cōuentus, in quibus vidi & viros & mulieres cate-

De Basianilla.
CXXXI.

chesi recenter institutos. Vidi etiam beatam Auitam Deo dignam cum eius marito Priniano, & eorum filia Eunomia, in omnibus Deo bene placentes, vt apertè facile traducti fuerint à dissoluta & volupta-

De Photina.
CXXXII.

De Afella.
CXXXIII.

Deo dignam cum eius marito Priniano, & eorum filia Eunomia, in omnibus Deo bene placentes, vt apertè facile traducti fuerint à dissoluta & volupta-

De Auita.
CXXXIII.

ria vita ad honestam & continentem vitæ institutionem, in his quoque digni habiti vt in Christo dormirent, ab omni quidem peccato liberi, perfectè in honesto certamine decertantes, in bona memoria vitam suam relinquentes. In ciuitate Ancyra, sunt multæ quidem aliæ virgines, nempe ad decem millia, duæ autem vel plura, quæ exercentur, & in omni virtutis institutione militant. omnésque temperatiæ legibus claræ & insignes foeminæ, & diuinum certamen studio exequentes. Inter quas principatum obtinet in pietate Magna honestissima foemina & probissima. Quam nescio quid sim nominaturus, virginem ne an viduā. A matre enim vi viro coniuncta, eum tamen variis infescans dilationibus, & corporis morbos prætexens, à corruptionis vicio integra & intacta permansit, vt dicunt eius necessarij. Cūque paulo post decessisset eius maritus, omnium simul facta est hæres vnica. & temporalibus deinceps cōmutans æterna, totā se ipsam Deo obtulit. summè curam gerens vitæ quæ semper manet. suis famulis honestè imperans, agens vitam laboriosissimam & plenam temperantia. in congressu tam seuera vt ipsum eius aspectū reuererentur etiam excellentissimi episcopi propter insignem pietatem & religionem. Atque ipsa quidem superuacaneam & nimiam opum materiam, possessionū vacuitatis igne consumpsit. quæ autem supererant ea constituit ad subministrationem, monasteriis, prochorophiis, xenodochiis, ecclesiis, pauperibus, transeuntibus, episcopis, orphanis, viduis, & omnibus egentibus suppeditans auxilium, non cessabat hilariter

De Magna.
CXXXV.

operari pietatem latenter & per se & per seruos fidelissimos. ab ecclesia non recedens noctu maximè. in omnibus in virtute se exercens propter spem eius quæ verè est vita.

DE VIRGINE QUÆ EXCE-
pit Athanasium episcopum.

CXXXVI. **N**Oui ego Alexandria virginem, quam offendi natam circiter septuaginta annos. Ei clerus vniuersus dabat testimonium, quòd cum esset iuuenis nata annos circiter viginti, & longè formosissima, fugiebatur ab iis qui erant studiosi virtutis propter pulchritudinem, ne inureret eis aliquam labem ex suspicionem. Quando ergo accidit vt Arriani struerent insidias beato Athanasio Alexandrino episcopo per Eusebium, qui erat eo tempore præpositus sub Constantio Imperatore, nefariorum criminum eum accusantes & calumniantes: vitans iudicari à corrupto iudicio, apud neminem ausus est delitescere, non apud cognatum, non amicum, non clericum, non apud aliquem alium. sed repente episcopatum ingressus præfecti ministris & eum quærentibus, accepto suo Stichario & cereo media nocte confugit ad hanc virginem. Illa autem fuit rei nouitate obstupefacta. Dicit ergo ei episcopus. Quandoquidem quæror ab Arrianis, nefariorum criminum ab eis accusatus: Ne ergo & ego veniam in malam existimationem, & in peccatum coniciã eos qui me volunt afficere supplicio, eade causa fugere constitui. Mihi ergo Deus reuelauit hac nocte me apud nullum alium posse esse saluũ, nisi apud te. Illa ergo præ magno gaudio omni

Formosissima Virgo etiam castissima, & maxime castissima.

Athanasius non aueret apud amicos delitescere.

Sticharium est interior alba vestis sacerdotalis.

eiecta dubitatione, cum tota esset Domini, prompto & alacri animo occultauit sanctissimum episcopum sex annos, quandiu vixit imperator Constantius. ipsa & eius pedes lauans, & excrementa expurgans, & in aliis quæ erant ei vsui inseruiens, libròsque ei commodans & prebens. neque vllus sex anno noui Alexandria, vbinam ageret beatus Athanasius episcopus. Postquã ergo fuit annunciata mors imperatoris Constantij, & peruenit ad eius aures, honesto & venerabili habitu indutus rursus noctu fuit inuentus in ecclesia. Quem videtes omnes magna sunt affecti admiratione, vt qui ipsum viuum accepissent ex mortuis, simul etiã postulantes eius amici de latebris quæ ab eorum ignorantia inueniri non potuerant. Respondit itaque beatus Athanasius germanis suis amicis. Ea de causa ad vos non confugi, vt vere iurare possetis. & alioqui etiam propter inuestigationem, ad illam cõfugi de qua nemo suspicari poterat, vtpote formosam & iuniorem. duo bona procurans, & illius salutem. illi enim profui, & meæ existimationi & securitati.

VITA AMMÆ TALIDÆ.

CXXXVII. **I**N ciuitate Antinoi sunt foeminarũ monasteria duodecim. In quibus conuenit etiam Ammam Talida, quæ octoginta annos fuerat in exercitatione, vt narrabat ipsa & eius vicinæ. Vnã cum ea habitabant sexaginta adolescentulæ. Eam autem aded diligebant, vt ne esset quidem clavis aulæ monasterij, vt in aliis: sed ipsæ ab eius amore detinerentur. Eò autem impatibilitatis processit anus, vt cum ego essem ingressus & confedissem, ipsa quoque ingressa sit, & vnã mecum

federit, & magna libertate meis humeris manum imposuerit.

VITA AMMAE TAOR,

CXXXVIII. **I**N hoc monasterio erat virgo huius discipula, nomine Taor, quæ triginta annos versata erat in monasterio. Ea vestem nouam aut *μαφόριον*, aut calceum noluit accipere, dicens, Non est mihi opus, ne etiam cogar progredi. Aliæ enim omnes die dominico progrediuntur in ecclesiam gratia communionis. Illa autem in monasterio manebat pannis obsita, operi assidue assidens. Ea autem fuit tam eleganti aspectu, vt parum abesset quinetiam valde constantes deciperentur eius pulchritudine, nisi insigne præsidium habuisset temperantiam, quæ ad metum & verecundiam deducebat honestate impudicos oculos.

DE VIRGINE QVÆ
renunciauerat.

CXXXIX. **E**Rat quædam alia mihi vicina, cuius vultum quidẽ non vidi. Nunquam enim, vt aiunt, est progressa ex quo renunciavit. Cùm autem impleffet sexaginta annos in exercitatione cù matre sua propria, erat postea vita excessura. Ad eam autem accedens martyr qui erat in eo loco, nomine Colluthus, ei dicit. Hodie esitura ad Dominum, & visura sanctos omnes. Veni ergo & prande nobiscum in martyrio. Cùm ergo mane surrexisset & se induisset, & in sporta panem accepisset & oliuas, & minuta olera, post tot annos est egressa. & cùm venisset in martyrium, orauit. & cùm toto die obseruasset tempus in quo nullus erat intus, & se-

Martyr hic dicitur qui præ est martyrio.

Martyrii autem est oratorium de dicatum in honore martyris.

disset, rogauit martyrem, dicens. Benedic cibos meos, Colluthe sancte, & me in via comitare tuis precibus. Cùm ergo comedisset & rursus orasset, domum venit circa occasum solis. Et cùm dedisset matri suæ opus Clementis Stromatei in prophetam Amos, dixit ei: Da id episcopo relegato. Et dixit ei, Ora pro me. Vado enim ad Dominum meum. decessit ipsa nocte. Cùmque nec febris laborasset, nec ei caput doluisset, sed se ipsam ad sepulturam composuisset, in manus Dei emisit spiritum.

Clementis opus in Amos.

DE VIRGINE QVÆ LAPSA
est, & egit penitentiam.

QVædam virgo exercitatrix manens cum duabus aliis virginibus, se exercuit nouem vel decem annis. A quodam autem cantore inescata cum eo habuit stupri consuetudinem. & cùm vtero concepisset, peperit. Cùm autem in summum odium venisset apud eum qui ipsam deceperat, in profundo punctus est animo. & ad eam peruenit mensuram poenitentis, vt in ea perseverans se fame vellet occidere, hoc cum lachrymis orans, Deumque rogans, & dicens. Deus magne, qui omnium nostrum peccata portas, & immensum totius mundi vitium, qui non vis mortem peccatorum, & eorum qui labuntur interitum, sed miseris vniuersæ creaturæ. est enim voluntas tua vt omnes seruetur. Si ergo me quoque quæ pereo vis esse saluam, in hoc mihi tuam ostende bonitatem. & nunc tua ad me perueniant mirabilia. & iube hinc abduci fructum meæ iniquitatis. Nam nisi hoc fiat, ego hac de causa vel me laqueo suffocabo, vel me ipsam disperdam.

CXL.

Cantor.

Oratio penitentis.

Cùm sic oraret, fuit exaudita. Nam qui natus fuerat infans non multo post decessit. Ab illo ergo die non amplius conuenit eum qui ipsam redegerat in seruitutem. sed se totam insigniter dedens continentiae, ægrotis mancisque ac mutilatis seruiens triginta annos, ita Deum placauit, propiciumque reddidit: ut quidam sancto presbytero reuelaretur illam Deo magis placuisse in poenitentia quam in uirginitate. Hæc autem scribo, ne eos qui multa peccant, & ex animo ac sincerè agunt poenitentiam contemnamus. sicut hæc beata quæ cor suum contriuit, & in humilitate vitam suam liquefecit, non despecta fuit à Domino eorum qui ducuntur poenitentia.

DE FILIA PRESBYTERI

& Eustathio diacono.

CXII.

Lector in
stè accusa-
tus de stru-
pro.

Cuiusdam presbyteri filia uirgo in Cæsarea Palestina lapsa, ab eo qui ei uitium attulerat docta fuerat, ut quendam ciuitatis lectorem calumniaretur, & quod corrupta esset in eum culpam conferret. Cùmque ferret ventrem, à patre suo examinata, nominauit lectorem. Hoc cùm audiisset presbyter, conturbatus retulit ad episcopum. Hoc cùm audiisset episcopus, conuocauit concilium sacerdotum. fecitque vocari lectorem deque eo habuit quæstionem, rem examinans. Rogatus autem ab episcopo rem non fatebatur lector. Nam quod factum non fuerat, quomodo dici poterat? Ægrè ergo ferens episcopus, grauissima uoce ei dicebat. Nō fateberis lapsum tuum, & ages poenitentiam o infelix, & plene immundicia? Respondit lector. Rogo te. Dixi id quod res est, hanc rem ad me nihil

nihil pertinere. Planè enim culpa careo, ut qui de ea ne cogitauerim quidem. Sin autem uultis audire id quod non est, dicam, Feci. Hoc cùm ipse dixisset, deposuit eum episcopus ab officio lectoris. Post hoc accidens ad pedes episcopi, rogauit dicens. Si hoc tibi uisum est Domine episcope, ut quoniam dixi, Næ, lapsus sum, sim separatus à communione, & non sim dignus esse clericus tuæ sanctitatis, iube ut mihi ab hoc tempore ea detur in uxorem. Neque enim ego sum deinceps clericus, neque illa uirgo. Cùm hæc audiisset episcopus & presbyter, eam tradidit pater eius lectori. sperans fore ut iuuenis bene esse in eam affectus & alioqui credens non posse eum excindi à consuetudine. Cùm eam autem adolescens accepisset in manus ab episcopo, & eius patre, eamque esset cōsolatus, abduxit & deposuit in monasterio mulierum, rogans eam quæ illic erat prima ministra fraternitatis, ut eam illic tolerarent usque ad partum eius. Illa uero relicta in monasterio, lector abiens seipsum inclusit in cella sordida, uitæ summam suscipiens asperitatem, ad Christum accedens in corde contrito cum multis lachrymis & gemitibus, dicens. Tu domine meas actiones nosti, qui scis omnia. quem nihil latet. neque est ullus locus occultus in quo quis se abscondat à tua quæ omnia aspici potest, qui uides omnia priusquam fiant. Tu solus uides profunda cogitationum. & omnis mentis cōceptio à te cernitur, perinde ac si aspiciatur oculis. Tu cùm cogitatorum sis acer examinatore perfectè iudicas. Tu es qui eos arguis, qui appetuntur calumniis, cui nihil placet iniustum. Omne autem momentum sta-

Oratio ini-
iuste delati.

teræ iustitię est à te semper, qui es lux ad quam non patet aditus: & omne opus hominis est coram te. Est ergo tui iusti & immutabilis iudicij, ius quoque meum pronunciare. Efficaciter autem orante adolescente, & in ieiunio diligenter perseuerante, intra breue tempus adfuerunt dolores eius partus. Cùmque aduenisset hora, adfuit etiam iustum Dei iudicium, afferens vehementem & intolerabilem dolorem ei quę fuerat calūniata. gemituum immensa multitudo. labores partus inenarrabiles. inferni suppliciorum visiones terribiles, hęc miseram fortiter obsidentes. & infans propter magnitudinem non prodibat ex utero. Præterit dies primus & secundus, & dolores erant intolerabiliores. Aduētavit tertius & quartus, & secutus est dolor multis partibus grauior. Quintus & sextus & septim^{us} tenebrosus. & infelix mulier ex multo dolore versabatur in inferis. In omnibus his diebus māsit neque omnino cibum sumens, nec tantillum somnū videns. sed luctibus & grauiissimis dolorum tormentis succedētibus, post hęc omnia, viciatę & falsę accusatricis cor inflexibile, victam à Dei potestate quę non cadit sub aspectum, intolerabilibus doloribus addidit etiā confessionem, lugubri voce exclamans. Hei mihi misera, venio in periculum ne peream, vt quę in duo mala inciderim, nempe in calumniam & fornicationem, & amissa virginitate sum tradita detractioni: & cùm mihi sit ab alio allatum vitium, accusaui lectorem. Cùm hęc autem audiissent virgines monasterij, patri eius omnia renunciarunt. Pater autem veritus ne condemnaretur vt calumniator, silet duos dies. rursus au-

Puella in partu dimino iudicio cogitur facta supri, & purgare lectorem.

tem misera, se inuicē excipientibus acerbis afflictabatur doloribus, cùm nō posset deinceps vel viuere vel mori. Cūque id effugit, oritur dies octauus, & rursus nonus, grauiissimis perpetuarum vertiginum tenebris eam offuscantes. Cùm ergo eius magnos eiulatus nō ferret conuentus, hęc cursim festinantes renunciant episcopo, iam esse nonum diem ex quo illa confitetur se accusasse lectorem, nec posse parere, quod ipsum sit calumniata. Episcopus autem cùm hęc audiisset à virginibus, ad lectorem mittit duos diaconos, ei omnia significās. & vt pro ipsa oraret, vt misera mulier liberaretur ab iis necessitatibus. Egregius autem adolescens, neque eis dedit responsum, nec aperuit ostium. sed à quo die ingressus est in cellam, non exiit, implēs consuetam regulam ieiunij, & Deo preces fundens. Flexus autem pater, & filiæ suę misertus, veniens ad episcopum, eum valde rogauit vt pro ea orationes fierent in ecclesia. Et cùm pro ea preces fusę essent ab omnibus ad Dominum, ne sic quidem misera liberata est à necessitate. Eius enim qui per calumniam fuerat accusatus, orationes Dominum mouentes, arcebant, ne eorum preces admitterētur. His sic gestis surgēs episcopus iuit ad cellam in qua erat lector. & cùm pulsasset ostium, nolebat is aperire. Cùm diu autem foris fuisset episcopus, ille autem intus, iubet episcopus tolli ostium. & ingressi inuenerunt adolescentem in oratione perseuerantem, & humi procumbentem. Quem multum rogans episcopus, ei dicit. Frater Eustathi lector, in apertum prolata calumnia Dei prouidentia, & exauditis tuis orationibus, miserere eius

Episcopus ipse etiam pergit ad cellam lectoris Eustathij.

quę in te peccauit, quę tormentorum flagellis fuit ex-
 cruciata. Miserere deinceps miserę. & surgens solue
 quod ligasti. precibus enim hæc patitur. & dic Domi-
 no vt eam liberet à partu ventris. Cùm autem incli-
 tus lector intente oraret simul cum episcopo, statim
 misera liberata est à necessitate, enixa infantē. rogans
 omnes vt ei remitteretur iniquitas ipsius iusti interces-
 sione. & illum egregium virum habuerunt omnes
 deinceps loco martyris. Nam cùm se deinceps liberaf-
 set ab omni sollicitudine, peruenit ad summū vitę quę
 ex virtute agitur: adeò vt is sit dignus habitus spiritali
 gratia. Hęc autem scripsimus, ne quis calūniatus illa-
 queetur his inimici retribus, & incidat in dolores car-
 nis intolerabiles, sicut hæc prius scripta est falsa accu-
 satrix. postquam autem à corpore fuerit liberatus, tra-
 datur æternis intolerabilibus tormentis, & quę nun-
 quam disinent. Deum enim ad irā prouocat is qui ca-
 lumniatur. Qui autem per calumniam accusatur, id-
 que fert pio & æquo animo, & eius in apertum pro-
 lationem permittit precibus, expectans iustum Dei
 iudicium, sicut hic à Christo coronatus, is &, quo-
 ad eius fieri potest, laudatur & in honore habetur, &
 æternam coronam consequitur. Discamus ergo quā
 sint insuperabiles vires orationis, quę & fideles con-
 firmat, & peccatorum miseretur, & fleat ac mouet
 omnium creatorem, & eos coronat qui se ex virtute
 recte gerunt, & eis qui in ea perseuerant, largitur re-
 gnum cælorum.

VITA SANCTÆ SILVANIÆ.

CXLII.

ILlo tempore contigit vt nos simul nauigaremus ab

*Precibus le-
 storis eripi-
 tur misera
 à partu do-
 loribus.*

*Qui calūniā
 patitur ex-
 pectet Dei
 iudicium.*

Aelia in Aegyptum, deducentes beatam Siluaniam
 virginem, vxorem autem fratris Rufini, qui fuit ex
 Præfectis. Inter quos erat etiam nobiscum Iubinus,
 tunc quidem diaconus, nunc autem episcopus eccle-
 siæ Ascalonis, vir pius & eruditus. Cùm autem vehe-
 mentissimus nos æstus inuasisset, & peruenissemus Pe-
 lusium, accidit vt Iubinus accepta pelui, pedes & ma-
 nus palmis lauaret aqua frigidissima. & postquam la-
 uisset, super pelliculam humi stratam quiesceret. Cū
 autem illa id aduertisset, vt mater sapiens germani filij
 eius increpauit molliciē, dicens. Quī in animum indu-
 cis, illā agens ætatem viuente adhuc tuo sanguine vs-
 que adeò tuam fouere carunculā, non sentiens damna
 quę ex eo oriuntur? Confide, confide. ecce ago annū
 ætatis sexagesimum. Præter extrema manuum mearū,
 non pes meus aquam tetigit. non vultus. nequa vllum
 ex membris meis. etiam si me variæ inuaserint ægritu-
 dines. & cùm à medicis cogerer vti balneo, non indu-
 xi in animum carni reddere debitū. non in lecto quief-
 cens, non lectica vsquam gestata ingrediens. Hęc cū
 esset doctissima, doctrinam amore complexa, noctes
 murabat in diem, omnia antiquorum qui commenta-
 rios ediderūt scripta percurrens, Gregorij, & Stepha-
 ni, & Pierij, & Basilij, & quorundam aliorum præstan-
 tis virtutis virorum viginti quinque myriadum. non
 leuiter, nec temerè hæc percurrens, sed elaboratè se-
 pties vel octies vnunquenque librū perlegens, vt ho-
 rum verborum gratia in altum erigeretur, spe bona
 seipsam auem efficiens spiritalē, & ad Christū euo-
 lans, immortales ab ipso acceptura remunerationes.

*De Iubino.
 CXLIII.*

CXLIH.

*Olympias è
magna stir-
pe.**Eleemofy-
na.**Donaria de
purata sacri
ficio.**Laudes O-
lympiadis.*

Eius vestigia est secuta, & omnem virtutem diuinæ vitæ spiritualis, in primis veneranda & honesta Olympias, & quæ vitæ quæ fertæ in cœlū summo zelo tenebatur, diuinarum scripturarum sententiam secuta in omnibus. Fuit autem secundum carnem filia Seleuci ex comitibus. vera autem Dei filia secundum spiritum. neptis autem Ablauij qui erat ex Præfectis, aliquot autem dies sponsa Nebridij qui fuit ex Præfectis Constantinopolis. Ipsa autem reuera fuit vxor nullius. dicitur autem dormiisse virgo incorrupta, effecta diuini verbi conuictrix, coniux autem totius veræ humilitatis, communicans & ministrans omnibus egentibus. Ipsa cum omnes illas infinitas & immensas dispersisset diuitias, absolutè & indiscriminatim opè ferebat omnibus. Non enim vrbs, non rus, nõ solitudo, mansit expers largitionum huius inclitæ virginis. Sed & ecclesiis suppeditauit ad donaria depurata sacrificio. & monasteriis, & coenobiis, & xenotrophiis, & custodiis, & relegatis. & vt semel dicam, in omnè orbem terræ dispersit eleemofynas. Hæc beata processit vsque ad extremum terminum humilitatis, vltra quem nihil possit inueniri amplius. vita sine vlla inani gloria. species nequaquam ficta. benigni mores. facies non fucata. corpus florens. mens non gloriosa. animus ab arrogantia alienus. cor minimè turbulentum. somni expers vigilia. spiritus nõ curiosus. charitas immensa. quæ comprehendi nõ potest communicatio. vilis & contempta vestis. infinita continentia. recta cogitatio. in Deum spes æterna, cum eleemofy-

na quæ non potest narrari. ornamentum omnium humilium. cui multæ sunt accensæ tentationes ex operatione eius, qui est sua sponte malus & omni boni expers, nempe Dæmonis. quæ pro veritate non parua adiit certamina. quæ & diu affatim vixit in immensis lachrymis. Omni humanæ naturæ subiecta propter Dominum. cum omni pietate sanctis subdita episcopis. venerans presbyteratum. honorans clerum, reuerens exercitationem. suscipiens virginitatē. opem ferens viduitati. curam gerens orbitatis. protegens senectutem. ægrotos inuisens. peccatorum miserens. errantes in viam deducens. in omnes vtens misericordia, profusè autem in pauperes. multisque infidelium in catechesi institutis vxoribus, etiam ad victum eis ferens auxilium, semper memorabile nomen benignitatis reliquit per totam vitam. A seruitute in libertatem innumerabilium seruorum restituens examina, reddidit eos honore æquales suæ nobilitati. vel potius, si vera dicere oporteat, facti sunt hac sancta habitu nobiliores. Neque enim eius indumentis inueniri potuit quidquã vilius. Nam iis etiam qui sunt pannis valde obsiti, indigna erant huius sanctæ tegumenta. Tanta autem erat eius mansuetudo, vt etiam longè superaret simplicitatem ipsorum puerorum. Nulla vituperatione à vicino quidem vnquam inuenta est apud hanc quæ Christum gestabat. sed omnis eius vita non vitalis, erat in compunctione & frequenti profluvio lachrymarū. & potius videre licebat fonti ætate sua deficere fluenta, quàm huius nõ sublimibus & Christum semper videntibus oculis lachry-

mas deficere. Et quid in his immoror? Quo enim magis meus versabitur animus in durâ instar saxi animæ narrandis certaminibus & virtutibus, eo magis inuenientur verba à factis remotiora. Nec me existimet aliquis hæc splendide & magnifice colligere de hac vel maximè impatibili, & perquirere reliquias totius Olympiadis, quæ fuit pretiosum vas sancti spiritus. sed qui his oculis viderim huius beatæ vitam & angelicam institutionem, vt qui fuerim spiritualis huius germanus amicus, & eius cognatis familiarissimus. aded vt multæ eius pecuniæ sint à me ex eius sententia distributæ. Hæc ergo non amplius de cætero quæ sunt carnis sapiens, subiecta principatibus, obediens potestatibus, venerans presbyteratum, honorans vniuersum clerum, confessione quoque digna est habita pro veritate, importunorum maledictorum multis acceptis procellis. Cuius vitam inter confessores referunt, quicumque pij habitant Constantinopolim: vt quæ proximè matrem periclitata sit in iis que sunt ex Deo certaminibus: & in his mortua beatâ accepit gloriam, & in infinito seculo coronata pompâ agit, nulli interitui abnoxias, cum sanctis & sibi similibus, in sempiternum mansiones habitans, & bonorum operum à Christo Domino cū fiducia accipiens remunerationes.

cxlv.

DE CANDIDA

Ornare
Ecclesias.

Post hanc equali quoque modo in Domino viuēs, beata Candida, Traiani vxor ducis exercitus, cū & ad summâ peruenisset honestatē, & rationi conuenienter ornasset ecclesias, & venerata esset episcopos

pro dignitate Christi sacramentorū, & omnem Christi clerum apertè honorasset, & suâ filiam instituisset in sorte virginitatis, eam præmisit ad Christum, donum suorum ilium. postea autem ipsa quoque, temperantia & castitate & pecuniæ dispersionibus filiâ suam est cōsecuta. Hanc ego vidi egregiam mulierem tota nocte laborantem & molentem, & propriis manibus facientem panem oblationis, ad vires corporis depriendas: & dicentē. Cū non sufficiat ieiunium, hanc ei do sociam laboriosam vigiliam, vt Esau dissoluam, eneruēmq; lasciuiâ. Ea ab iis quæ sunt sanguine prædita & animata omnino abstinuit. nisi quod fumebat picæ & oleum & olera. idque solū in die festo. Omni autē alio tēpore contēta erat oxycrato & pane arido. In hac vitæ asperitate, cū beata requie obdormiisset hæc mulier inclita, nūc fruitur bonis æternis, quæ sunt parata iis qui dilexerunt vitam quæ ex virtute agitur.

Abstinentia à carnibus.

DE GELASIA.

Consequenter zelo huius bonæ foeminæ, veritatis viam ingressa est, piè trahens iugum virginitatis, in primis veneranda Gelasia, cuiusdam Tribuni filia. Huius optimæ hæc fertur virtus, quod sol nūquam occidit super eius dolorem. non aduersus seruum. non aduersus ancillam. non aduersus aliquem alium. Hæc beata cū effugisset viam eorum qui sunt acceptæ iniuriæ memores, quæ fert ad mortem æternam, euasit hunc malum diaboli stimulum, nempe odij & malevolentia. & cū desideraret æternam peccatorum remissionem, remisit parua delicta, vt ipsa quoque inueniret maiorum remissionem.

cxlv.

GG

CXLVII.

Liber Origenis carmine scriptus.

Quædam nomine Iuliana, virgo in Cæsarea Capadociæ, dicta est esse & doctissima & fidelissima. quæ Origenem scriptorem fugientem gentilium insurrectionem excepit, eum duos annos occultans. suis sumptibus & suo ministerio virum alens. Inueni autem hæc in antiquissimo libro scripto versibus, qui quidē scriptus erat manu Origenis. Hunc librum inueni ego apud Iulianam virginem in Cæsarea, qui apud ipsam erat occultus. Dicebat autē se accepisse à Symmacho interprete Iudæorum. Non fuit autem alienum ab instituto opere, posuisse virtutes harum sceminarum. sed vt sciamus, quòd ex diuersis occasionibus licet lucrari, si velimus.

DE FOEMINA NOBILISSIMA
qua fuit semper virgo.

CXLVIII.
Liber Hippolyti.

In alio libro antiquissimo, scripto ab Hippolyto, qui fuit familiaris apostolorum, inueni talem narrationem. Fuit quædam nobilissima virgo & formosissima, quæ in vita ex virtute agenda exercebatur Corinthi. Hanc illo tempore detulerunt ad iudicem, qui erat gentilis in tempore persecutorum, vt quæ maledictis incesset, & tempora, & imperatores, & simulachra. Proponebant autem eius pulchritudinem harum rerum cauponatores, impio iudici sceminas insano amore depereunti. Is verò, equinis auribus, & sceminas insanè amantibus cogitationibus, accepit calumniam. Ea autem producta ad hominem sceleratum, multo magis insana captus est intemperantia. Postquam autē omnibus aduersus eam adhibitis ma-

chinis huic Dei homini persuadere non potuit, variis tormentis subiecit fortem sceminam. Postquam autem ne in his quidem id quod volebat est affecutus, vt qui non posset eam abducere à Christi confessione: in eam insaniens crudelis, non tradit eam tormentorum cruciatibus. sed castam & temperantem sceminam ponens in prostibulo, iussit ei qui eas possidebat, dicens. Hanc mihi cape: & tres nummos ex ea ad me defer quotidie. Is autem aurum exigens ex turpi actione, eam tradidit volentibus in officina abominandi flagitij. Cùm hæc ergo nouissent qui tenebantur insano amore mulierum, assidebant sceleratæ exitij officinæ, mercedem dantes inhonestæ operationis. Illa autem virgo honestissima & in primis veneranda, & verba declinans quæ possent ad fraudē pellicere, suppliciter eis dicebat, rogans. Habeo vlcus in loco occulto, quod mirandum in modum malè olet. & timeo ne vos mei odium capiat propter vlcus auersandum. Concedite ergo mihi paucos dies. & tunc licebit vobis vel me habere gratis. His verbis persuasos intemperantes amandabat beata. Assiduis autem precibus Deum placans, & compunctis supplicationibus, eum inflexit ad misericordiam. Attēdens ergo Deus qui nouit cogitationes, quomodo casta pudicitia curam gerebat ex animo, in illis diebus pro salute omniū tale quid struxit. Quidam adolescens magi-

*Tentatur Virgo.**Prostituitur.**De Magistrano.**CXLIX. Magistra n^o adolescens formosus servat virgo.*

alebat, & dat ei quinque nummos, & dicit ei. Concede mihi manere hac nocte cum hac puella. In locum ergo occultum cum ea ingressus, dicit ei. Surge, serua te ipsam. & cum eam suis vestibus induisset, tunica, camisia, & chlamyde, & omnibus virilibus, dicit ei, Egredere, te summa chlamydis parte contegens. Quæ cū sic fecisset, & se totā signo crucis muniisset, egressa ex illo loco omnino incorrupta & impolluta, seruata est Christi gratia, & causa adolescentis qui eam suo sanguine liberauit à turpi vicio. Sequenti autem die res sui cognita: & productus est Magistrianus ad sæuissimum iudicem. Cū autem strenuum Christi athletā examinasset impius, & omnia didicisset, iussit eū obici bestiis. vt etiam malis infestus dæmon in eo afficeretur ignominia. Nam cū existimasset virū fortē in nefarium iniicere supplicium, eum effecit duplicē Christi martyrē, vt qui & pro sua anima præclare decertauerit, & pro illa beata in laboribus strenuè perseuerauerit. Quocirca duplici honore & duabus coronis dignus est habitus à Christi benignitate.

*Crucis signū
tempore a-
postolorum.*

*Martyrium
magistriani*

DE VXORE VIRI SENATORII.

CL. MEMINI autem alterius quoque historiæ. & bonum est eam non præterire. Dicitur de Magnētino insurrectore, quod habuerat stupri consuetudinem cum multis gētilibus: & animum adiecerat vt rē etiam haberet cum Christianis. Eæ autem malebant mori, quam prodere pudicitiam. Cū ergo venisset in vnam urbem amauit quandam vxorem viri senatorij ex Præfectis. Timore autem affectus eius maritus dixit ei. Mitte, tolle eam. Cū autem venissent ad eā

milites, dixit eis mulier. Expectate parumper donec mundum meum componam, cui sum assueta. Ingressa autem suum cubile, accepto ense, eum suis infixit visceribus. Audiant virgines & erubescant, quæ profitentur se Christum habere sponsum, & parua eum produnt libidine. Nobis autem det vniciq; Deus seruare virginitatem, & exultātibus clamare cum psalmodiographo. Confige in timore tuo carnes meas. A iudiciis enim tuis timui. & Viuo autē iam non ego: viuūt verò in me Christus. Concedatur autē vt vos quoque dicatis sobriæ. Ego patrueli meo, & patruelis meus est mihi, aliquando quidē sponsum, aliquando verò frater: vt nihil cogitetur carnale. Si enim audieris spōsum & sponsam, significat spiritalem vñionem cum patre. Vidimus autem alios quoque patres & monachos per totam Ægyptum, multas virtutes & signa facientes. quorum non meminimus propter multitudinem. sed pauca pro multis narrauimus. Quid enim dixerit aliquis de superiori Thebaide quæ est per Syenem. in qua sunt viri valde admirabiles, & multitudo monachorum infinita, quorum non crediderit aliquis vitæ instituta, vt quæ vitam humanam superant. qui etiam mortuos in hodiernum vsque diem suscitant, & super aquas ambulant, sicut Petrus: & quidquid Seruator per sanctos effecit Apostolos, ea nunc quoque efficit. Sed quia magnum imminebat periculum, si vltra lyco transiremus, propter latronum irruptionem, nō ausi sumus videre illos sanctos. Neque enim prædictos patres vidimus sine periculo: neque sine labore aspeximus sacras has foeminas: sed multa prius passi,

*Mulier se
ense transfe-
git ne stu-
prum patia-
tur.*

*Psal. 118.
Galat. 2.
,,
,,*

*Thebaïs su-
perior.*

Magno periculo peregrinatus est Palladius in Eremos.
Sitis.
Paludes & sentes Cenum.
Psal. 68.
Nili incrementum.
Lacrones.

& propemodum periclitati, vix affecuti sumus vt ea videremus. Septies enim in mortem incidimus. In octauo autem malum nos non attigit, cum Deus nos omnino seruasset. Semel enim quinque dies & noctes ambulantes per solitudinem, fame & siti propè fuimus exanimati. Aliquando autem in acutas & asperas paludes incidentes, & pedes nostros perforantes, vt dolores essent intolerabiles, propemodum frigore enecti sumus. Terrio autem, cœno ad lumbum vsque inhæsimus, & non erat qui eriperet: & has beati Dauid voces exclamauimus. Saluum me fac Domine Deus, quoniam, ingressæ sunt aquæ vsque ad animam meâ. Infixus sum in lutum profundum, & non est substantia: & Serua me à luto, vt ne infigar. Quartum autem fuit aquæ multitudo quæ affluxit ex Nili incremento, cum quatuor dies per aquas ambularem: & in ostiis propemodum abrutis. Tunc clamauimus, dicentes. Ne nos demergat tépeestas aquæ: nec me deuoret profundum. Quinto autem incidimus in latrones in littore maris, venientes in Diolcon: qui nos etiam eousque sunt persecuti volétes cōprehendere, donec nobis paruus relinqueretur spiritus, vt qui nos decies mille passus essent persecuti. Sexto autem, Nilum nauigantes, propemodum euersi ac submersi sumus. Septimum fuit, quando in palude Mareotide, vbi charta nascitur, abiecti sumus in quandam paruam insulam desertam: & tres noctes & dies sub dio mansimus, magno frigore & imbribus nobis imminenti- bus: erat enim tempus Epiphaniorum. Octauum autem superuacaneum quidem est narrare: sed tamen est

vtile. Nan cùm nos per quendam locum venissemus Nitreas, erat in ea regione quoddam magnum concuum, in quo multi remanserât crocodili, cum aqua recessisset ex agris. Tribus ergo crocodilis in margine fossæ extensis, accessimus visuri beluas, putantes eas esse mortuas. Illæ autē statim in nos irruerunt. Nobis autem magna voce Dominū nominantibus, Christe adiua nos, statim beluæ tanquam ab angelo auersæ, seipsas in aquam sunt iaculatae. Nos autem Nitreas magno cursu contendimus, illā vocem Iob meditates, vbi dicit. Septies ex necessitatibus liberabit te. In octauo autem te non attinget malum. Deo ergo agimus gratias qui nos ex tot liberauit periculis, & nobis magna ostendit spectacula.

VITA FRATRIS QVI
 cum eo versabatur.

CVM ergo pauca dixerō de fratre qui mecum versatur à iuuentute vsque in hodiernum diem, hic deinceps finem imponā orationi. Eum ego cognoui longo tempore cum comederet, omni gulæ affectione caruisse, & itidem cum iciunaret, affectū nō fuisse, vt qui, vt arbitror, vicisset affectionem. longè remotū ab auaritia contentū præsentibus: non se ornantē vestibus: cōtemptrum gratias agentē: pro germanis amicis pericula adeuntē. Dæmones expertum plus quàm millies: adē vt quodam die cū eo dæmon pactus sit & dixerit, Paciscere mecum te vel semel peccaturū: & quam mihi in hac vita dixeris, eam ad te adducam. Et rursus cum aliquando quatuordecim noctes cum eo depugnasset, vt mihi narrauit, & noctu traxisset,

„ Iob. 5.
 „
 „

CLX.

Damen ap-
 parer.

ipsum est allocutus, dicens. Noli adorare Christum, & ad te non accedam, is respondens dixit. Propterea eum adoro, & innumerabilibus amplius partibus glorifico, & adorabo, quoniã hoc te malè habet. In centũ & sex venit ciuitates, & in plurimis est etiam aliquo tempore versatus. Mulieris nullam habuit experientiam ne in somnis quidem, nisi si se somniaret belligerari. Ter eũ noui esculenta accepisse ab angelo. Quodam die cum in extrema solitudine ne micã quidem haberet, inuenit in pelle ouina tres panes calidos paxamidios: aliquando rursus vinum & panem. Aliquando rursus venit ad eum vox, dicẽs. Noui tibi deesse cibos: vade & accipe ab N. frumentũ & oleum. Cũ ergo venisset ad illum ad quẽ missus fuerat, is ipsi dixit. Iussit quidam te accipere triginta modios frumẽti, & duodecim sextarios olei. De eo potero gloriari ac prædicare qualis esset: quem noui sæpe esse lachrymatum propter eos qui ex necessitate laborabãt inopia. Præbebat ergo si quid habebat, carne excepta. Noui etiam eum esse lachrymatũ propter eum qui ceciderat in peccata, & eum qui ceciderat adduxisse lachrymis ad poenitentiam. Is mihi aliquando hoc narrauit. Deum rogauit, vt neminem compungeret maximè ex ditibus & improbis, vt mihi aliquid darẽt quod esset ad vsum necessarium. Mihi autem hoc sufficit, quòd dignus sim habitus, qui horũ omnium meminissẽm quæ scriptis mandauit. Non enim sine Dei numine hoc factum est, vt mens tua moueretur vt iuberet me huic librum scribere, scriptis, inquã, tradere vitam horum virorum. Tu autem fidelissime Christi serue ac venerande

*Pellicea
Ves.*

rande Laufe, & caput mihi amicissimum & maximè germanum, hunc librum lubenter legens, magnam tuam immortalis animæ præbebis vtilitatem in iustorũ resurrectione, inclitorum rectæ vitæ ~~athletarum~~ instituta, labores, & tantam tolerantiam, vitæ que duriter actæ patientiam assumens. Quamobrem ea prompto & alacri animo sequere, bona & incorrupta spe nutritus, semper retro videns dies qui antè sunt breuiores: & ora pro me: reipsum conseruans alienum à reprehensione & custodiens integrum: qualem te noui & habui, à consulatu Tatiani vsque in hodiernum diem: & qualem terursus noui meliorem moribus, & electũ præpositum in conseruando maximè pio cubili. Nam cum sis in tanta dignitate in tot & tantis pecuniis, & tanta potestate, non fecisti peius quam Dei postularet metus. Is est Christo dedicatus qui audiit à diabolo. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Sed eum Dominus pudore affecit, dicens, Vade post me. Quem quidem tu quoque imitans, fluentibus expul- sis diuitiis, & adumbrata gloria vitæ præsentis cœlestem desiderasti & incorruptam vitam, regnũque æternum, & manentem gloriam, & bona arcana quæ neque oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Quorum nos Dominus efficiat hæredes cum sanctis eius patriarchis & prophetis, & apostolis & martyribus, & iis quorum mentionem fecimus in hoc libro, gratia ipsius Seruatoris nostri Iesu Christi. Cum quo patri gloria cum sancto spiritu. In secula seculorum. Amen.

*Cœclusio li-
bri,*

Mat. 4.



THEODORETI
 ΘΕΟΦΙΛΗΣ, IDEST RE-
 LIGIOSA HISTORIA.

*Vtilitas li-
 bri.*



*Testimoniū
 eorum quæ
 narraturus
 est.*

OPTIMORVM virorum, & qui in virtute præclarè se exercuere, pulchrum quidem est videre certamina, & oculis haurire vtilitatē. Quæ enim laudantur, dum cernuntur, & digna videntur quæ possideantur, & amplectenda amorè que prosequenda existunt, & ad ea comparanda spectatores inducunt: afferunt autem nihilo secius nō mediocrem quoque vtilitatem, eiusmodi rerum rectè & ex virtute gestarum narrationes, quæ ab iis quæ sciūt, eorū qui nesciunt auribus offeruntur. Visum enim esse fideliozem auditu dicunt aliqui. auditui tamen fit quoque fides, dum ex eorum qui dicunt veritate ea quæ dicuntur iudicat. Quomodo enim linguæ & palato, de dulcedine, & amarore, & aliis huiusmodi qualitatibus, creditum est iudicium, de que iis ferunt illam sententiam: ita orationum discernendarum ratio commissā est auditui, qui scit secernere à noxiis eas quæ aliquam afferunt vtilitatem. Atque si vtilium quidem narrationum integra & incorrupta manerēt memoria, & non obliuionis, veluti caligo quædam, aspersa labes, efficeret vt ea euanesceret, de iis vtique scribere esset superuacaneum, cum quæ hinc

percipitur vtilitas, ad posteros admodum facilè perueniret. Quoniam autem corporibus quidem tempus affert interitum, inducens senectutem & mortem: rebus autem rectè & ex virtute gestis, obliuionem, vt mihi quidem videtur, inferens, & obscurans memoriam: nemo nos iure reprehenderit, quod piorum virorum, Deique amantium vitæ instituta aggrediamur scribere. Quemadmodum enim ij quorum fidei est credita corporum curatio, medicamenta comparant, cum morbo bellum gerentes, & iis qui laborant ferentes auxilium: ita quæ in his cōscribendis ponitur industria, efficitur veluti quoddam salutare medicamentū, quod obliuioni quidem insidiatur, opem autem fert memoriæ. Quomodo enim non est absurdum, vt poëtæ quidē & scriptores ea conscribant quæ in bello fortiter & præclarè gesta sunt: Tragici autem, eas quæ rectè celabantur calamitates, tragœdiis in publicum proferant, & earum scriptis mandatam relinquunt memoriam: aliqui autem alij in comœdiis & rebus ridiculis consumant orationes: nos autem sinamus eos viros tradi obliuioni, qui in corpore mortali & patibili ostenderunt impatibilitatem, & incorpoream æmulati sunt naturam? Quâsnam autem poënas non meritò dederimus, si horum quæ admiratione digna sunt certaminum nihili faciamus negligi memoriam? Si enim ipsi eorum qui olim fuere sanctorum summam æmulati philosophiam, non ære & literis illorū insculpsere memoriam: sed omnem eorum virtutem exprimentes, quasdam eorum animatas imagines & statuas, seipso effecere: quænam no-

*Vtilitas hi-
 storie.*

*Tragici.
 Argumen-
 tū à minorū
 ad maiorū.*

bis meritò daretur venia, si nec literis quidem eorum insignem vitam honoraremus? idque cùm athletæ & pancratiastæ qui decertant in Olympicis, honorentur staturis, atque etiam in equorum curriculis, qui victores esse videntur aurigæ, idem præmiũ accipiant. Nec hoc solũ, sed etiam muliebres viros & effœminatos, & de quibus dubites s̄int ne viri an mulieres, ij qui horum delectantur spectaculis, inscribũt tabulis, eorum memoriam longissimo tempore conseruare contententes. licet memoria animis detrimentum afferat, non commodum. sed tamen hi quidem hos amantes, his, illi verò illos, illis, idque cùm damnum afferant, picturis honorant. & quoniam mortalem naturam mors deprædatur, colores temperantes, & illorum effigies tabulis imponentes, excogitant rationem qua eorum memoria sit vitalongè diuturnior. Nos autem scribimus quidem vitam philosophiæ magistram, & quæ imitata est vitæ institutionem que agitur in cœlis. Describimus autem non figuras characteresve corporum, neque ea expressa iis qui nesciunt ostendimus. sed formas animarum, quæ sub aspectum non cadunt adumbramus. & bella quæ cerni non possunt, conflictusque qui non apparent ostendimus. Tali enim armatura eorum phalangis imperator & in pugna prin-

Argumentum libri.

Eph. 6.

» ceps eos Paulus induit. Accipite enim, inquit, armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & omnibus confectis stare. Et rursus. State ergo succincti lumbos vestros in veritate. & induiti lorica iustitiæ, & calceati pedes in præparatione euangelij pacis. in omnibus assumentes clypeum fidei, in quo poteritis om-

nia tela maligni ignita extinguere. Et galeam salutaris accipite, & gladium spiritus, quod est verbũ Dei. Hac cùm hos induisset armatura, produxit ad certamina. Talis enim est hostium quoque natura, incorporea. minimè aspectabilis. obscurè inuadens. clanculũ insidiãs, repentèque & præter expectationẽ irruens. Hoc ipsum idem quoque docens imperator, dicebat. Nõ est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinẽ, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectoros, tenebrarũ huius seculi. aduersus spiritalia nequitia in cœlestibus. Sed tamen cum tales hostes haberet horum sanctorũ classis, imo verò vnusquisque eorum à tot & tantis circumsideretur hostibus: neque enim omnes simul inuaserunt, sed modò quidem hos, modò verò illos adoriebantur: tam præclaram retule re victoriã, vt fugerint quidem aduersarij, hi verò iis fugatis ac profligatis trophæum erexerint, cùm nihil eis afferret impedimentum. Eis autem præbuit victoriam, non natura, ea enim est mortalis, & innumerabilibus plena affectionibus, sed mens quæ diuinam attrahebat gratiã. Nam cùm diuinæ pulchritudinis essent ardentes amatores, & pro eo quã amabant omnia lubenter & agere & pati statuisent, forti quidem & generoso animo tulerũt affectionum perturbationũque impetus: Diaboli autẽ telo procellas strenuè repulerũt. & vt dicam apostolicè, cùm corpus castigassent & in seruitutem redegissent, iræ quidem ardorẽ sedauerunt, cupiditatũ autem rabiẽ quiescere coegerunt: ieiunando autem & domi cubando sopitis animi motibus, repressisque eorũ exultationibus, coë-

» Eph. 6.

»

»

»

»

gerunt corpus foedus inire cum anima: & soluerunt bellum quod est eis à natura insitum. Pace autem sic inter ea inita, omnem aduersariorum cateruam expulere. Nam cum eis deessent cogitationes quæ interna proderent, & membrorum humanorū auxilio priuati essent, bellare nō poterāt. Telis enim in nos diabolus nostris membris vtitur. Nam si neque inescātur oculi, neque aures demulcentur, neque tactus suaui quodam sensu titillatur, neque mens improba admittit cōsilia, frustra laborant qui parant insidias. Quomodo enim urbem in alto ædificatam, & validis propugnaculis munitam, & profundis fossis vndique circumdatam, nullus hostis cœperit, si ex iis qui sunt intus nemo prodat, & portas aliquas aperiat: ita fieri non potest vt dæmones qui bellum gerunt extrinsecus, superent animam circumdatam à diuina gratia, nisi cogitationis alicuius foecordia, nostrorum sensuum aliquam fenestram aperuerint, & per eam inimicum intrinsecus admiserint. Hæc cum à diuina scriptura apertè didicissent ij quorum laudes à nobis celebrantur, & Deum audiissent dicentem per prophetam, Ascendit mors per fenestras, cum diuinis legibus tāquam quibusdā repagulis & vectibus sensus clausissent, mēti clauēs eorum tradiderunt. & neque labra linguam aperiebant, nisi mens imperasset. nec pupillæ permittebatur vt se extra cilia porrigeret. auditus autem noxiis sonis aditū obstruens, stultas & inutiles repellabat orationes: illasque solas admittebat quibus mens delectabatur. Sic odoratū docuere ea non desiderare quæ suauem emittunt odorem, vt quibus natura sit insitū

Vrbs in alto ædificata

In quos minus agatur dæmones.

Hier. 9.

Applicatio similitudinis.

vt molliant & relaxent. Sic ventris expulere fatietatē, eumque ea sumere docuere, quæ non voluptatem afferrent, sed vsum implerent, nec amplius quàm quod satis esset ad prohibendum ne fame morerentur. Sic somni dulcem dissoluere tyrannidem: & cum cilia ab eius seruitute liberaissent, ea pro seruitute dominatum docuerunt, vt eius vsum admitterent, nō cum ipse inuaderet, sed cum ipsi accerferent, ad breue naturæ auxilium. Cum ergo murorum & portarum custodiæ eam curam gessissent, & internis cogitationibus concordiam conciliaissent, aduersarios extrinsecus inuadentes irridebant, qui vi quidem intrare, propter diuinæ gratiæ præsidium, non poterant: nullum autem inueniebāt proditorem qui vellet inimicos admittere. & cum hostes ea essent natura quæ non cadit sub aspectū, corpus quod videtur & subiicitur naturæ necessitatibus, vincere minimè potuere. Eius enim auriga & musicus & gubernator, optimè quidem tenens habenas, equis persuasit vt rectè & ordine procederent: numerosè autem pulsans cordas sensuum effecit vt sonum omni ex parte concinnum & consonum redderent. Scierat autem mouens clauum, & fluctuum insultus, & ventorū fregit impetus. Hos ergo qui per innumerabiles quidē labores vitæ iter ingressi sunt: sudoribus autē & afflictionibus corpus edomuerūt: & risus quidem affectionem ignorauerūt, in luctu autem & lachrymis omnem vitā consumpserunt: & delicias quidē Sybariticas ieiunium estimarunt: somnū autem suauissimum, laboriosas vigilias: molle stragulum, durum solum: immensam autem & inexplebilem

Delicia Sybaritica.

voluptatem, in orationibus & canendis psalmis conuersationem: Hos, in quã, qui omne genus virtutis cõplexi sunt, quis non iure fuerit admiratus: vel potius quis pro dignitate eorum laudes celebrauerit? Atque ego quidem satis intelligo nullã posse orationem eorum virtutem assequi, est tamen aggrediendum. Non enim rectè habuerit, si quoniam veram philosophiam perfectè adamarunt, ideo ne minores quidem laudes consequantur. Scribam autem laudem non vnã communiter omnibus. Diuersa enim dona eis data sunt diuinitus. Hoc autem docens dicebat beatus Paulus,

I. Cor. 12. „ Alij enim per spiritum datur sermo sapientiã: Alij autem sermo cognitionis, secundum eundem spiritum: „ Alij autem fides, in eodem spiritu. Alij autem dona curationum, in eodem spiritu: Alij autem operationes virtutum: Alij autem prophetia. Alij generalium linguarum. Alij autem interpretatio linguarum. Horum verò omnium ostendens fontem, subiunxit, Omnia autem hæc operatur vnus & idem spiritus, diuidens separatim vniciq; sicut vult. Quoniam ergo diuersa sunt dona consecuti, meritò vniuscuiusque narrationem faciemus separatam. non quæcunque ab eis gesta sunt persequentes. ad ea enim scribenda ne tota quidem vita suffecerit: sed cum pauca de vniuscuiusque eorum viuendi ratione, & de iis quæ fecit, narrauerimus, & paucis totius vitæ characterem & formã ostenderimus, ad alium transibimus. Neque verò omnium sanctorum, qui vbique insignes extitere, vitæ historiam literis mandare conabimur. neque enim eos qui vbique clari fuere cognoscimus. neque fieri potest

potest vt vnus conscribat de omnibus. Eorum ergo solum vitam describam, qui tanquam lumina fulserunt in oriente, & fines orbis terrarum suis complexi sunt radiis. Narrando autem procedet oratio, non vtens legibus encomiorum, sed pauca quædam verè referens. Rogo autem qui in hanc religiosam inciderint historiam, seu formam monasticæ exercitationis, vocet enim quis hoc opus vt voluerit, ne iis quæ dicuntur minus credant, si quid audiant quod eorum vires superet: nec ex se illorum virtutem metiantur. sed apertè sciant, quòd piorum animis deus desuper metitur dona sanctissimi spiritus, & maiora largitur perfectioribus. Hæc autem à me dicta sunt ad eos, qui in rerum diuinarum mysteriis, non sunt admodum accuratè initiati. Mistæ enim adytorum spiritus, sciunt gloriam spiritus, & quænam per homines in hominibus faciat miracula, attrahēs incredulos ad Dei cognitionem. Qui autem non est crediturus iis quæ à me dicenda sunt, clarum est eum ne iis quidem credere tanquam veris quæ per Mosem, & Iesum, & Eliam & Eliasæum facta sunt, habere autem etiam pro fabulis miracula quæ facta sunt à sanctis Apostolis. Sin autem illa esse vera testatur, hæc quoque credat esse à falso aliena. Quæ enim in illis operata est gratia, ea per illos quoq; fecit ea quæ fecit. Perennis enim gratia, & eos qui digni sunt eligens, veluti per quosdam salientes, per hos effudit fluentia suæ operationis. Ex iis autem quæ sunt dicenda, ipse quidem vidi nonnulla. quæ autem non vidi, audiui ab illis qui viderunt, viris virtutis amantibus, & qui digni sunt habiti vt & eos viderent,

Quorū maximè meminuit Theodoretus.

Forma monasticæ exercitationis

Qua virtute fiant miracula.

& eorum doctrina fruerentur. Euangelicæ autem doctrinæ scriptores fide digni, nō solum sunt Matthæus & Ioannes, magni & primi in Euangelistis, qui Domini videre miracula: sed etiā Lucas & Marcus. quos qui ab initio viderunt, & fuerunt verbi ministri, nō solum quæ passus est & quæ fecit Dominus, sed ea etiam quæ perpetuò docuit, accuratè edocuerunt. Etenim cum nō vidisset ipse beatus Lucas, in principio operis dicit se ea narrare, de quibus certior factus est. Nos autem etsi audiamus eum non vidisse ea quæ narrat, sed hanc doctrinam accepisse ab aliis, nō minus ei & Marco credimus quàm Matthæo & Ioanni. Vterque enim est in narrando fide dignus, vt qui didicerit ab eis qui viderunt. Nos itaque alia quidem narrabimus vt quæ à nobis visa sint: alia autem vt qui crediderimus eis qui viderant narrantibus viris, qui illorum vitam sunt æmulati. Prolixiori autem de iis vsus sum oratione, dum volo persuadere me vera narraturum. Hinc autem deinceps narrare incipiam.

*Cōfirmatur
id quod as-
seruit autho-
ritate.*

I A C O B V S.

Huius Iacobi Natiuitate meminit Gē nadius in opere. De scriptoribus ecclesiasticis. In quo multa recenset prætermittit à Theodoro: et enumerat opera quæ ab eo scripta

MOSEs ille diuinus legislator, qui imum maris fundum aperuit, & inundatione aquarū aridam obruit solitudinem, & alia omnia fecit miracula, scripsit res gestas eorum sanctorum qui fuere antiquitus. nō ea vsus sapientia quam acceperat ab Ægyptiis, sed splendore gratiæ accepto à superis. Vnde nam enim alioqui Abelis didicisset virtutē, & Enoch virtutis studium, & Noë iustitiam, & Melchisedech pium sacerdotium, Abrahæ vocationem, fidem, fortitudinem, & quæ ei magnæ erat curæ hospitalitatem. vulgo ia-

statum filij sacrificium, & aliorum quæ ab eo præclare gesta sunt catalogum: & vt in summa dicā, diuinarum virorum certamina, victorias, præconia, nisi intelligentis diuinique spiritus radios accepisset? Hoc mihi quoque in præsentia opus est auxilio, qui conor eorum vitam scribere sanctorum, qui parum ante nos & nostris tēporibus claruere, & veluti quasdam leges iis qui imitari volent velim proponere. Horū ergo sunt preces inuocandæ, & incipiendum est narrare. Nisi bis est ciuitas in confinio regni Romanorū & Persarum, quæ olim quidem erat Romanis vectigalis, & eorum parebat imperio. Ex ea ortus magnus ille Iacobus, solitariam vitam & quietā est amplexus. & altissimorum montium occupatis verticibus, in eis vitam egit. vere quidem & æstate & autumnus vtens syluis, & pro tecto habens coelum. tempore autem hyemis, antrum ipsum excipiebat, quod ei paruum præbebat tegumentum. Habebat autem alimentum, non quod cum labore nascitur & feritur: sed quod sua sponte producit. Nam ex syluestribus colligens arboribus fructus qui sponte nascuntur, & ex herbis eas quæ sunt esculentæ, & habent instar olerum, ex iis dabat corpori ea quæ satis erant ad viuendum, ignis vsus recusans. Vsus quoque lanæ erat ei superuacaneus. Asperrimi enim caprarum villi eius vsus implebant. Ex eis ipsi fiebat & tunica & simplex amiculum. Ita corpus affligens, spiritale alimentum assiduè exhibebat corpori. & cogitationis facultatē expurgans contemplantem, & diuini spiritus perspicuum efficiens speculum, reuelata facie, ex diuini apostoli sententia,

sunt. Eius quoque meminit hic ipse Theodoretus in historia ecclesiastica lib. 2. & idem in primo eiusdem historiae eū dicit suscitasse mortuos.

Inuocatio sanctorum.

Quæ vitæ ratio.

1. Corin. 3.

*Ab aucto-
ritate apo-
stolica.**Pœna puel-
lis inflicta
inhonoran-
tibus senẽ.**Fluẽta de-
sinunt.*

gloriam Domini speculari, eandem transformabatur imaginem à gloria in gloriam, tanquam à spiritu Domini. Hinc quæ ei erat in Deum fiducia augebatur in dies. & à Deo petens quæ oportebat petere, ea statim accipiebat. Porro autem hinc quoque futura præuidebat propheticè. & virtutem ad facienda miracula à sanctissimi spiritus accipiebat gratia. Ex his pauca narrabo, & apostolici eius splendoris radium iis qui nesciunt aperiam. Vigebat illo tempore in simulachra hominum infania. & inanimæ quidem statuæ diuinum cultum sibi vendicabant. Dei autem cultus negligebatur à plurimis. contemptui autem habebantur qui eorum ebrietatis nolebant esse participes, quique perfecta virtute præditi, ea quæ sunt discernebant, & simulachrorum quidem ridebant imbecillitatem, vniuersorum autem adorabant opificem. Illo tempore venerat in Persidem, visurus plantas veræ religionis, & ei quam par erat curam adhibiturus. Cùm is autem fontem transmitteret, puellæ quædam quæ pannos lauabant, & vestes pedibus emundabant, ne nouum quidem, & qui decentem præ sese ferebat grauitatẽ, sunt reuerentiæ habitum. sed exuto pudore, & perfrecta facie, & impudentibus oculis diuinum hominem aspiciebant, neque capita operientes, neque vestes quas succinxerat demittentes. Hoc cùm ægrè tulisset homo Dei, & vellet Dei virtutem in tempore ostendere, vt facto miraculo liberaret ab impietate, fontem quidem est execratus, & fluentum confestim euanuit. Puellas quoque est execratus, & impudentem earum iuuentutem castigauit canis ante tempus iuductis. & ser-

monem factum est consecutum. mutatusque est nigror pilorum: & similes euaserunt nuper plantatis arboribus, quæ vere circumtectæ sunt foliis autumnalibus. Eæ autem cùm sic sensissent supplicium (nam & fontis fluenta effugerant, & sua inuicem capita intuentes, videbant repentinam illam mutationem) cursu ad urbem contenderunt, renunciaturæ illud quod acciderat. Illi autem cùm accurrissent, & magnum Iacobum offendissent, rogauerunt vt iram compefceret, & supplicium remitteret. Ille autem non diu cunctatus, Domino quidem preces obtulit: fluenta autem rursus scaterere iussit. Illa verò mox rursus è suis emanarunt penetralibus, iusti deriuata nutibus. Illi autem cùm hoc impetrassent, petebant vt filiarum quoque suarum crinibus color suus redderetur. Aiunt autem eum hoc quoque concessisse, requisisse autem puellas quæ illam acceperant disciplinam. & quoniam non venerunt, reliquisse supplicium, documentum temperantiæ, & argumentum moderationis, & diuinæ virtutis perpetuum & euidentis monumentum. Tale est noui huius Moysi miraculum, quod quidem non factum est virgæ percussione, sed operationem accepit signo crucis. Ego autem præter miraculum valde quoque miror mansuetudinẽ. Neque enim, vt magnus Elisæus, impudentes illas puellas vris tradidit immanibus: sed quadam innoxia disciplina, & quæ dedecoris parum habebat, usus, pietatem simul docuit & moderationem. Hæc autem dixi, non vt prophetam seuitiæ accusem, absit vt ad eum infantiã: sed vt ostendam quod cùm eandem haberet virtutem, ea effecit quæ congruebant Christi mansuetudini &

*Exempla.**Crucis signo
miracula facta.*

Nihil contra Christi mansuetudinem vindictae ab hominibus det in se.

nouo testamento. Is cum aliquando vidisset iudicem Persam iniquam tulisse sententiam, quendam maximum lapidem, qui propè situs erat, execratus, iussit eum conteri & dispergi, & illius iniquam arguere sententiam. Lapide autem statim cominuto in particulas innumerabiles, conterriti fuere qui aderant. horrore autem plenus iudex, reuocauit quidem priorem, alteram autem iustam tulit sententiam. Et hic quoque sum Dominum est imitatus: qui cum vellet ostendere se sua sponte ac lubentem subire passionem, & facile si voluisset puniisset sceleratos, non eis intulit supplicium, sed sic inanimam verbo arefaciens, suam ostendit virtutem. Hanc ipse quoque imitans clementiam, non puniit iniustum iudicem: sed ictu lapidis illum docuit in iustitiam. Cum his rebus esset insignis, & omnibus amabilis, & in ore omnium versaretur, trahitur ad munus Pontificatus, & suae patriae praeficitur. Cum illam autem montanam viuendi mutasset rationem, & ciuilem vitae consuetudinem non ex sui animi cepisset sententia, neque cibum mutauit nec vestitum. sed loca quidem erant mutata, vitae autem institutio nullam accipiebat mutationem. Crescebant verò labores, & erant longè maiores prioribus. Ieiunio enim, & cubili humi strato, & sacco quo induebatur, accesserant etiam omnino curae eorum qui indigebant. vt de viduis, inquam, esset sollicitus, & prouideret orphanis, & eos qui iniuriam faciebant argueret, & iis quibus fiebat iniuria iustum afferret auxilium. & quid opus est omnia recensere, apud eos qui norunt quænam illis competat qui hanc suscipere curationem? Insigniter autem ille

Electio in Pontificem.

Cura.

tales amplectabatur labores, vt qui ouium dominum insigniter & cuperet & timeret. Quò autem virtutis opes colligebat maiores, eo maiore sanctissimi spiritus fruebatur gratia. & cum aliquando ei in vicum quendam aut oppidum iter esset, neque enim locum fatis teneo, ad eum accedunt quidam pauperes, vnum quempiam ex eis qui cum eis versabantur, tanquam mortuum proponentes, & quæ ad illum sepeliendum erant necessaria supplices ab eo postulantes. Ille autem concessit quidem rogantibus: Deo autem preces obtulit tanquam pro mortuo, rogans vt ei remitteret quæ in vita peccauerat, & eum in chorum iustorum dignaretur admittere. Hæc autem cum dicerentur, eius qui tunc mortem simulabat euolauit anima, suppeditata sunt autem corpori tegumenta. Postquam autem parum processisset homo admirabilis, iuebant eum qui iacebat surgere, ij qui actum composuerant. Postquam autem viderunt eum non exaudire, & quod simulabatur id verum euasisse, & in veram faciem mutatam esse personam, ad magnum quidem aduenit Iacobum, suppliciter autem obsecrantes, & ad pedes eius prouoluti, & actus quem temerè agendum susceperant, dicentes causam fuisse paupertatem, rogabant vt eis suum mitteret delictum, & ei qui iacebat ablatam restitueret animam. Domini itaque imitans clementiam, & preces exaudiit, & ostendit miraculum: vt qui vitam precibus ablatam, per preces iaceti restituerit. Hoc autem mihi quidem videtur esse simile magni Petri miraculo. qui Anania & Saphiram suffuratos mentisq; morti tradidit. Etenim hic quoque similiter, eius

Opus cum gratia.

Idem ferè de Epiphania. Factus mortuus. Oratio pro mortuis.

qui veritatem erat furatus, & mendacio erat vsus, abstulit animam. Sed ille quidem cum furtum cognouisset, reuelauerat enim gratia spiritus, intulit supplicium. Hic autem actus argumentum nesciens, obtulit quidem preces, stetit autem vitæ cursum ei qui simulauerat. Et diuinus quidem apostolus mortuos à calamitate minime eripuit. Salutaris enim prædicationis initia metu opus habebant. Hic autem cum esset refertus gratia apostolica, & puniit ad tempus, & poenam mox remisit. Hoc enim opus habebat eo qui esset lucrifactorus eos qui offenderant. Sed enim & est eundem ad alia, & sunt illa breuiter exponenda. Postquam enim Arius, in vnigenitum & sanctissimum spiritum maledicti blasphemiamque pater & opifex, in eum qui ipsum fecerat linguam mouens, impleuit Ægyptum tumultu & perturbatione, Constantinus autem imperator maximus, gregis nostri Zorobabel: illius enim instar vniuersam priorum captiuitatem reduxit ab exilio, & diuina templa humi disiecta in altum erexit & excitauit. Postquam ergo is omnes ecclesiarum præsidēs illo tempore congregauit Niceæ, venit cum aliis magnis quoque Iacobus, pro veris decertaturus decretis, ut vir fortis & princeps totius phalangis. Romanorum enim imperio tunc parebat Nisibis. Postquam autem fuit dimissus sacer ille conuentus, & unusquisque in suam est reuersus, rediit hic quoque tanquam vir fortis victoria potius, exultans propter trophæa pietatis. Cum autem aliquantum processisset temporis, imperator quidem ille magnus & admirabilis, excessit à vita cum coronis pietatis. Illius autem filij fuere hæredes imperij orbis terræ.

*Quid Arii
tempora.*

*Constantini
laus.*

ræ. Tunc rex Persarum, cui nomen erat Sapore, contemptis filiis ut quorum potentia non esset patri equalis, bellum mouit aduersus Nisibim magnis & equitum & peditum copiis. Duxit autem elephantos quoque quam plurimos. & ad urbem obsidendam diuiso exercitu, eam circumfedit. & machinas extruxit, & turrem ædificauit. vallibusque figens, & quod inter eos intercedit, ramis tanquam cratibus contextis, obstruens, iussit militibus ut agerem extruerent, & turrem contra turrem excitarent. Deinde illic sagittarios collocas & in eos qui erant super muros tela iubens mittere, alios iussit inferius fodere murosque subruere. Postquam autem omnia illi erant irrita & inania, ut quæ viri diuini dissoluerentur precibus: postremo cum fluxum præterfluentis, multitudine hominum fretus, fluxum prohibuisset, extructisque muris, & ad retinendum comparatis impedimentis, fluxum plurimum collegisset, id totum simul immisit in moenia, eo vsus tanquam aliqua vehementissima machina. Ea verò aquæ insultum non tulerunt. sed impetu concussa in illa parte funditus corruerunt. Illi verò magnum clamorem sustulerunt, ut pote quod urbs iam esset captu facilis. habitantium enim ciuium magnum murum ignorabant. Distulere tamen irrupere, cum viderent non posse urbem adiri propter aquas. Cum ergo procul recessissent, ut pote quod labor eis esset cessaturus, quiescebant ipsi & equos curabant. Qui autem urbem habitabant, ex animo conuersi erant ad supplicationes, magnum Iacobum habentes intercessorem. Qui autem ætate adhuc vigeabant, omnes quam maxima

*Industria
bellica.*

*Iacobus intercessor pro
obsessis.*

Nubes cyniphum in hostes.

poterant contētionē rursus ædificabant, nec pulchritudinis nec concinnæ compagis vllam curam gerentes, sed omnia temere componentes, & lapides & lateres, & quidquid portabat quilibet. vnāque nocte opus tantum processit, & in tātam creuit altitudinem, vt & fatis esset ad arcendum cursum equorum, & hominum ascensum absque scalis. Tunc omnes ab homine Dei petunt supplices, vt & in muris se ostendat, & tela execrationum iaculetur in hostes. Is verò exoratus ascendit, & eorum plurima millia contemplatus à Deo supplex petiit, vt in eos immitteret nubē cyniphum & culicum. Et is quidem dixit, Deus verò immisit, ab eo tanquam à Mose exoratus. & viri quidem diuinis telis vulnerabantur. equi autem ac elephanti ruptis vinculis fugiebant, huc & illuc dispersi, vt qui non possent illos ferre aculeos. Cùm itaque vidisset rex impius & machinas nulli sibi fuisse vsui, & aquæ irruptionem fuisse inutilem: murus enim qui corruerat, rursus fuerat ædificatus: & omnem exercitum & affligi laboribus, & malè se habere sub dio, & vexari à plaga immissa diuinitus: vidisset autē diuinum quoque hominem super muros ambulantem, & coniecisset ipsum imperatorē ei præesse operi: sibi enim visus erat & purpura indutus, & redimitus diademate, indignatus quidē est in eos qui eum decepissent, & vt bellum moueret persuasissent, & dixissent non adesse imperatorem. & cùm eos damnasset capitis, dimisit exercitum, & in suam regiam rediit quàm citissimè. Hæc in hoc quoque Ezechia Deus fecit miracula, nō illis minora, sed etiam maiora, vt mihi quidem vide-

tur. Quòd enim cùm corruisset murus, vrbs non capta fuerit, quòdnam potest esse eo maius miraculum? Ego autem præter hoc illud quoque valde admiror, quòd cùm vteretur execrationibus, non petiit vt fulgura & fulmina è coelo mitterentur, vt fecit magnus Elias, quando ad ipsum vterque quinquagenarius venisset cum suis quinquaginta. Audiuerat enim Dominum apertè dixisse Iacobo & Ioāni qui hoc ipsum conabantur facere, Nescitis cuius spiritus sitis. & ideo non petiit vt terra eis dehisceret. nec rogauit vt phalanx igne consumeretur. sed vt animalculis illis faucia-
Luc. 9.
 retur, & cùm Dei cognouisset virtutem, tandem mutata edisceret pietatē & verum Dei cultū. Tantam habuit hic homo diuinus apud Deum fiduciam, tantam à superis gratiam est consecutus. Cùm in his perpetuò versaretur & in rebus diuinis quotidie cresceret, cum maxima gloria hanc vitā deposuit, & ex his locis migravit. Cùm autem præteriisset aliquantū temporis & hoc oppidum, ab eo qui tūc imperabat, regno Persarum esset traditum, exierunt quidem omnes qui in eo habitabāt. sui autē defensoris ac principis corpus ferebant, egrè quidē ferentes & dolentes quòd transmigrarent, canentes autem celebrantēque virtutem fortissimi victoris. Si ille enim vixisset, ij minimè venissent in potestatem barbarorum. Hæc cùm de viro diuino recensuerim, ad aliam transibo narrationem, rogans vt consequar eius benedictionem.

Corpus S. Iacobi elatum.

IVLIANVS.

Iulianus, quem cognomine Sabam horantes nominabant incolæ, *Ἰουλιανὸς* autem, id est senem,
 KK ij

Huius Iu-
liani memi-
nit idem
Theodore-
tus in quar-
to hystoriae
ecclesiasticae

Tugurium
praefertur pa-
latio.

Vetus.

Hymno
Davidico
in fructus.
Psal. 118.

Psal. 18.

græca voce hoc nomen significat, in regione quæ o-
lim quidem Parthorum, nunc autem nominatur Os-
roenorum, fixit ad exercitationem monasticam tugu-
rium. Ea autem patet ad occidentem quidem vsque
ad ripam fluuij. est autem ei nomen Euphrates. Ad
orientem autem solem, habet limitem Romani im-
perij. Assyria enim excipit Persas, cum Persici regni
sit finis occidentalis, quam qui postea sunt secuti, no-
minarunt Adiabensem. In hac gente, multæ quidem
sunt vrbes magnæ & populosæ. Regionis autem plu-
rimum quidem habitatur, plurimum autem est & in-
habitabile & desertum. Ad extrema huius solitudinis
cum hic vir diuinus peruenisset, & antrum non manu
factum, neque bene ac pulchrè effossum, inuenisset, sed
quod posset exiguum aliquod tegumentum præbere
iis qui ad ipsum confugiebant, locum lubenter habi-
tauit, auro & argento fulgentibus regiis id existimans
esse magnificentius. In eo autem degebat, in hebdo-
mada semel cibum capiens. Cibus autem erat panis
ordeaceus, isque furfuraceus. Obsonium autem, sales.
Potus autem suauissimus, per se natiuum aquæ fluen-
tum, idque non fatietate dimensum, sed vsu demissi-
prius cibi definitum. Erant autem ei deliciae, opipa-
rumque & lautissimum epulum, Davidicorum hym-
norum decantatio, & assidua cum Deo conuersatio.
& cum eis frueretur insatiabiliter, eorum nunquam
voluit capere fatietatem. sed semper quidam impleba-
tur: semper autem clamabat, Quam dulcia gutturi meo
eloquia tua? super mel & fauam ori meo. Rursus enim
audiuit beatum David dicentem. Iudicia Domini vera

iustificata in idipsum. Desiderabilia super aurum & la-
pidem preciosum multum: & dulciora super mel & fauam.
Rursus audiuit eum dicentem, Delectare in Domino,
& dabit tibi petitiones cordis tui. Et rursus. Laetetur
cor querentium Dominum. & Laetifica cor meum, ut ti-
meat nomen tuum. & Gustate & videte quam benignus
est Dominus. & Sitiuit anima mea ad Deum fortem,
vium. & Adhaesit anima mea post te. & eius qui hæc
dixit, amorem in se traxit. Hac enim de causa, magnus
quoque David hæc canens docuit, ut multos socios &
in Deo amando rivales constitueret. Neque verò spe
falsus est. sed & hunc virum diuinum, & alios innume-
rabiles diuino amore sauciauit. Hic enim tanto amo-
ris igne fuit incensus, ut inebriaretur desiderio, & ni-
hil videret ex terrenis: solum autem dilectum & noctu
somniauit, & interdum visione apprehenderet. Hanc
summam eius philosophiam cum multi didicissent, alij
quidem qui propius habitabant, alij verò qui remo-
tius. allata enim fama percurrerebat in omnes partes,
accurrebant supplicantes ut essent palæstræ participes,
& ei tanquam exercitationis magistro & pædolibæ
parentes, viuerent in posterum. Non solum enim a-
ues venantur, canentes, & ad se eas euocantes quæ
sunt eiusdem generis, & subiectis laqueis implicantes:
sed etiam homines venantur eos qui sunt eiusdem na-
turæ, alij quidem ad exitium, alij verò ad salutem. Sic
congregati quidem citò fuere decem. Deinde duplo
& triplo plures. Eos autem cum tot essent, accipiebat
illud antrum. A sene enim didicerat negligere curam
corporis. Vescebatur autem ipsi quoque similiter atque

Psal. 36.
Psal. 104.
Psal. 33.
Psal. 41.

Congregan-
tur ad Iu-
lianum multi
qui eandem
cum eo sequun-
tur exerci-
tationem.

*Supplicatio
nes iōge ab
humana cō
suetudine.*

Pædotriba, ordeaceo pane sale condito. Aliquō autē post tempore, & olera sponte nascentia colligentes, deinde dolia implentes, & muriæ quantum fatis erat miscentes, id habebant obsonium qui opus habebant curatione. His autem oleribus humida habitacula sunt maximè infesta. Solent enim sua natura eis ingenerare situm & putrefactionem. Cùm huic ergo obsonio id accidisset, erat enim antrum vndiquaque valde humidum, supplicarunt seni sodales, vt sibi paruam aliquam domunculam liceret extruere, quæ sufficeret obsonij vasis accipiendis. Ille autem primò quidem postulatum minimè admittebat. tandem autem persuasus, à magno enim Paulo didicerat non quærere quæ sua sunt, sed aliquid concedere & se accommodare humilibus, dedit quidem domunculæ breuē quandam & exiguā mensuram, abiit autem procul ab antro, solitas oblaturus Deo supplicationes. Solitus enim erat sepe quidem quinquaginta stadia, nonnunquā autem etiam bis totidem in desertū proficiscens, & se ab omni humana consuetudine separans, & ad seipsum rediens, per se cū Deo congrederi ac cōuersari, & diuinam illā & ineffabilem speculari pulchritudinem. Hoc ocium cū sumpsissent, qui vt ab illo cura eorum gereretur digni erāt habiti, vsui quidem iusta symmetria respondētem, sed maiorem quàm iussi fuerant, extruxere domunculam. Decimo autem die, veluti quidā Moses, reuersus à monte, & ab ea quæ verbis explicari nequit cōtemplatione, cū vidisset maius factum quàm volebat ædificium, Vereor, inquit, ô viri, ne dū terrena dilatamus habita-

cula, minuamus cœlestia. Atqui hæc quidem sunt ad tempus, & quæ nobis parumper conuenient. cœlestia autem sunt æterna, & quæ nullū possunt finem capere. & hæc quidē dixit, chorū docēs ea quæ sunt perfectiora. tolerauit tamen cū vocem audiisset apostolicam, Non quæro quod mihi est vtile, sed quod multis, vt feruentur. Illos quoq; docuit, intus quidē communem Deo offerre hymnodiam: post auroram autē duos simul exire in solitudinem: & vnū quidem flexis genibus offerre eā quæ Domino debetur adorationem: alterū verò stantem Dauidicos psalmos canere, quindecim. Deinde operis facta commutatione, alterū quidem surgētem canere, alterū verò humi pro-cumbentē adorare. & id à mane vsq; ad crepusculum assiduè faciebant. Ante occasum autē solis, in antro paululū quiescentes, hi quidē hinc, illi verò illinc, omnes verò vndiquaq; in antrū conueniebant, & hymnos vespertinos simul Domino offerebant. Solebat autem ipse quoque senex vnū aliquem ex insignioribus assumere socium officij. Sequebatur autem eum frequentius vir quidam genere quidem Persa, forma autem corporis magnus & admirabilis. forma verò corporis magis admirabilem possidebat animā. Erat autem ei nomen Iacobus, qui etiam post illius mortem in omni quidem virtute resplenduit: fuit autem insignis & illustis, non iis solis quæ illic erant, sed etiam iis quæ erant in Syria philosophiæ gymnasiis seu monasteriis, in quibus etiam vitam finiit, cū vixisset, vt fertur, centum & quatuor annos. Is cū esset magno seni ad solitudinem viæ comes, sequeba-

*Quis ritus
precationū.*

*Iacobus
Persa tan-
dem mona-
chus.*

Draco maximus occiditur.

tur eminus. Non sinebat enim Magister eum propius accedere, ne occasio differēdi ex eo sumeretur: sermo autem abstraheret mentem à Dei cōtemplatione. Sequens autem, in via vidit draconem maximum. Deinde eum contemplatus, non est quidem ausus progredi. cū sæpe autem eū præ metu voluisset declinare, rursus confirmavit animum. Deinde cū inclinatus accepisset lapidem & eum proiecisset, vidit draconem in eodem statu manentem non posse se omnino mouere. Cū autem eū intellexisset esse mortuum, existimauit esse opus senis mortem beluæ. Cōfecto autē itinere, & hymnorum completo officio, postquā venit tempus quietis, & sedens senex, ei quoque iussit vt corpus quieti parumper traderet, primū quidem sedebat tacitus. Cū autem senex sermonem quēdam leniter subridens aggressus est, rogauit Iacobus vt ei aperiret id quod ignorabat. Cū is autē permisisset rogare, Vidi, inquit, in via maximū draconem iacentē. & primū quidem timui, illum viuere existimans. Postquā autem eū aspexi mortuū, securus iter sum ingressus. Dic mihi, inquit, ô pater, quis eū interfecit? Tu enim præcedebas: nullus autē alius hac præterit. Senex autē, Cessa, inquit, de iis curiosè percōtari quę iis qui sciscitantur non possunt vllam afferre vtilitatē. Verūm nihilo secius instabat Iacobus admirabilis, verum scire desiderans. Senex autem diu quidem tentans celare, non ferens autem amicum diutius angere, Ego, inquit, tibi dicam, si id scire desideras. Præcipio autem vt me viuo nullus alius hoc à te resciscat quod dicendum est. Hæc enim sunt celenda, quæ ad arrogantiam

&

& factum sæpe excitant. Sed si ego hinc exceffero, & ab eiusmodi animi perturbationibus fuero liberatus, non veto quo minus dicas & narras vim diuinæ gratiæ. Scias ergo, inquit magnus Iulianus, quod me iter ingredientem illa inuasit bellua, ôsque aperuit me cupiens deuorare. Ego autem Iesum adpellans, & digito trophæum crucis ostendens, omnem quidem excussi timorem. Extemplo autem vidi humi cecidisse belluam: & communi laudato Seruatore perrexi vltèrius. Sic finita narratione, ad antrū est profectus. Aliquando autem adolescēs, nobili quidem loco natus, sed molliter educatus, maiorem autem ostendens promptitudinem & animi alacritatem quàm vires ferre possent, supplex petiit à sene vt esset illi viæ comes eunti in solitudinem, non eius quidem quam omnes obibant quotidie, sed longissimæ, & qua sæpe erat octo & decem diebus peregrinandum. Is autem erat celeberrimus ille Asterius. Cū autem diuinus senex prohiberet iuuenem, & aridam, aquaq; carentem diceret esse solitudinem, instabat adolescens obsecrans vt hoc ei donum concederet. Victus autem precibus

Signo crucis draco interfectus.

Asterius adolescens senem Iulianum cōuenit pro viua instituta.

Probaturn Asterius.

LL

Ioannes iussus tingere Seruatorem, prius quidem & suam confessus est seruitutem, & ostēdit Dominum. Postea autem iussum est executus, non se asperè gerens, sed parens Domino. Ita etiam hic quoq; vir diuinus, grauabatur quidem alio laborante ipse frui alimento: sed postquam vidit ardentissimam clientis animi alacritatem, præposuit suæ voluntati illius ministerium. Fortè autem aliquis ex iis qui ex aliorum reprehensione magnam capiunt voluptatem, & ea quæ sūt honesta solùm didicerūt irridere, dixerit hāc narrationem non esse dignam quæ commemoretur. Ego autem aliis huius viri miraculis hoc quoque adieci, non solum magnorum virorum volens in eū impietatem ostēdere, sed etiam morum eius suauitatem & moderationem declarare, existimans conducibile. Nam cū tanta esset tali virtute, ne leuissimo quidē honore seipsum dignum esse censebat, sed eum repellebat vt qui ad se nequaquam pertineret: rursus autem eum sustinebat, vt qui eos qui faciebant afficeret beneficio. Aufugiens autē, nam vt qui omnibus euasisset manifestus, ad se trahebat per famam eorū, quæ sunt bona & honesta, amatores, venit in montem Sinaū cum paucis ex paulò familiaribus: non oppidum ingrediens, non vicum: sed iter per inuiam iniēs solitudinem. Ferebat autem humeris alimentum quoq; necessarium, panem, inquā, & salem, lagenā & cyathum ligneū, & spongiam fune alligatā: vt si quādo aquam inuenissent profundiorē, exhaurirent quidem spōgia, expressam autem in cyathū ebiberent. Cū itaq; iter multorum dierū confecissent, ad montem optatū

Christa narret que tamē videtur leuia.

perueniunt: & cū suum Dominum adorassent, illic longum tempus perpetuò transfugerunt, loci solitudinem & animæ quietem maximā existimātes voluptatem. Cū autem in illa petra sub qua latens Moses prophetarum princeps, dignus est habitus qui Deum videret sicut videri poterat, ecclesiam extruxisset, & diuinam aram consecrasset, quæ etiam mansit vsque in hodiernum diem, in suam reuersus est palæstram. Cū autem eius cui erat quidem idem quod ipsi nomen, sed impij imperatoris, minas intellexisset, pios enim se funditus perditurum minatus, profectus erat in Persas, & qui eadem quæ ipse sentiebant, abominandum illum reditum inhiantes expectabant, tunc Deo orationem magno studio & vehementi desiderio offerens, & eadem ad decimū vsque diem extendens, audiuit vocem dicentem, execrandum illum & foetidum porcum, de medio esse sublatum. Sed neque accepto fine orationis, cōfestim finiit orationem, sed mutauit petitionem in hymni decantationem, gratias agens seruatori suorum, clementique & potenti hosti alienorum. Longissimo enim tempore fuit clemens & lenis in impium: sed cū eius lenitas & paciētia sceleratum ad maiorem exercuisset rabiem, opportunè intulit supplicium. Cū autem impleffet orationem, & ad suos esset conuersus, planum fuit eum esse læto & tranquillo animo. Animi enim alacritas vultum ostendebat hilarem. Cū autem qui cum eo versabantur nouum admirati essent spectaculum, nā cū semper tristi aspectu videretur, tunc visus est subridere. & cū causam rogassent lætitiæ, Præsens tempus, in-

Ecclesia extructa & ara consecrata.

Iulianum Apostatam intelligit.

Mors apostata significatur diuinitus.

quit, ô fratres, est gaudij. Cessauit enim impius, vt est vox Esaïæ, & audacium inceptorum meritas dedit poenas. & qui tyrānidem exercuit in Deum qui fecit & seruauit, ab eius qui illius parebat imperio, dextera, iure est cæsus. Ideo lætor cū videam ecclesias quæ ab eo sunt oppugnatae exultantes, & cernam sceleratum, ab iis quos colebat, Dæmonibus, nihil auxiliij consecutum. Huius ergo impij cædis talem habuit præscientiam. Cū autem Valens qui post illum accepit habenas Romani imperij relicta veritate euāgelicorum dogmatum, erroris Arii accepisset imposturam, tūc exorta est maior procella aduersus ecclesiam. cū gubernatores quidem vndique expellerentur, prædones autem quidam & hostes in eorū locum sufficerentur. Ne autem totam illam in præsentia recenseam tragoediam, alia nunc prætermittam, vnus autem solummodo faciam mentionem, quod apertè ostendit diuini spiritus gratiam in hoc sene florētem. Ab Antiochena quidem ecclesia eiectus erat magnus Meletius, quæ à Deo vniuersorum pascenda ei credita fuerat. A diuinis autem templis eiecti fuerant cum populo qui erat eiusdem cum eis sententiæ, quicunque in clerum cooptati, trinitatis diuinam vnam colebant essentiam. & nunc quidem in aliquem specum montis venientes, sacros illic coetus celebrabant. nunc autem ripam fluminis faciebant oratorium. aliquando autem bellicum gymnasium, quod situm est ante portam septentrionalem. Non permittebant enim qui bellum gerebant, in vno loco pios consistere. Iactarant autem alumni mendacij, & rumore in

*Ecclesia
persecutio
sub Valere.*

illa ciuitate sparserant, quod magnus, hic inquam senex, eorum quæ ipsi tenebant religionis dogmatum amplecteretur cōmunionem. Hoc pios maximè angebat, ne fama rudiores & simplices decipiēs, eos hæreticorum implicaret laqueis. Sed diuini & beati viri, Flauianus & Diodorus, qui digni erant habiti vt essent sacrifici, & præessent piorū populo, & Aphraates, cuius per se vitam vobis, si Deus concefferit, adiciā, persuadēt magno illi Acacio, cuius fecimus mentionem, vt vię acciperet comitem suum quidem Magistrum, sancti autem senis discipulum, insignē illum Asterium, curreret autem ad cōmunem pietatis splendorem, & euangelicæ doctrinæ sustentaculum, & persuaderet vt relinqueret quidem illam in solitudine verisandi rationem, veniret autem vt ferret auxilium tot millibus quæ fraude interibant, & rore sui aduentus flammā extingueret Arianam. Cucurrit diuinus Acacius, & sumpto, vt iussus erat, magno Acacio, accessit ad maximum lumen ecclesiæ. & cū eum salutasset, Dic mihi, inquit, ô pater, quānam de causa totum hunc laborem tam lubenter toleras? Cū is autem respondisset, Et corpore, & anima vitæque, & omnibus quæ ad vitam pertinent, est mihi Dei cultus preciosior. Conor autem, quoad eius à me fieri potest, illi à sorde nudum offerre ministerium, & ei perpetuò placere. Ostendam tibi, inquit Acacius, rationem, per quam ei plus quàm nunc seruiēs. Idque dicam, non sola vtens ratiocinatione, sed vt qui id ab eius doctrina didicerim. Cū enim Petrum aliquando rogasset, an eum plus quàm alij amaret, & didicisset

*Hæreticorū
mos bonos
& doctos
infamare.*

*Episcopi sa-
crifici.*

*Cur tanta
tolerarent
Heremita.*

*Cura ani-
marum.*

id quod sciebat vel ante Petri vocem, Tu enim, inquit nosti Domine quòd amo te. Ostendit ei quidnam agens eum magis coleret. Si enim, inquit, amas me, pascue oues meas, & pascue agnos meos. Hoc quoque tibi, ò pater, est faciendum. Periculù enim est ne oues à lupis intereant: eas autem valde amat, qui à te valde amatur. Est autem proprium amarium illa facere, quæ cum fiunt, eis qui amantur grata sunt. Et alioqui non paruum est periculum, multorumque & magnorum illorum sudorum detrimentum, si pati potueris negligere, tacitus prætereire, veritatem quidem grauer oppugnari, eos autem qui ei adhærent, captari: ad eos autem venâdos esse escâ tui nominis appellationem. Te enim habere socium suæ impietatis, gloriantur & iactant Præsides Arij abominationis. Hoc cum primum audiisset senex, quietem quidem iubens valere ad tempus, neque ciuitatis strepitus, quòd eis nõ esset assuetus, refugiens, accurrit Antiochiam. Cùm autem duorum vel trium dierum iter confecisset in solitudine, noctu venit in quoddam prædiù. Quædam autem diues muliercula, cùm sacrum illum chorum audiisset venire, cucurrit vt perciperet eorum benedictione: & ad eorum pedes prouoluta, rogabat vt sua domus esset eorum diuersorium. Concessit senex, idque cùm plusquam quadraginta annis à tali fuisset spectaculo separatus. Cùm autem admirabilis illa mulier, esset in sacris illis viris ministrando occupata, puer septem annos natus, cuius solius erat mater, quæ hospitalitatem Sarre est æmulata, esset autem vesperum & tenebræ, cecidit in puteum. Cùm autem ex eo, vt est

*Puer qui
cecidit in
puteum ni-
hil mali
passus est.*

consenta-

consentaneù, exortus esset tumultus, mater autem sensisset, iubet quidè omnes quiescere: puteo autem operculo imposito, instabat ministerio. Mésa autem viris diuinis apposita, diuinus senex iussit vocari puerum mulieris, & accipere benedictione. Cùm autem admirabilis mulier diceret eum malè habere, perstitit iubere vt is duceretur. Postquam autem ei quod accidisset significauit mulier, mésam quidem relinquit senex, accurrens autem ad puteum, cùm auferri quidem operculum, afferri autem lucem iussisset, videt puerù sedentē super aquæ superficiem, & aquam manu pueriliter pulsantem, & qui reputatus fuerat interitus, eù ludum putantem: & cùm quosdâ funes alligassent & eos demississent, puerum extraxerunt: & statim accurrit puer ad pedes senis, dicens se eum vidisse in aquis ipsum ferentem, & ne mergeretur prohibentem. Hanc hospitalitatis mercedem recepit mulier à beato sene. Et vt alia præmittam quæ facta sunt in itinere, venerunt quidem antiochiam: omnes autem vndique concurrebant, Dei hominè videre cupientes, & morbi sui medicinam vnusquisque accipere desiderans. Habitabat autem in speluncis quæ erant in latere montis: vbi diuinum quoque apostolum Paulum & habitasse dicunt & latuisse. Sed statim vt scirent omnes eum esse hominem, eum inuadit febris vehementissima. Cùm autem videret magnus Acacius multitudinem eorum qui simul erant congregati, & eam quæ acciderat ægrè ferret ægritudinè: existimabat enim fore vt ij qui conuenerant perturbarètur, si viri morbum resciscerent, à cuius manu se inuenturos sperabant medici-

MM

*Morbi sunt
in manu do-
mini.*

nam: Noli angi animo, inquit senex. Si est enim neces-
saria sanitas, eam statim dabit Dominus. Statim ergo
post hæc verba ad preces conuersus, & vt solebat, &
genua & frontem solo admouens, rogauit vt asseque-
retur sanitatē, si ex ea reditura sit aliqua vtilitas ad eos
qui conuenerant. Nondum finierat preces, & repēre
multus sudor profluens extinxit flāmam febris. Cū
illic autem liberasset multos à morbis omnis generis,
profectus est ad conuentum piorum. Transeunte au-
tem eo per portas regiæ, mendicus quidam qui cluni-
bus vtebatur pro pedibus, & per terram trahebatur,
cū manum extendisset, & eius pallium tetigisset, fide
quidem morbū exegit, exiliens autem ostendit se æ-
quē currere atque ante morbum: idem faciens quod
claudius quem Petrus & Ioannes suscitauit. Hoc cū
factum esset, confluit totus populus ciuitatis: erat-
que bellicum gymnasium plenum iis qui concurre-
bant. Pudore autem afficiebantur calumniatores &
mendacij artifices: læto autem & tranquillo animo
erant alumni veritatis. Exhinc in domos suas trahe-
bant lumen veritatis, ij qui opus habebant vt curaren-
tur. Vir autem quidam cui fuerat maximus mandatus
magistratus, eiusque fidei commissus erat clauus o-
rientis ad eum misit rogans vt ad se veniret, & à mor-
bo vrgente liberaret. Ille verò accessit nihil cuncta-
tus, & communi Domino fuis precibus, verbo sol-
uit ægritudinem, & iussit vt Deo ageret gratias. Cū
hæc & talia fecisset, statuit deinceps reuerti ad suæ e-
xercitationis monasticæ tugurium. Cū per Cyrum
autem iter faceret, distat autem hæc ciuitas duorum

*Claudius
sanatur.*

dierū itinere ab Anthiochia, diuertit quidem in ædem
præclari martyris Dionysij. Qui illic autē vero Dei
cultui & rectæ religioni præerent, conuenientes sup-
plicarunt vt sibi opem ferret exitium præuisum expe-
ctantibus. Dicebant enim Asterium qui in sophistica
& falsa differendi arte fuerat educatus, & se in hæreti-
corum ecclesiam iniecerat, & episcopale munus erat
assecutus, falsum acriter defendere, & improbo vt
artificio aduersus veritatem: & veremur, inquebant,
ne facundia veluti quadam esca falsum contegens, &
nexus syllogismorum tanquam quadam retia exten-
dens, capiat multos ex simplicioribus: ea enim de
causa fuit ab aduersariis accersitus. Senex autē, Esto-
te, inquit, bono animo, & Deo nobiscum supplicate,
orationem & corporis afflictionem precibus adiun-
gentes. His Deum sic rogantibus, vno die ante diem
festum ac celebrē, quo verba erat facturus falsi defen-
sor & hostis veritatis, is diuinitus immissam accepit
plagam, & cum vno tantum die egrotasset, excessit è
vuis, illam, vt est probabile, vocem audiens, Stulte,
hac nocte repetunt à te animam tuam: quæ autem pa-
rausti retia & laqueos, iis tu implicaberis, & non alij.
Hæc Balaam quoque acciderunt, qui ipse quoque ad-
uersus Dei populum accersitus, cū impia quadam
Balaac aduersus ipsum consulisset, eius dedit pœ-
nas, vt qui ab Israelitica dextera fuerit cæsus. Igitur
hic quoque, cū in Dei populum quasdam callidas
excogitasset sententias, per Deum populi vita fuit pri-
uatus. Hanc autem salutem Cyrus est consecuta per
huius orationem. Hæc autem quæ narraui, mihi di-

*Asterius
dialectica
& eloquen-
tia abuti-
tur ad here-
sim.*

*Asterius di-
uina plaga
meretur.*

uinū caput, ille magnus tradidit Acacius: qui pulchrè sciebat omnia quæ ab ipso facta fuerant. Cùm ergo illine esset profectus, & ad suos sodales reuersus, & vnà cū eis non paruo tempore esset versatus, ad vitā senij & molestiæ expertem valde prōptè & alacriter transiit, vt qui in mortali natura meditatus esset impatibilitatē, expectaret autem corporis immortalitatem. Ego autem hic de eo sistens orationem, transibo ad alium: rogans sanctos qui in hanc ingrediuntur narrationem, per suam intercessionem mihi supernā conciliare beneuolentiam.

Inuocatio
sanctorum.

MARCIANVS.

III.
Huius meminunt idem
Theodore.
tus in quarto libro
historia ecclesiastica.

Heb. II.

ILLUM autem tantopere celebratum Marcianuum, quomodo pro rei dignitate admirabimur? Num videlicet eum simul coniungentes cum Elia & Ioāne & similibus, qui circumibant in ouinis & caprinis pellibus, egentes, afflicti, vexati, quibus dignus non erat mundus: errantes in solitudinibus & montibus & speluncis & foraminibus terræ? Is enim olim patriā quidem habuit Cyrum, cuius prius quoque meminimus: post hæc autem solitudinem: hac autem & illa relicta nunc habet cœlum. Et illa quidem eum genuit: hæc verò aluit, & victorem effecit: cœlum autem accepit vt coronatum: contempta enim claritate generis. Ducebat enim genus à patriciis, & à splendore regio. In illis enim florebat, corporis specie & magnitudine accepta ab opifice naturæ, & animo ingenij solertia ornato. In Deum autem, & ea quæ ad eum pertinent, totum amorem transfudit: & omnibus valere iussis, solitudinis occupat vmbilicum, &

parua extracta domuncula, quæ ne eius quidem corpori iusta respondebat proportione, cùm eam quodam alio paruo septo circumdedisset, inclusus erat assiduè, separatus quidem ab omni humana consuetudine, differens autem cum Domino vniuersorum, & dulcem illam vocem exaudiens. Diuina enim versans eloquia, se diuina voce frui putabat. Orans autem & supplicationes offerens, ipse loquebatur cum Domino: & cùm semper tantis frueretur delitiis, eum nunquam capiebat fatietas. Audiuit enim diuinum spiritum per magnum Dauid psallentem. Qui meditatur in lege Domini die ac nocte, erit tāquam lignū quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius nō defluet. Hos fructus desiderans, iucundissimum hunc laborē amplectebatur: & orationem quidē psalmodia: psalmodiam autem excipiebat oratio: & vtraque rursus diuinorum eloquiorum lectio. Cibus autem ei erat solus panis, isque certa præbebatur mensura. Ea autē erat mensura, vt nec puero quidem nuper ablactato fatis esset. Aiunt enim panis libram in quatuor partes diuisam, quatuor diebus fuisse distributam: & vnicuique diei attributam fuisse partē vnā. Statuerat enim vespere comedere quotidie, nunquam autem fatiari: sed semper quidē esurire, semper verò sitire: corpori autem ea exhibere quæ ad viuendum sufficiunt. Dicebat enim, quòd qui post multorum dierum inediā capit cibum, in diebus quidem inediæ, officia dominica exequitur imbecillius. Quo autem die rursus capit cibum, plura, vt est consentaneum, exhibens, ven-

Psal. I.

”

”

”

*Ieiunia
moderata
sunt melio-
ra.*

*Duo mona-
steria.
Φροντισ-
ερα.*

trein onerat: is autem grauatus tardiolem reddidit animam ad vigilandum. Dicebat igitur esse melius vesci quidem quotidie, nunquam autem expectare satietatem. Verum enim ieiunium est perpetua indigentia. Hanc legem perpetuò ferebat vir ille diuinus, & cum corpus haberet maximum, & omnium sui temporis hominum esset & maximus & pulcherrimus, hoc paruo cibo alebat. Cum autem præterisset aliquantum temporis, duos admisit contubernales, Eusebium qui sacri illius tugurij fuit hæres: & Agapetum, qui has leges angelicas transtulit Apameam. Est enim quidam vicus maximus & populosissimus: est autem ei nomen Nicerte. In eo ergo construxit duo maxima philosophiæ gymnasia, quorum vnum quidem est ab eius nomine denominatum: alterum verò ab admirabili Symeone, qui quinquaginta annorum spacio refulsit in hac philosophia. In his in hodiernum vsque diem degunt plus quam quadringenti viri, virtutis athletæ & amatores religionis verique Dei cultus, & qui suis cœlum coëmunt laboribus. Huius autem reipublicæ legislatores fuere Agapetus & Symeones, qui leges acceperunt à magno Marciano. Ab his autem plurima quæ plantata sunt exercitatorum virtutis habitacula, quæ quidem iisdem legibus reguntur & institutis, difficile est enumerare. Cæterum horum omnium plantator fuit ille diuinus. Qui enim pulcherrimum semen præbuit, is iure vocari possit auctor bonorum quæ nascuntur. Primum ergo, vt dixi, solus volutarium illum tenebat carcerem. Deinde cum hos duos admisisset, non habitabant illi in eadẽ domo. Neque enim eis so-

li sufficiebat domuncula, vt quæ esset valde parua, & quæ ipsi & stanti & recumbenti multum afferret laboris. Neque enim stans, rectus stare poterat, cum tectum caput & collum rangeret: neque recubans poterat pedes extendere, cum domus non haberet longitudinem æqualem longitudini corporis. Cum ergo eis permisisset aliam extruere, iussit in ea degere: per se autem hymnos dicere & orare, & diuina legere eloquia. Cum autem oporteret esse plures huius utilitatis participes, alio habitaculo eius iussu procul extructo, iussit eos qui vellent in illo degere. Eorum autem dux erat Eusebius, qui magni Marciani transmittibat doctrinam. Diuinus autem ille Agapetus, vt oportuit institutus & exercitatus, & in hac arte athletica optime eruditus, reuersus est, vt dixi & feminauit semina quæ à diuina illa anima acceperat. Euasit autem adeo clarus & illustris, vt pontificali sede dignus sit habitus, & ei mandata sit pastoralis curatio, & eius fidei credita fuerit cura patriæ. Eusebius autem ille admirabilis, congregati gregis præfectus, & curam Magistri susceperat, & solus dignus habebatur qui ad eum in tempore ventitaret, & eum rogaret nunquid vellet. Cum autem vellet noctu videre quid ageret, ausus est ad fenestram, erat autem ea breuis admodum, accedere, & cum se inclinans respexisset, videt lumen, non ex lucerna, neque quod esset manu factum, sed à Deo datum, & quod superna gratia præceptoris sui caput circumfulgebat, & diuinorum eloquiorum scripturæ ostendebat intelligentiam: tenebat enim librum, & diuinæ volutatis sacrosanctum

Eusebius.

Agapetus.

*Pontificalis
sede non
nisi dignis.*

*Φωταγω-
γος.*

*Luminis
diuinitus
adhibetur
caput Mar-
ciani.*

inquirebat thesaurum. Hoc cum esset contemplatus admirabilis Eusebius, ingenti timore horroréque est affectus, & Dei ministri diffusam edoctus est gratiã, & Dei in suos seruos didicit benevolentiam. Aliquãdo autem cum in vestibulo magnus oraret Marcianus, draco quidam qui reptauerat supra parietem versus ad orientem, desuper è muro despexit, simul & hians, & horribiliter intuens, & se inuasurum significans. Procul autem stans Eusebius, & illud horrendum spectaculum pertimescens, & id Magistrum ignorare suspicans, illi ostendit clamans & vt fugeret rogans. Ille autem cum eum reprehendisset, & timorem expellere iussisset, nam eum quoque esse exitiale vitium, digito quidem crucis prius expressit figuram, ore autem insufflauit, & veteres ostendit inimicitias. Ille autem spiritu oris, tãquam igne aliquo, exiccatus, & veluti exectus, instar exustæ stipulæ in multas partes est dissolutus. Vide ergo num imitatus est Dominum vt seruus beneuolus? Dominus enim cum aliquando fuisset mare in cimbam discipulorum, eos autem vidisset anxios & perturbatos, non prius maris sedauit tempestatem, quàm increpando discipulos, compescuit eorum incredulitatem. Hinc doctus hic vir admirabilis, primum expulit timorem discipuli, deinde sic beluam affecit supplicio. Talis magni Marciani fuit & sapientia, & miraculorum effectio, & in Deum fiducia. Sed tamen cum tanta gratia dignus esset habitus, & magna posset facere miracula, studebat tamen celare virtutem, prædonis virtutis suspectas habes machinas. Arrogantiæ enim vitium subter seminans, la-

*Crucis signo
necatus
draco.*

*Nō gloriā-
dum in vir-
tutibus.*

bore

bore collectos fructus conatur eripere. Et cum sibi datam vellet celare gratiam, inuitus ad facienda veniebat miracula, cum eius rectè factorum iubar resplendesceret, & quæ occultabatur virtutem aperiret. Quinetiam aliquando contigit vt tale quid fieret. Vir quidam honesto loco natus, & cui militares magistratus sæpe fuerant mandati, ex Berhœa Syriæ vrbe proficiscens, cum eius filia diu debaceharetur, & à malo dæmone vexata insaniret, venit in solitudinem, cum esset quidem magni Marciani familiaris, speraret autem propter priorem consuetudinem eum cõuenire & rogare. Spe autem falsus, cum nō liceret ei Dei videre seruum, rogat quendam senem, cui illo tempore diuini illius viri commissum fuerat ministerium, vt paruum lecythum oleo plenum acciperet, & ad ostium domunculæ poneret. Senex autem sæpe quidem se id facturum inficiatus, sæpe autem rursus rogatus, victus est à precibus. Cum autem strepitum magnus sensisset Marcianus, rogauit & quisnam esset, & quonam opus habens veniret. Is autem veram quidem celabat causam, simulabat autem se venisse vt sciret num iuberet aliquid: & hoc dicens dimissus est. Cum autem sub auroram rursus pater puellæ rogasset vt sibi redderetur lecythus, ille timens quidem, iuit tamen cum quàm maximo potuit silentio, & porrecta manu, & accepto lecytho, cupiebat latere. Is autem rursus rogauit quidnam volens veniret. Postquam autem eandem dixit causam quam etiam vespere præ se tulerat, ægre ferens homo Dei, vt pote quod præter consuetudinem fuisset eius aduentus, iussit vera dicere. Ille

NN

autem timens & contremiscens, cum non posset eum latere qui plenus erat Deigratia, dixit & quis esset qui supplicabat, & eum morbi docuit tragœdiã, & ostendit lecythum. Is autem succensuit quidem, ut est consentaneum, quod nollet virtutem ostendere. Minatus tamen quod si hæc rursus auderet, & ab illa priuabitur consuetudine, & ei auferetur ministerium, erat autem maxima iactura iis qui quæstum sciebant, remisit, iubens reddere ei qui dederat. Et Marcianus quidem hæc iubebat: Dæmon autem qui aberat iter quatuor dierum, eius qui exigebat vociferabatur virtutem: & Marcianus Berhoë functus est officio iudicis, quibusdam licitoribus vsus aduersus dæmonem, & illū sceleratum expellens, & puellam mundam reddens ab illa vexatione. Hoc autem exactè sciuit pater puellæ. Ei enim reuertēti, cum pauca stadia abesset ab vrbe, occurrit quidam seruus à domina in agrū missus. Is cum vidisset Dominum, miraculi facti attulit nūcium, quatuor autē diebus dicens factum esse miraculum. Diebus ergo supputatis, & tempore rectè examinato, didicit illud fuisse in quo senex attulit lecythum. Mihi autem venit in mentem cogitare, quid non fecisset ille vir magnus si voluisset facere miracula. Si enim etiam cum studeret celare quam acceperat virtutem, tantum ostendit splendorem: quod non miraculū fecisset si voluisset? Sic autem spiritalem quoque suam sapientiam non ostendebat omnibus. Itaq; cum potestremò post diem festū salutaris passionis & dominicę resurrectionis, permisisset iis qui volebant ad se ingredi: illo certè tēpore omnes studebāt eum videre.

*Marcianus
sanat preci
bus demoni
scæciã
absens.*

Episcopus.

*Dies festus
passionis
& dominicę
resurrectionis.*

Atque ad eum aliquando congregati primi veniebāt pontifices. Flavianus ille magnus, cuius fidei erat credita pascenda Antiochia: & diuinus Acacius, cuius prius quoque meminimus: & Eusebius Calcidensis episcopus: & Isidorus cui tunc erat commissa Cyrus gubernanda, qui erant virtute insignes. Vnà autem cum illis erat etiam Theodotus qui tenebat habenas Hierapolitanorum ecclesiæ, clarus monastica exercitatione & mansuetudine. Erant autem nonnulli quoque ex magistratibus, incensi ardore fidei. Omnibus ergo cum silentio sedentibus, & sacram illam vocem expectantibus, ipse quoque diu tacēs sedebat, lingua quidem ociosus, auribus autem promptus. Tunc aliquis ex iis qui sedebant, qui erat ei familiaris propter curam animæ, & alioqui auctoritate & dignitate clarus. Omnes, inquit, ô pater, diuini hi patres, sitientes expectant suauissima tuæ doctrinæ fluenta. Omnes ergo præsentis impertias vtilitate, nec claudas riuos tuæ beneficentiæ. Ille autem cum valde ingemuisset, Deus, inquit, vniuersorum quotidie loquitur per creaturas, & per diuinas scripturas differit & monet ea quæ oportet, & inducit ea quæ sunt vtilia: terręque minis & adhortatur promissis: & ex his nullam capimus vtilitatem. Quemadmodum ergo loquens profuerit Marcianus, qui tantam vtilitatem amittit cum aliis, & commodum non vult ex eis capere? Hinc factū est ut multi quidem sermones mouerentur à patribus, quos inserere narrationi duxi superuacaneum. Cum autē surrexissent & orassent, & ad cōferendum sacerdotij ordinē vellēt ei manus imponere, rursus ei

*Pontifices
congregan
tur ad Mar
cianum.*

*Quam muni
tis modis
nobis loqua
tur Deus.*

Auitus monachus. manus admouere sunt veriti : & hic quidem illi, ille verò huic iubebat. Cùm omnes autem id simul recu-
 fassent, redierunt. Sed enim volo his quoque aliã ad-
 dere narrationem, qua cognosci poterit diuina eius
 prudentia. Auitus quidam, primus in solitudine, gra-
 tia monasticæ exercitationis, fixerat tugurium. Id au-
 tem magis quàm hoc vergit ad septentrionem, & ali-
 quantum situm ad orientem, spectat ventum Apar-
 ctiam qui est proximus subfolano. Is magno Marcia-
 no erat & tempore & labore antiquior, vir autè phi-
 lophus, & in vita dura & aspera educatus. Is cùm de
 viri virtute quæ vbique celebrabatur audiisset, ratus
 tale spectaculum esse silentio & quiete vtilius, accur-
 rit studens videre eum quem desiderabat. Cùm autè
 eius aduentum magnus sciuiisset Marcianus, ostio a-
 perto eum ad se admisit. Admirabili autem præcepit
 Eusebio vt & legumen coqueret & olus, si haberet.
 Postquam verò mutuum inter se colloquendi explef-
 sent desiderium, & alter alterius virtutem didicissent,
 nonæ simul peregerunt officium. Venit autem Euse-
 bius mensam ferens, & panem afferens. Magnus autè
 Marcianus diuino dixit Auito. Ades dum omnium mi-
 hi amicissime, & huius mensæ simus simul participes.
 Ille verò, Nescio, inquit, me vnquam cibum sumpsisse
 ante vesperam : sæpe autem duos & tres dies simul
 maneo ieiunus. Magnus autè Marcianus, Mea ergo,
 inquit, causa hodie mutetur consuetudo. Nam cùm
 sim corpore imbecillo, non possum expectare vespe-
 ram. Postquã autè hæc dicens nõ persuasit admirabili
 Auito, ingemuisse dicitur & dixisse. At ego, inquit,

Officium nonæ.

animo angor & valde crutior, quòd tantum laborem
 ceperis vt virum aliquem laboriosum videres & phi-
 losophum, spe autem falsus, cauponem videris ali-
 quem profusè & delicatè viuentem. Cùm ex his au-
 tem molestia esset affectus Auitus, & dixisset se malle
 vesci carnibus quàm hæc audire, dixit magnus Mar-
 cianus. Nos quoque ò amice, eandem quam tu vitam
 persequimur, & amplectimur eandè viuendi rationem
 & quieti labores præferimus : ieiunium magis expe-
 timus quàm cibum, eúmque nocte aduentante capi-
 mus : sed scimus charitatem esse ieiunio præstantio-
 rem. Charitatis enim opus à lege diuina præcipitur.
 Ieiuniũ autem est potestatis nostræ & arbitrij. Opor-
 tet autem existimare diuinas leges esse nostris longè
 præstatiores. Hæc cùm inter se inuicè differuissent, &
 parum cibi sumpsissent, & Deum laudauissent, & tres
 dies simul versati essent, rursus sunt separati, videntes
 se inuicem spiritu. Quis ergo nõ admiretur huius viri
 sapientiam, à qua gubernatus, sciebat quidem tẽpus
 ieiunij, sciebat autè etiam fraternæ charitatis : sciebat
 virtutis quoque partium differentiam, & quamnã cui-
 nam cedere oportet, & cuiam in tẽpore danda sit vi-
 ctoria. Possũ autè aliud quoque narrare quo eius co-
 gnoscatur in diuinis perfectio. Ad eum enim ex patria
 venit soror cũ filio, qui & vir erat & vr̄bis Cyri facile
 princeps, ea quæ ei vsui erant abundè afferens. Is autè
 sororè quidem videre non est passus, sororis autè ad-
 misit filium : erat enim id tempus definitũ quo eum li-
 cebat conuenire. Cùm autè eum rogarent acciperet
 quæ allata fuerant, per quot, inquit, monasteria trãsii-

Ieiuniũ est nostræ potestatis.

Videns se inuicem spiritu etiam absentes corpore.

Quid monacho naturalis cognatio. stis, & quænam ex his, eis ipsis impertiistis? Cùm is autem dixisset se nulli dedisse, Abite, inquit, cum iis quæ attulistis. Nos, inquit, nullo horum egemus, nec si egeremus acciperemus. Naturalis enim cognationis, non autem diuinæ pietatis & seruitij curam gerentes, hanc exercetis in nos beneficentiã. Si enim nõ honoraretis solam generis necessitudinem, nõ ea quæ attulistis nobis solis impertiissetis. Hæc dicens, filium sororis dimisit cum sorore, iubens vt nihil acciperetur ex iis quæ attulerãt. Ita erat extra naturam, & in celestem migrarat viuendi rationẽ. Quõdnã enim aliud afferri potest exẽplum apertius, quõd Deo esset dignus conueniẽter ipsius Dei voci? Qui non relinquit enim

Matth. 10. inquit, patrem & matrem & fratres & sorores, & uxorem, & filios, non est me dignus. Si autẽ qui non relinquit est indignus: qui relinquit, & tam accurata exactaque vitur perfectione, clarum est eum fuisse dignissimum. Ego præter hæc admiror quoque eius in diuinis decretis summam perfectionem. Abhorrebat enim Arii insaniã, quæ à potestate imperatoris accendebatur illo tẽpore. Abominabatur etiam amentiam Apollinaris. Fortiter autem & strenuè decertabat aduersus eos qui cum Sabellio sentiebant, trẽsque hypostasas seu personas in vnã cogebant. Valde quoque auersabatur eos qui nominantur Euchitæ, qui in habitu monastico laborant morbo Manichæorum. Erat autem ad eò feruens eius zelus pro decretis ecclesiasticis, vt etiam aduersus virum admirandum & diuinum, iustam pugnam suscepit. Erat Abraames quidam senex in illa solitudine, vir canis quidem pilis, sed

Hereses eius tẽporis.

Arius.

Apollinaris.

Sabellius.

Euchita.

Manichæi.

Abraames Eremita.

magis cana prudentia, omni virtute clarus, & vberes semper profundens lachrymas compunctionis. Is in principio à quadam inductus simplicitate, primum pascha peragere sustinuerat: ignorans quidem vt est verisimile, quæ de eo Nicezæ à patribus constituta fuerant, antiquæ autem seruire malens consuetudini. Multi autem alij laborabant eo tempore eadem quoque ignoratione. Sed magnus Marcianus, multis quidem sæpe verbis vsus, conatus est senem Abraamen (ita enim eum appellabant qui in ea habitabant regione) vt cum ecclesia consentiret, traducere. Cùm eum autem vidisset non parere, aperte destitit cum ipso communicare. Sed procedente tempore, ille quoque vir diuinus abiecta macula, in festo celebrãdo amplexus consensum ecclesiæ, verè psallens cecinit. Beati immaculati in via qui ambulãt in lege Domini. Hoc autem effectum est à magni Marciani doctrina. Ei multi quidem vbique ædificabant oratoria. In Cyro quidem, eius sororis filius Alypius. Zenobia autem quædam in Chalcide, quæ & genere erat clara, & insignis virtute, & magnas habebat diuitias. Alij quoque non pauci hoc faciebant, victoria parta illustrem illum athletam rapere contententes. Hoc cùm nosset homo dei, rogat admirabilem illum Eusebium, omni terrore plenum illi offerens iusiurandum, vt corpus in illo loco deponeret, & nemo sepulchrum dignosceret præter duos qui simul habitabãt familiariores, donec præteriisset magnus annorum numerus. Hoc autem iusiurandum impleuit homo ille admirabilis. Postquam enim insignis illius victoris venit finis.

Psal. 118.
 cc
 cc
Oratoria Marciano erecta.

Marcianus nititur ignotum habere sepulchrum

& chorus angelorum sacram illā & diuinam animam ad coelestes transtulit mansiones, non prius eius significauit obitum, donec cum duobus ex familiarioribus facta fossa, & corpore deposito, complanauit terrę superficiem: & quinquaginta annis vel pluribus elapsis, cum innumerabiles concurrissent & corpus scrutati essent, ignotum mansit sepulchrum. Postquam autem vnumquodque ex prædictis oratoriis, vnum quidem apostolum, alterum verò martyrum accepit reliquias securè deinceps illius tabernaculi & doctrinæ hæredes, cum duobus antè annis arcam construxissent lapideam, in ea posuerunt preciosi corporis reliquias, cum vnus ostēdisset sepulchrum. Is enim solus supererat ex illis tribus. Cùm illius autem fuisset virtutis æmulator Eusebius admirabilis, longo tēpore corpus perpetuò affligebat. Nam cùm centū & viginti ferri libras corpori haberet impositas, sibi quoque imposuit alias diuini Agapeti quinquaginta. Adiecit autem magni quoque Martiani alias octoginta. Habebat autem oratorium, lacum quendam in quo nulla aqua remanserat. Tribus autē annis perpetuis hoc modo vitam transegit. Ad hæc autem dicenda sum digressus, cùm vellem ostendere quod & quantarum rerum rectè & ex virtute gestarum auctor & procurator fuerit Marcianus. Huius autem philosophiæ fructum quoque percepit admirandus ille Basilius, qui multis postea temporibus, apud Seleucobelum, est autem vrbs Syriæ, monasticum extruxit habitaculum, & clarus quidem fuit in multis generibus virtutum, insigniter autem fuit clarus in ea quæ Deo longè est gratissima possessione

Reliquiæ.

*Eusebii au-
steritas.*

*Basilius mo-
nasteriū ex-
ruit.*

possessione charitatis, & in diuino opere hospitalitatis. Quam multos autē hic quoque Deo exhibuerit operarios, citra pudorē, vt apostolicè dicam, verbū tractātes veritatis, quis facile enumerauerit? Nā vt alios in præsentia prætermittam, qui sunt quidem laude digni, nimis autem prolixam redderent narrationem, huius vnus & solius meminero. Fuit quidam qui ad eum ventitabat, eum autem appellabant Sabinum, qui corpus consumpsit laboribus innumerabilibus. Neque enim panis neque obsonij fuit alicuius particeps: cibus autem erat ei farina aqua madefacta. Consueuerat autem is totum vnus mensis miscere nutrimentum, vt situm contraheret, & tetrum odorem emitteret. Volebat autem hoc genere alimenti hebetare sui corporis appetitiones, & efficere vt foetore nutrimenti flaccesceret voluptas. Cùm autem per se sic degeret, si quis ex familiaribus ad eum accederet, simpliciter & citra discrimen vesceretur iis quæ apponebantur. Tantam autem diuinitus gratiam acceperat, vt mulier quædam Antiochena, cuique & genus & opes ingentes faciebant spiritus, ad eum accederet, & ei supplicarit vt opem ferret filiæ quæ vexabatur à dæmone. In somnis enim, inquiebat, vidi quendam iuuentem vt huc accederem, & precibus præsidij monasterij salutem filiæ procurarem. Dicebat ergo is qui responsa dabat, non solere præsidem loqui cum mulieribus. Cùm autem instaret mulier, lachrymans, & eiulans, & grauiter vociferans, egressus quidem est præfectus monasterij. Dicebat autem mulier non esse ipsum: fuisse autem alium sibi ostensum suburbi-

*Sabini au-
steritas.*

cundum, qui pustulas quasdam habebat in genis. Vbi autem cognouerunt eum qui quærebatur, erat autem is tertius monasterij, non primus, eum persuasum adduxerunt ad mulierem. Protinus autem illa quidem agnouit faciem: malus autem dæmon vociferans reliquit puellam. Hæc præclara fecerunt facinora magni Martiani discipulorum discipuli. Tales vbique plantas plātauit plātor optimus. Ego autem huic narrationi rursus finem imponēs, rogo & quæso vt per horū omnium intercessionem diuinum consequar auxilium.

*Sædini me-
ritis sana-
tur demo-
niaca.*

*Intercessio
sanctorum.*

EUSEBIVS.

*III.
Huius Eu-
sebij memi-
nit idem
Theodore-
tus in quar-
to historia
ecclesiasti-
ca.
Transit ad
terram ha-
bitabilem,
quam asce-
te incolue-
runt.
Berbæa.*

Q Vales quidem Deo obtulerit fructus desertum sterile, nēpe pulchros, & maturos, & ei qui plantauit gratos, & iis qui sapiunt hominibus charos & maximè expetendos, ostendimus in iis quæ iam scriptæ sunt narrationibus. Ne quis autem existimet virtutem esse loco circumscripam, & solam solitudinem esse aptam ad tales ferendos redditus, age transeamus deinceps oratione ad terram quæ habitatur: & ostendamus ad parandam philosophiam eam minime esse impedimento. Est mons altus, qui Antiochiæ quidem situs est ad orientem: Berhœæ autem ad occidentem, omnes autem montes propè sitos superat: in summo autem cacumine imitatur figuram conoïdem, ab altitudine autem accepit denominationem. Κορυφή enim, id est verticem, eum solent appellare accolæ. Olim in eius summo vertice erat templum dæmonum, quod apud vicinos in magno erat honore. Subtus autem ad meridiem patet campus, sinus præ se ferens figuram, qui vtrinque coërcetur vl-

*Templum
dæmonum.*

nis non admodum altis. Pertinent autem eæ vsque ad viã qua equitatur, quæ vtrinque à meridie ad septentrionem sectæ sunt, semitas excipientes. In eo autem sunt constructæ villæ & magnæ & paruæ, continentes iis qui sunt vtrinque montibus. Propter ipsas autem excelsi montis oras, est quidam vicus maximus & populo frequentissimus: vocabulo autem regionis eum vocant Teledã. in superiori autem parte lateris montis, est quidam saltus non admodum accliuus, sed qui modicè inclinatur, spectans ad illum campum & ventum austerū. In eo, philosophiæ gymnasium exstruxit quidam Ammianus, vir qui cum multis quidem aliis virtutibus esset clarus, tū summa modestia superabat alios. Hoc autē satis est argumēti. Etenim cū ad doctrinã, nō solum suis sodalibus, sed vel bis totidē aliis posset sufficere, sæpe ad magnū accurrebat Eusebium, rogans & supplicās vt is esse vellet adiutor, pædotriba & magister eius palæstræ quã fundauerat. Aberat autem viginti quinque stadiis, in quodã valde paruo habitaculo, & quod nec fenestras quidem habebat, inclusus. Eum autem ad hanc virtutem deduxerat Martianus, eius quidem patruus, fidelis autem Dei seruus. Sufficit enim hoc dicere, cū etiam magnum Mosem hoc cognomine honorarit Dominus. Hic Martianus cum diuinum gustasset amorem, noluit solus frui bonis: sed multos etiã fecit alios in amore socios. Venatus est autē & magnum Eusebium, & eius fratrem qui in vita verè quoque erat frater. Non existimauit enim rationi esse consentaneum, vt eos quidem qui ad eum nihil attinebant venaretur ad virtutem, fratres autem

Teledã.

*Φροντιστή-
ρια.
Philosophiæ
monasticæ
exercitium.*

*Martianus
Eusebii pa-
trius.*

non itidem. Hos ergo ambos cum in parua inclusisset domūcula, eos euangelicam vitæ docebat rationem. Sed fratrem quidem morbus inuadens, illum cursum interrupit: morbum mors autem est consecuta. Nam cum paucis diebus vixisset postquā illinc est egressus, vitæ finem accepit. Permansit autē magnus Eusebius toto tempore vitæ patruī, neque cum vllō loquens, neque lucem intuens, sed perpetuō inclusus: & post illius mortem hanc vitam est amplexus, donec admirabilis ille Ammianus, ei multis delinito precibus persuasit. Dic enim mihi, ad illū dicebat, ô optime, Cui nam placere existimans, laboriosam hanc fordidamque & squallidam vitam es persecutus? Cum autem, vt par est, is vtique dixisset, Deo qui est virtutis legislator & magister. Quoniam ergo eum amas inquit

Ammianus Ammianus, ego tibi modum ostendam, per quem & amorem magis accēdes, & ei quem amas seruiēs. Nā quōd omnis tua cura & industria in teipsum conuertatur, non effugiet, vt sentio, crimen nimij in te ipsum amoris. Lex enim diuina iubet proximū amare vt teipsum. Multos autem opum fumere participes hoc est proprium veri muneris charitatis. Hāc autem

An nosmet amare debeamus.
Rom. 13.

diuinus Paulus appellauit legis plenitudinem. Rursus quoque clamat. Totā lex & prophetā in hoc sermone in summam rediguntur, nempe, Diliges proximum

Galat. 5.

tuum sicut teipsum. Porrō autē Dominus quoque in facris euāgeliis, Petro qui confessus est eū amare plus aliis, præcepit pascere oves suas. Eos autē qui hoc nō fecerūt reprehendēs, clamat per prophetam: ô pastores, Non seipfos pastores pascunt, non oves? Et ideo

Ioan. 21.

Ezech. 34.

magnum quoque Eliam qui hanc vitam persequebatur, iussit versari in medio impiorum: & secundum Eliam, tantopere celebratum Ioannem, qui amplectebatur solitudinem, transmisit ad ripas Iordanis, illic baptizare iubens & prædicare. Quoniā ergo tu quoque es Dei qui te fecit ardens amator, multos quoque tecum alios effice amatores. Hoc enim est valde gratum communi Domino. Propterea Ezechielē quoque appellauit speculatorem, & peccatoribus iussit testificari: & Ionam iussit currere Niniem: & nolentem transmisit in vinculis. Cum hæc diceret & similia, diuinum virum mansuefecit, & voluntario illo effosso carcere, eduxit & abduxit, & suorum sodalium ei curam tradidit. Ego autem nescio vtrum plus admirer, huiusne moderationem, an illius obedientiam, & quōd ab eo sit persuasus. Is enim fugiebat principatum, & magis volebat esse ex iis qui parebant, vt qui præfecturæ formidaret periculum: & magnus Eusebius auersabatur quidem cum pluribus conuersationem, cessit tamen, & captus retibus charitatis, suscepit curam gregis, & duxit chorū: nō multis verbis opus habens ad docendum. Sufficiebat enim vel solus aspectus, vt vel longè tardissimum celerem efficeret ad cursum virtutis. Dicunt autem qui viderunt, eum semper habuisse grauem vultum, & qui poterat timorem afferre spectantibus. Cibum autem ipse quidem capiebat tertio & quarto quoque die. Iis autem qui secū habitabāt iubebat vesci alternis diebus. Præcipiebat autem cum Deo assiduè colloqui, & nullum tempus relinquere vacuum ab hac operatione: sed

Elyas & Ioannes Baptistæ principes vitæ monastica.

Casus.

communiter quidem præfinita exequi officia: partes autem diei quæ intercedunt, vnumquenque per se, vel sub aliqua vmbra arboris, vel propter petrâ aliquâ vel vbiçûque quiesceret aliquis, vel stâtê, vel humi iacentê, rogare Dominû, & petere salutem. Ita autem vnâ-quanque ex partibus corporis edocuit virtutem, vt illa faceret quæ sola permittit ratio. Vt autem hoc reddam manifestum omnibus, mentionem faciam vnus eius narrationis. Sedebat super quandam petram ipse & Ammianus ille admirabilis: & diuinorum euangeliorum historiam, alter quidem legebat: alter verò eorum quæ erant obscuriora explicabat sententiam. Cùm autem quidâ Agricola in subiecto campo terram colerent, ad hanc cõtemplationem magnus tractus est Eusebius. Cùm autem diuinus Ammianus legisset locum euangelicum, sciscitaretur autem interpretationem, iussit magnus Eusebius vt repeteret lectionem. Cùm is autem dixisset, *lis qui arant forte delectatus, minimè exaudiisti, vt est verisimile: suis deinceps oculis legem tulit, vt neq; campum illum vnquâ cõtemplarentur, neq; cœlesti pulchritudine, & chori astrorum aspectu fruerentur: sed angustissima vtens semita, cuius mensuram aiunt fuisse vnus palmi, ferè te ad oratorium, extra eâ deinceps egredi non est passus. Dicunt autem eû plusquâ quadraginta annis vixisse post hâc legem. Vt autem cû animi sui sententia, ad hæc quoque eum traheret aliqua necessitas, cum lumbos zona ferrea alligasset, & grauissimû collare collo imposuisset, aliquo alio ferro coniunxit zonam collari qui erat collo impositus: vt hoc modo inclinatus, co-*

*Ne oculos
concupiscerent.*

Zona ferrea.

naretur assidue in terrâ despicere. Has ipse de se exigit pœnas: quòd illos esset contemplatus Agricolas. Hoc autem & multi quidem alij me docuerunt ex iis qui illum nouerunt, & res eius optimè sciuerunt, narravit autem senex quoque magnus Acacius, cuius prius quoque meminimus in aliis narrationibus. Dixit autem se eum quoque aliquâdo interrogasse cùm eum sic vidisset incuruatum, Quânam capiens utilitatem, neque cœlum patiatur aspicere, neque campum illum subiectum contemplari: neque ex angusta illa via egredi: eum autem dixisse se hæc moliri aduersus maligni dēmonis machinationes. Nam ne, inquit, de magnis bellum gerat, conans auferre temperantiam & iustitiam, & iram armans, & cupiditatē accendens, & vt fastu efferat & superbiam intumescam efficiens, & quæcunque aduersus eam machinatur animam, conor hostem ad hæc parua traducere: in quibus etiam si vicerit, non magnum affert detrimentû: etsi victus fuerit, euadit magis ridiculus, vt qui ne in paruis quidem possit auadere superior. Quoniâ ergo noui hoc bellum minus periculosum, nō valde enim feritur qui in his damni aliquid accipit: Quod enim damnum est vel videre campum, vel in cœlum oculos attollere, ad hoc me genus pugnæ transtuli. In hac enim me nec ferire potest nec perimere. Non sunt enim hæc iacula letifera, vt quæ illis ferreis careant aculeis. Hæc se audiuisse dixit magnus Acacius, eiûsque se admiratum esse sapientiam, virtutemque bellicâ & experientiam. Quamobrem hoc quoq; narrabat eis qui talia discere cupiebant, vt & admirabile & dignû

Acacius.

Pugna spiritalis.

De Iuliano

quod mandetur memoriae. Hæc eius gloria cum in partes omnes vndique peruaderet, ad se attraxit omnes virtutis amatores. Venerunt autem diuinissimi quoque Iuliani, senis, cuius prius persecuti sumus narrationem, qui optimi gregis erant perfecti. Postquam enim vir ille diuinus, sine vitæ accepto, migravit ad vitam supernam, ad magnum accurrerunt Eusebium, melius esse rati rectè regi quàm regere & præesse. Iacobi autem, cuius prius quoque iam memini, cum summatim eius ostendi virtutem, nunc quoque euidentis argumentum ostendam summæ eius philosophiæ. Postquam illè diuinus hinc excedens Eusebius, iussit eum præesse gregi, & recusans curationem, non persuasit cupientibus eum hæc curam suscipere, abiit ad alium gregem, malens pasci quàm pascere, & cum plurimo tempore superuixisset, hanc vitam sic finiit. Suscipit itaque illam præfecturam Agrippa, vir qui & multis aliis ornatus erat bonis, præcipuè autem puritate animæ: per quam & diuinæ pulchritudinis visionem assiduè apprehendens, & illius amoris igne accensus, irrigabat genas perpetuis lachrymis. Cum is autem longo tempore electum illum & diuinum gregem rectè pauisset, deinde è vita excessisset, Dauides ille diuinus cuius aspectu mihi quoque frui contigit, suscepit præfecturam: vir qui re vera, ex diuini apostoli sententia, mortificauerat membra quæ sunt super terram. Tantum enim fructum coeperat ex doctrina magni Eusebij, vt quadraginta quinque annos egerit in illo monasterio, absque ira autem & excandescencia toto hoc tempore vixerit. Neque enim post susce-

*Iacobi probitas.**Iacobus recusar præfecturam.**Agrippa enim suscepit.**De Dauid.*

ptam

ptam præfecturam vidit eum aliquis superatū ab hac animi perturbatione, idque cum, vt est verisimile, essent innumerabilia quæ cogent. Centum enim & quinquaginta viri pascebantur ab illius dextera: aliqui quidem summa & excellenti virtute, & eam quæ est in celo viuendi rationem imitantes: alij verò qui pœnas tunc primum producebant, & terram transilire & superuolare docebantur. Et tamen cum tot essent qui diuina docebantur, & aliquid, vt est verisimile, delinquerent, neque enim facile fieri potest, vt qui modo ventitat, rectè se gerat in omnibus, mansit immobilis vir ille diuinus tanquam incorporeus, nulla eum occasione ad iram excitante. Hoc enim non solum accepi ex auditione, sed etiam ex experientia. Nam cum aliquando desiderassem videre illum gregem, accessi habens etiam alios socios peregrinationis, qui eandem quam ego vitam amplectebantur. Toto ergo tempore hebdomadæ apud illum virum diuinum degentes, vidimus eius vultum nullam accipere mutationem, neque nunc quidem hilaritate diffundi, nunc verò tristitia contrahi. Oculos quoque similiter, non aliquando quidem truces ac toruos, nunc verò lætos: sed in eodem semper honesti decorique tenore permanere. Hi autem sufficiunt ad arguendum animi tranquillitatem. Sed verisimile est existimaturum quempiam eum talem esse visum, quod nulla eum moueret causa. Quamobrè necesse habeo eiusmodi quid narrare quod accidit, cum nos illic essemus. Sederat apud nos vir ille diuinus de philosophia agitans rationes, & quærens id quod est summum euangelicæ vitæ in-

*Centum & quinquaginta viri sub Dauid.**Dauidis vultus minime mutatur.*

PP

*Publius
Rom. sacer-
dos.*

*Dauid ne
quidem ac-
cepta contra
melius mu-
tatur.*

Psal. 4.

*Dies iræ
præfixa.*

stitutionis. Cùm autem intercessissent eiusmodi ser-
mones, Publius quidam, genere quidem Romanus,
moribus autem ipse quoque admirandus, & sacerdo-
tij honore præditus, & illius præfecturæ secundas
partes obtinēs, ad nos venit aduersus diuinum Dau-
dem vociferans, & commune damnum illam nomi-
nans lenitatem: & omnibus perniciem afferre dicens
eius mansuetudinem, & amientiam, non modestiam,
summam illam vocās philosophiam. Ille autē habens
animam veluti adamantinam, accipiebat quidem ra-
tiones, non pungebatur autem ab iis quæ sua natura
solent pungere: vultum itaque non mutauit, neq; ser-
monem institutum dimisit, sed cū leni voce & verbis
serenitatem animæ significantibus, illum senem dimi-
sit: rogans eum vt eorum quæ vellet curam gereret.
Ego autem cū his qui ad nos venerunt loquor, vt vi-
des, existimans necessarium esse hoc officium. Quo-
modo ostenderit quis melius animi lenitatem? Eum
enim cui illa credita erat præfectura, talem accepisse
contumeliam ab eo qui tenebat secundas partes, præ-
sentibus maximè hospitibus, & maledictum audien-
tibus, & nullam iræ subiisse tempestatem & perturba-
tionem, quam nō magni & excelsi animi virtutem su-
perat & fortitudinem? Ac diuinus quidem Apostolus
considerans humanæ naturę imbecillitatem, eam quā
fert legem, natura metiens. Irascimini, inquit, & nolite
peccare. Sol non occidat super iracundiam vestrā.
Nam cū iræ quidem motus nosset esse naturæ, non
nostri arbitrij, noluit lege ea decernere, quę essent la-
boriosa, & fortè etiam eiusmodi vt fieri non possent:

sed motui naturæ & iræ tempestatem mensuram præfi-
nit, diem iubens rationi vt eam compescat, & tanquā
freno reprimat, & non concedat progredi vltra ter-
minos. Vir autē hic diuinus vltra leges quæ latæ sunt
decertauit, & septa transfiliit: non vsque ad vesperam
iræ vt moueretur cōcedens, sed nec vt moueatur qui-
dem omnino permittens. Talem fructum accepit is
ex magni Eusebij consuetudine. Vidi multos quoque
alios in illo tugurio qui huius philosophiæ amatores
fuerunt & æmulatores: alios quidem in flore corporis:
alios verò etiam in profunda senectute. Nam cū
plus quam nonaginta annis vixissent homines, labo-
riosam vitam noluerunt relinquere, sed insignes fue-
re obeuntes labores iuuentutis, noctu quidem & in-
terdiu Deum laudantes, & sacra illa officia peragen-
tes: post duos autem dies vilibus illis cibis vescen-
tes. Vt alios autem prætermittam, qui non sunt qui-
dem digni qui sileantur, sed vel maximè laudentur &
celebrentur: sed ne sit prolixior quàm par sit narra-
tio, in diuino illo loco fuit quidam, eum autem Ab-
batem nominant, qui ex Ismaelitide quidem radi-
ce germinauit, non fuit autem eiectus à domo A-
brahæ, vt is à quo genus duxerat, sed paternæ hæ-
reditatis fuit cum Isaac particeps, vel potius ipsum
rapuit regnum cœlorum. Is Monasticæ huius ex-
ercitationis protinus attigit institutionem apud
quendam qui tunc habitabat solitudinem, qui eos
optimè exercebat: erat autem ei nomen Maro-
fas. Post hæc autem ille quoque aliis præesse desi-
stens, ad hunc cum Abbate venit gregem: nec paruo

*Marofas
Abbas.*

vixit tempore, sed cum præclarè decertasset, & insignis euassisset, excessit ex hac vita. Hic autem illic quidem fuit continuos triginta & octo annos: ita autem desiderabat laborare, vt qui modò laborare cœpisset. Nam in hodiernum vsque diem pedes nunquam textit calceis. Cum est autem frigus, in vmbra sedens, in æstu solem suscipit, & tanquam auram Zephyri, quæ ex eo procedit flammam excipit. Toto autem hoc tempore, aquam potare non passus est: non illa comedens quæ iis exhibentur, qui ad non bibendū se exercent: solent enim ij vti cibis humidioribus: sed iis vtens cibis quibus alij. Verùm pauca comedēs & quæ modicas ei vires afferunt, existimat vsum aquæ superuacaneū. Graui autem ferro lumbos succinctus, rarò quidem sedet, noctu autē, & maiori parte diei vel stās vel flectens genua, offert Domino officiū precationis: vsu autem accubitus se omnino priuauit. Nemo enim in hodiernum vsque diem eum vidit cubantē. Quinetiam cum est chori renunciatus Coryphæus, & ei contingit vt præsit, totum hunc laborem fert prompto & alacri animo, se iis qui eius parent imperio præbens exemplar philosophiæ. Tales victoria insignes decertatores, diuinus Eusebius, horum certaminum pædotriba & exercitator, exhibuit Domino: & cum alios quoque plurimos tales fecisset, eos trāsmisit doctores ad alias palæstras, qui totū illum sacrū montem diuinis his pratis & suauem emittentibus odorem impleuere. Nam cum ad orientem ab initio fuisset illius exercitationis monasticæ tugurium, licet videre eius philosophiæ foetus ad occidentem & me-

Vitus.

Feruum circa lumbos.

Situs tugurij.

radiem, veluti quasdam stellas circa lunam choros ducentes: & alios quidem græca, alios vero eius in qua habitant regionis voce, laudantes creatorem. Sed enim id aggredior quod fieri non potest, cupiens omnia persequi quæ à diuina illa anima rectè gesta fuerunt. Huic ergo narrationi finis est imponendus, & ad aliam conuertenda est oratio, & rursus est addenda quæ illinc capitur vtilitas, cum horum magnorum virorum benedictionis rogauerimus vt simus participes.

P V B L I V S.

Eodem tempore fuit quidam Publius, & propter formam spectatu dignus, & anima præditus quæ formæ conueniebat, vel potius eam ostendens corpore magis admirabilem. Is ex senatorio quidem ordine ducens originem, natus autem ex ciuitate apud quam Xerxes ille, cuius vbique est fama tam celebris, in Græciam bellum gerens, & volēs exercitu fluuium Euphratem transmittere, nauium congregata multitudine, iisdem inter se coniunctis, & hoc modo super fluuium ponte constructo locum zeugma, id est coniuncturam appellauit, & ciuitatē ex re denominauit. Ex ea ortus & ex tali genere procreatus, altum locum occupat, qui distabat ab vrbe non plus quam triginta stadiis. In eo cum quandam paruā extruxisset domunculā, omnia quidem vendidit quæ à patre acceperat, domum inquam, & possessiones, & greges, & vestes, vasæque argentea & ænea, & si quid erat cum his aliud. Et cum ex lege diuina ea diuisisset iis quibus oportebat, & se ab omni cura terrena liberasset, illam vnam

*v.
Huius meminuit Theodoretus in quarto libro historia ecclesiastica*

Publius ex ordine senatorio.

curam suscepit pro omnibus, nempe vt ei seruiret qui eum vocauerat: eamque animo perperuò versabat: noctu diúque considerans & perscrutans quemadmodum eam auget. Ea de causâ ei labor crescebat quotidie, ampliôrque & intensior euadebat in dies, eratque dulcis & voluptate plenus, & procul expellens satietatem. Nemo enim eum vnquam vidit quiescentem vel minima parte diei, sed psalmodiâ quidê oratio: orationem verò psalmodia: vtrunque autem excipiebat diuinorum eloquiorum lectio. Deinde cura hospitem venientium. Deindê fiebat aliquid ex operibus necessariis. In his vitæ iter ingrediens, & iis qui imitari volebant exemplar virtutis propositus, veluti quædam avis canora, multos sui generis in hæc retia coegit salutaria. Cæterû ab initio quidem nullum habere passus est qui secû habitaret: sed paruas domunculas foribus vicinas ædificans, vnumquenque ex iis qui conueniebant, iubebat per se degere: domunculas sæpe inuisens, & perscrutans, nunquid præter vsum habeant repositum. Aiunt autem eum quoque accedentem ad trutinâ, panis mensuram diligèter perpendisse. & si quâdo inuenisset plus quàm esset definitum ægrè tulisse, & eos qui hoc faciebant, Helluones appellasse. Iubebat enim neque comedentes, neque bibentes expectare satietatem: sed tantum capere quantum satis esset ad tuendam vitam corporis: si quando autem vidisset etiam farinam opertam furfure, eos qui hoc fecissent impetebat maledictis, vt qui Sybariticis fruerentur delitiis. Porrò autem noctu quoque ex im-

Hospes.

*Panis ad
trutinam.*

*Observat
monachos
noctu an o-
rent.*

prouiso veniens ad hostium vniuscuiusque, si aliquem quidem inuenisset vigilâtem & Deum laudantem, recedebat tacitus. Si quem autem sensisset dormientem manu quidem pulsabat hostium, lingua autem in eum qui iacebat inuehebatur, vt qui corpus plusquàm oporteret curaret. Hunc eius laborem cum considerassent aliqui qui erant eiusdem animi & sententiæ, ad eum retulerunt vt omnibus vnum edificaret habitaculû. Eos enim qui nunc sunt dispersi exactius & accuratius dixerunt esse victuros, eumque fore liberum à magna parte sollicitudinis. Probauit consilium vir sapientissimus, & cum omnes simul coegisset, & paruas illas diruisset domunculas, iis autem qui erant congregati vnam ædificasset, rogauit vt simul viuerent & se inuicem incitarent: & hic quidem illius imitaretur mansuetudinem, ille verò mansuetudinem huius zelo temperaret. & alius communicans vigilias, acciperet ieiunij disciplinam. Sic enim, inquit, à nobis inuicem id quod deest sumentes, perfectissimam efficiemus virtutem. Quomodo enim in foris ciuitatum, alius quidem vendit panes, alius verò olera: alius habet vestes venales, alius est opifex calceorum: à se autem inuicem id quo opus habent comparantes, vitam agunt iucundiolem. Qui dat enim vestem, pro ea accipit calceos. Qui autem emit olus, vendit panem. Ita nos oportet inuicem permutare virtutis partes pretiosissimas. Cum qui erant eiusdem linguæ sic exercerentur & decertarent, & Græca voce Deum laudarent, huius vitæ instituti eos quoque cepit amor qui lingua uteban-

*Communi-
catio bono-
rum spiri-
tualium.*

*In monastē-
ca non om-
nes omnia.*

tur illius regionis: & concurrentes aliqui supplicarūt vt ipsi quoque in eorum gregem admitterentur, & essent eius sacrae doctrinae participes. Concessit autem quod postulabāt, legis memor Dominicae quam sanctis tulit Apostolis, dicens, Euntes docete omnes gentes: & cum iuxta illud habitaculum aedificasset alterum, eos iussit illic degere, diuino quodam templo constructo, in quod iussit & hos & illos conuenire, incipiente die & desinente: vt vespertinos & matutinos hymnos Deo simul offerrent: in duas quidem diuisi partes, & singuli sua voce vtentes, ex successione autem canticum emittentes. Permanisit autem in hodiernum vsque diem forma eius instituti: & neque tempus, quod haec talia mutare vehementer cōtendit: nec ij qui illius succedere curationi, vt ex limitibus ab eo positis aliquid euerterent, in animum induxere: idque cum non duo vel tres, sed plures hanc suscepissent praefecturam. Cum primum enim ille certamen impleisset, & ex hac vita excessisset, & in illam omnimolestia vacuam commigrasset, Theotecnus quidem Graecae linguae: Aptonius verò Syriae praefecturam accepere, qui vtrique illius virtutis fuerunt quaedam animatae statuae & imagines. Neque enim iis qui simul cōueniebant, neque iis qui extrinsecus adueniebant concesserunt mortis illius vllum habere sensum, vt qui illius vitae instituti seipso expressa ostenderent simulachra. Sed diuinus quidē Theotecnus cum non diu vixisset, tradidit Theodoto praefecturam. Aptonius autem gregis curam gerens, & iam latis legibus regens, permanisit diutissime. Hic autem Theodotus

Templū constructum.

Hymni matutini & vespertini.

Theotecnus Aptonius

Theodotus.

ex

ex Armenia oriundus, cum exercitationis Monasticae illum vidisset ordinem, primū quidem erat in numero eorum qui magno parebant gubernanti Theotecno. Postquam autem, vt dixi, ille quidē excessit, ipse verò accepit praefecturā, eam tot bonis exornauit, vt fama sua priores propemodum obscurarit. Sic enim eū diuinū affecit desiderium, eūque tot & talibus cōfauit iaculis, vt noctu & interdiu effunderet lachrymas cōpunctionis. Erat autē spiritali tanta plenus gratia, vt eo quidem precāte, silerent quidē omnes qui aderant, solū autem illa sacra verba audirēt, illam auditionē planē ducentes bonam precationē. Quis enim fuisset adeò adamantinus, vt illis verbis tam sincerē & germanē prolatis, non demulceretur anima, illiusque duritiem emolliret & inobedientiam, & ad Deo seruiendum traduceret? Cum sic opes augeter quotidie, & sacros ostenderet thesauros talibus bonis plenos, postquā viginti quinque annis gregem pauisset, adiectus est ad patres suos, vt diuina dicit scriptura, in bona eductus senectute, traditis habenis Theotecno, qui erat quidē genere fratris filius, frater autem moribus. Iam verò diuinus quoque Aptonius, cum plus quàm quadraginta annis choro praefuisset, sedē accepit pontificalem: nec cilicium mutans monasticum, nec tunicam contextam ex pellibus caprarum. Iisdem quoque cibis vescabatur quibus antequam fieret Antistes. Quinetiam quamuis hanc accepisset curationem, nihilofecius curam gerebat illius gregis, illic multos dies versans: & nunc quidem componens eorum lites qui inter se depugnabāt: nunc verò eis consulens

QQ

*Vitandum
otium, alio-
quin etiam
pralato ma-
chanicis v-
tendum.*

qui eranr aliqua affecti iniuria: aliquando autem sorda-
libus diuinam porrigēs admonitionem. Faciebat au-
tem vnum quodque horum, vel contuberinalium in-
terim pannos consuens, vel lentem expurgans, vel
frumentum abluens, vel aliquid tractās ex iis quæ sunt
eiufmodi. Cū sic autem & pontificatum ornasset, &
virtutem auxisset, ad diuinum portum peruenit cum
suis oneribus. Et quid opus est dicere de Theoteco,
& qui illū secutus est Gregorio, quorum ille quidem
à iuuentute omne genus virtutis collegit, & cū ma-
iorum suorum excessit gloria: hic verò adhuc in ho-
diernum diem laborat in profunda senectute, perin-
de ac si esset in florenti ætate. Perstitit enim vitis fru-
ctum perpetuò recusans, & nec aceto quidē vel vuis
passis vescens: non lacte, neque recenti, nec cōcreto.
Sic enim viuere magnus constituit Publius. Olei au-
tem vsum agnoscentes in tempore Pētecostes, rursus
recusant eius esse participes. Hæc didici de magno
Publio, quæ partim quidē audita accepi, partim verò
ab ipsis eius quos vidi discipulis, in quibus agnoui præ-
ceptorē, & per Athletas didici Pædotribam. Iniquum
igitur esse arbitratus, & hominis mundi, tantam vtili-
tatem mandare silentio, iis qui ignorabānt proposui
narrationem, vt & ipsi vtilitatem hinc accipiant pro-
curās, & memoriæ hinc mihi quæstum parans. Audiui
enim dominum dicentem, Quicumque me confitebi-
tur coram hominibus, ego quoque eum confitebor
coram patre meo qui est in cœlis: & plane scio quòd
si eorū memoriā fecero in hominibus, futurum sit vt
ij quoque mei meminerint apud Deum vniuersorum.

SYMEONES PRISCVS.

SYmeonē autem senem si quis de industria præter-
smiserit, & illius philosophiæ memoriam mandarit
obliuioni, iniuriæ & inuidiæ meritò accusari poterit,
vt qui neque velit laudare ea quæ sunt laude digna, nec
iis qui volūt iuuari ea proponat quæ sunt maximè ex-
petenda. Ego autem non ne accuser metuēs, sed lau-
dibus eum prosequi cupiens, narrabo eius vitæ insti-
tutum. Is enim longissimo tempore perpetuò vitam
amplexus est solitariam: & in parua quadam spelunca
vitam agens, nulla humana fruebatur anima, solus e-
nim viuere statuerat: sed cum Deo vniuersorum lo-
quebatur assiduè. Herbas autem esculentas sibi para-
bat cibum. Ea in re eius labor consumebatur. A su-
peris autem tam copiosa donatus erat gratia, vt vel
fortissimis & audacissimis imperaret bestiis. Id què
non solis piis sed etiam incredulis Iudæis euasit ma-
nifestum. Nam cū propter aliquod eorum nego-
tium, peregrè proficisceretur ad aliquod castellum
quod situm erat extra eam quæ à nostri imperij ho-
minibus habitatur regionem, ortus autem esset im-
ber vehemens & ingruisset tempestas, à via quidem
aberrarunt, vt qui anteriora videre non possent:
errabant autem per solitudinem, nec vicum, nec an-
trum, nec viatorern aliquem inuenientes. Cū au-
tem in medio continente non secus vndis iactaren-
tur, quàm ij qui nauigant in mediis fluctibus, diui-
ni Symeonis antrum, veluti quendam portum, ani-
maduertere: sordidūque & squallidum hominem
aspexere, & quandam exiguum ex pelle caprina con-
textum pannum habentem super humeros. Ille

v i
Huius me-
mini Theo-
doretus li-
bro quarto
historia ec-
clesiastica.

Spelunca.

Imperare fe-
ris.

Sordidus
vir tamen
sæctissimus

autem simul ac vidit, eos salutavit, erat enim affabilis, & eos rogavit causam aduentus. Postquam autem narrarunt quod euenerat, & rogarunt ut eos doceret viam quæ ducit ad castellum. Manete, inquit, statim vobis dabo duces qui ostendent viam quam desideratis. Atque ij quidem tunc parebant & quiescebant. Ipsi autem sedentibus, venere duo leones, non toruè & ferociter intuentes, sed veluti cuidam Domino blandientes, & seruitutem significantes. His annuens, iussit ut hospites ducerent, & ad viam à qua aberrarent, reducerent. Nemo autem existimet fabulosam esse narrationem, cum communes veritatis hostes habeat ferentes veritati testimonium. Ipsi enim consecuti beneficium, hoc perpetuò cecinerunt: hocque mihi hic magnus narrauit Iacobus, dicens se affuisse, cum hoc beato Maroni narrarent miraculum. Qui ergo non credit Iudæis de Christianorum miraculis ferentibus testimonium, quomodo non meritò vocabitur Iudæis infidelior? si quidem illi, etiamsi in nos sint infesto animo, vincuntur tamen, & cedunt radiis veritatis: hi autem cum existimentur beneuoli, & fidei focij, ne inimicis quidem credunt virtutem gratiæ testantibus. Cum autem vir ille diuinus talibus miraculis euassisset insignis, & multos attraxisset ex vicinis barbaris, illam autem habitant solitudinem qui de Ismaële generis auctore gloriantur, quietis amans: necesse habuit speluncam relinquere. Et cum multum viæ confecisset, peruenit ad montem qui Amanus dicitur: idque quod olim erat refertum infania multorum deorum cultus, mul-

*Leones viæ
duces dati.*

*Iudæis in-
notuit Sy-
monis san-
ctitas.*

*Mōs Ama-
nus.*

tis iisque omnis generis excoluit miraculis, pietatēque ac veram religionem quæ nunc in eo exercetur plantauit. Sed omnia quidem narrare valde esset laboriosum, & fortasse id à me præstari minimè posset. Cum itaque vnus mentionem fecero, & veluti quandam formam characterēq; Apostolici & Prophetici miraculi adiecero, relinquam deinceps cogitandum lectoribus cuiusnam gratiæ virtutem acceperit. Æstas erat, & messis, & ferebantur manipuli in areas. Vir autem quidam qui non erat suis iustis contentus laboribus, sed aliena concupiscebatur, proximi quidem aliquot sustulerat manipulos, per hæc autem conabatur suum augere cumulum: sed statim in eius furtum diuina lata est sententia: cecidit fulmē, & exusta est area. Miser autē ille ad Dei hominem accessit, qui nō procul à vico fixerat tabernaculum: & quæ sibi quidem acciderat, narrabat calamitatem, furtū autem celare conabatur. Postquam autem vera dicere iussus, est furtum confessus: coëgit enim casus vel se ipsum accusare, iussit vir ille diuinus, ut corrigendo iniuriam, faceret ut liberaretur à poena. Nam si tu, inquit, illos solueris manipulos, extinguetur ille ignis immissus diuinitus: licebat ergo videre illum quidem currentem, & spicas furto surreptas ei cui facta fuerat iniuria offerentem, pyram autem absque igne extinctam, diuini senis oratione & intercessione. Hoc non incolas solū impleuit terrore, sed etiam totam ciuitatem, Antiochiam inquam: erat enim in eius ditione hoc prædium, coëgit illuc currere: & vnum quidem petere ut liberaretur à rabie Dæmoniaca, alium

*Fulmen in
eius aream
quialterius
manipulos
furatus fue-
rat.*

*Restituentē
miserat
ignis.*

*Curatur va-
rij modi.*

*Mons Si-
næus.*

*Tantū ma-
nus è longè
videntur
monachi
cuiusdam.*

Hierem. 23

verò, vt quiesceret febris: alium autem vt alicuius ex
iis quæ eum cruciabant cōsequeretur remedium. Ille
verò, iis qui inhabitabant, gratiæ fluente abundè sup-
peditabat. Sed rursus amans quietis, ad montem Si-
næum voluit peruenire. Cùm autem id sciuisent mul-
ti viri optimi, & qui eandem persequebantur philo-
sophiam, simul accurrerunt cupientes esse socij eius
peregrinationis. Cùm autem iter multorum dierum
confecissent, postquam in Sodomiticam venerūt so-
litudinem, vidēt eminus viri manus quæ ex profundo
in altum expandebantur. Et primum quidē existima-
bant esse fraudem Dæmonis. Cùm autem maiore a-
nimi studio precati essent, & eadem vidissent, profecti
sunt ad illum locum: & vidēt quidem paruam fossam,
qualem solent vulpes facere, cùm quæ subeant lustra
machinantur: nullū autem illi videbant illic apparere.
Nam cùm sensisset pedum strepitus qui manus habe-
bat extēsas, se intra cauernam occultauerat. Diu autē
moratus senex, valde rogauit vt se illi ostēderet si hu-
manam habeat naturam, & non sit impostor aliquis
Dæmon, qui se in has formas verteret. Etenim nos
quoque, inquit, persequentes vitam monasticæ exer-
citationis, & quietem amantes, erramus per hanc so-
litudinem, in monte Sina cupientes adorare Deum
vniuersorum, in quo cùm Mosi seruo suo apparuisset,
dedit legum tabulas: non quòd existimemus Deum
esse loco circumscriptum: audimus enim eum dicen-
tem, Coelum & terram ego impleo, inquit Dominus:
& quòd contineat terræ ambitum, & eos qui in ea ha-
bitant tanquam locustas: sed quoniam ij qui ardentè

amant, non solum eos qui amantur desiderant, sed e-
tiam illis loca grata sunt & iucunda in quibus ij fuere
præfentes, & in quibus versati sunt. Hæc & similia cū
diceret senex, ex cauerna se ostendit homo qui in ea
delitescerat. Erat autem aspectu quidem agrestis, co-
ma squallida, facie corrugata, ex siccatis & planè exā-
guibus omnibus membris corporis. Erat autem sor-
didis quibusdam pannis indutus; ex consutis pal-
marum germinibus. Cùm autem salutasset, & pacis
verbum dedisset, rogauit quinam essent, & vnde ve-
nissent, & quòd abirent. Ille autem & ad rogatum re-
spondit, & vicissim rogauit vndēnam venisset, & cur
hanc vitam delegisset. Idem, inquit, me quoque cœ-
perat desiderium eò eundi quòd vos nuncitis. Huius
autem vitæ socium assumpseram quendam meum fa-
miliarem, & qui erat eiusdem animi & sententiæ, &
cui erat idem qui mihi scopus & institutum. Adege-
ramus autem nos inuicem iureiurando, ne morte
quidem nostram seiungere consuetudinem. Accidit
ergo vt is quidem in peregrinatione vitæ finem hic
acciperet. Ego autem iureiurando astrictus, & fos-
sam feci vt potui, & corpus tradidi sepulturæ: pro-
pter hoc verò monimētum effosso mihi altero sepul-
chro, vitæ finem hîc expecto, & Domino consuetum
offerō officium. Vescor autem dactylis, quos ad me
afferre ab eo qui curam gerit iussus est quidam frater.
Hæc cùm sic dicerentur, leo procul apparuit. Cùm
autem ij qui erant cùm sene, animi angore & me-
tu cecidissent, sentiens is qui iacebat in cauerna, sur-
rexit, & leoni annuit, vt transfiret ad aliam partem.

*Describitur
senex
monachus.*

Is autem statim paruit & venit, botrum afferens datylorum. Deinde rursus abiit cum sibi fuisset permiffum, & procul à viris decumbens obdormiit. Cùm ergo dactylos diuiffet omnibus, & eorum precibus & psalmodiæ communicasset, & post finem matutini officij salutasset, eos dimisit nouitate spectaculi stupefactos. Siquis autem non habet fidem iis quæ dicta sunt, recordetur vitæ insignis Eliæ, & coruorum ministerij, qui manè quidem panem, vespere autem ei carnem perpetuò afferebant: vniuersorum enim effectori est facile, vt suis provideatur, omnem viam inuenire. Sic Ionam in ventre ceti trium dierum & noctiũ spatio conseruauit: & effecit vt leones in lacu Danielem obstupuerint, & vt ignis inanimus operaretur tãquam ratione præditus, & eos quidem qui erant intus illuminaret, eos autem qui erant foris vreret. Sed enim rem facio superuacaneam, qui ad probãdam Dei potentiam argumenta affero. Postquàm ergo peruenit in montem quem desiderabat, aiunt senem illum admirabilem, in illo loco in quo Moses dignus est habitus qui Deũ videret, (vidit autem vt videri potuit ab humana natura,) genua flexisse, & non prius surrexisse quàm vocem diuinam audiuerit, quæ illi significabat Domini beneuolentiam. Quoniam autem tota uertente hebdomada ita perpetuò fuerat inclinatus, & ne minimum quidem cibi sumpserat, iussit vox quæ ad eum facta est, vt ea sumeret quæ erant apposita, & prompto & alacri animo comederet. Cùm autem manum extendisset, & tria mala inuenisset, & ea comedisset, vt iusserat qui dederat: & ei plenæ restitu-

tæ

tæ sunt vires, & alacri, vt par erat, animo eos qui cum eo versabantur salutauit. Lætus ergo & hilaris reuersus est, vt qui & vocem diuinam exaudierat, & rursus comederat cibum à Deo datum. Reuersus autem, duo philosophiæ extruxit gymnasia: vnum quidem in vertice montis, de quo prius diximus: alterum autem infra, proter ipsas oras lateris montis. Cùm in utroque autem athletas virtutis congregasset, horum & illorum exercitator fuit & pædotriba. Et aduersarij docens insultus, & agonothetæ promittens beneuolentiam, & bono animo, non autem degeneri & pusillo esse iubens, & in suos quidem moderatione, in hostem autem animi magnitudine vt præcipiens, hæc docens, sic viuens, hæc miracula faciens, & splendorem omnis generis emittens, laboriosæ huius vitæ finem cepit, & migravit in eam quæ est senij & molestiæ expers, relicta gloria quæ extingui non potest, & memoria quæ manet in perpetuum. Huius benedictionem, cum is adhuc esset superstes, beata, atque ad deò ter beata, mater mea est consecuta, & sæpe mihi multa de eo narrauit. Ego autem nunc oro, vt quam dare potest, eius cõsequar intercessionem: & scio me consecuturum. Omnino enim dabit petitionem, imitans Domini benignitatem.

PALLADIVS.

Qui autem multorũ sermone celebratus est Palladius, & tempore ei fuit æqualis, & moribus similis, notusque & familiaris. Ad se enim, vt aiunt, inuicem ventitantes ex se inuicem capiebant vtilitatem, se mutuò prouocantes, & ad zelum Dei inci-

RR

Vita Eliæ
in signis.

Dei potentia
in ijs mu-
trièdis qui
carent ne-
cessariis.

Duo monas-
teria.

Inuocatio
sanctorũ.

VII.
Huius me-
minit Theo-
doretus in
libro 4. hi-
storia Ec-
clesiastica.

*Domūcula
vico proxima.*

tantes. Inclusus autem erat in quadam domuncula, quæ erat propinqua vico maximo & populo longè frequentissimo: est autem ei nomen Iemme. Ac de maxima quidem viri à cibo abstinentia seu ieiunio & inedia, vigiliisque, & oratione perpetua, dicere existimo esse superuacaneum. In his enim idem traxit iugum quod beatus Symeon. Miraculum autem quod in hodiernum vsque diem decantatur, ab illius autem voce & manu factum est, existimaui si narrarem facturum me operæpretium. In prædicto vico fit celeberrimus conuentus, qui vndique attrahit mercatores, & maiorem multitudinem quàm quæ possit numerari. In eo quidam mercator, iis quæ attulerat venditis, & auro coacto, noctu volebat recedere. Quidam autem homicida, qui aurum illic collectum aspexerat, cestro quodam & furore percitus, somnum quidem à ciliis depulit: obseruabat autem quando vir ille esset profecturus. Post galli autem cantum, ille quidem abibat securus: hic autem præueniens, cum quendam locum aptum insidiis occupasset, repentè adortus, eum & percussit & cædem fecit. Execrando autem facinori impium quoque aliud factum adiicit. Nam cum aurum cepisset, mortuum illud corpus proiecit ad ostium Palladij. Cum autem dies venisset, & fama peruasisset, & totus hominum conuentus de eo quod factum erat passim loqueretur, concurrerunt omnes, & effracto ostio, cædis factæ poenam exigere volebant à diuino Palladio: vnus autem ex iis qui hoc faciebant, erat is qui sua manu cædem fecerat. Cum ergo vir diuinus circumsideretur à tanta

Latro mercatorem occidit & auro vi positur.

multitudine, cœlum intuens, & mente cœlum superans, supplicauit Domino vt calumniæ mendacium refelleret, & veritatem quæ latebat ostenderet. Cum sic orasset, & iacentis manum prehédisset, Dic, inquit, ô adolescens, quis hanc tibi plagam intulit? Ostende quis hoc execrandum facinus admiserit: & libera innocentem ab hac improba calumnia. Sermonem autem sermo quidem est consecutus. Dexteræ autem homo etiam sedens, circumspeciebat quidem eos qui accedebant, digito autem ostendebat homicidam. Clamor sublatus est ab omnibus, & miraculum stupentibus, & calumniam quæ fuerat intentata desistentibus. Cum autem illum sceleratum exuissent, & gladium inuenerunt adhuc cruentum sanguine, & aurum illud quod cædis causam dederat. Diuinus autem Palladius cum prius fuisset admirabilis, hinc meritò euasit longè admirabilior. Sufficiebat enim miraculum ad viri ostendendam apud Deū fiduciam. Ex eodem autem ordine fuit etiam Abraames admirabilis, qui ædificauit quidem id quod vocatur Paratomon, virtutis autem splendores in omnem partem emisit. Quàm clara autem fuerit eius vita, testantur quæ post eius mortem fiunt miracula. Ex eius sepulchro in hodiernum vsque diem scaturiunt omnis generis morborum curationes. Huius autem sunt locupletes testes, qui eas abundè illinc per fidem hauriunt. Mihi autem quoque detur consequi auxilium, qui eorum memoria linguam sanctificauit.

Homicida diuinitus ostensus.

Abraames.

Reliquiarum miracula.

Intercessio sanctorum.

VIII.
Huius me-
minit Theo-
doretus in
quarto hi-
storia Ec-
clesiastica.

Aphraates
ex Persarū
Magorum
genere.

Monachus
barbarie
quidem vi-
ditur, sed in
communem
Ecclesiam v-
silitatem.

QVòd vna sit omnium hominum natura, & philo-
sophari sit facile volentibus, siue sint Græci, siue
barbari, ex multis quoque aliis scire est in promptu:
ad hoc autem apertè ostendendum sufficit vel solus
Aphraates. Is enim in Persis qui sunt iniustissimi, & na-
tus & educatus, & ortus ex talibus parentibus, & in
eorum legibus institutus, ad tantam peruenit virtutè,
vt eos qui ex piis nati fuerant, & piam doctrinam ab
ineunte ætate acceperant, obscurauerit. Primum enim
contempto genere, erat autem id clarum & illu-
stre, accurrit ad Dominum adorandum, maiores suos
imitatus Magos. Deinde sui generis hominum impie-
tatem abominatus, suæ prætulit alienā regionem. Et
cùm venisset Edessam, est autè ciuitas maxima & po-
pulo frequentissima, & quæ pietate insigniter exorna-
tur, cùm extra eius ambitus inuenisset domunculam,
& se in ea inclusisset, suæ curam gerebat animæ, velu-
ti quidam optimus agricola, vitiorum spinas excin-
dens radicitus, & diuinam expurgans segetem, &
maturos Euangelij fructus offerens domino. Illinc
venit Antiochiam, quæ ab hæretica procella graui-
ter circumsidebatur, vbi cùm ante ciuitatem, in
quoddam philosophiæ gymnasium diuertisset, &
Græcæ linguæ pauca verba didicisset, ad diuinos qui-
dem sermones audiendos traxit plurimos: vtens au-
tem lingua barbarie commixta, foetus proferebat
ingenij & intelligentiæ, ex gratia diuini spiritus ac-
cipiens hæc fluentia. Quis enim ex iis qui suam ia-
ctant eloquentiam, & supercilia contrahentes elatè

loquuntur & magnificè, & propter syllogismorum
laqueos inueniliter exultant, in erudita illa & barbara
voce fuit vnquam superior? Ratiocinationibus enim
ratiocinationes, & diuinis eloquiis philosophorum
vincebat rationes, cum magno Paulo clamans. Et si
imperitus sermone, nō tamen sciētia. Hoc autè modò
perpetuò ex Apostoli sentētia, deprimebat rationes,
& omnē altitudinem quæ extollitur aduersus Dei co-
gnitionem, & captiuabat omnem intelligentiam ad
Christi obedientiam. Licebat autem videre concur-
rentes eos qui gerebant magistratus, & qui erant re-
lati in aliquos militiae numeros, eosque qui manu sibi
victum comparabant, & vt semel dicam, & priuatos
& milites, & doctos, & literarum rudes, & pauperes,
& diuites: & alios quidem silentio accipiētes ea quæ
offerebantur: alios verò rogantes & sciscitantes, &
orationi præbentes occasionem. Cùm autem tantum
laborem caperet, non passus est vnquam vllum acci-
pere qui secum habitaret. Quinetiam malebat suam
ipsius operam quàm officium & ministerium quod si-
bi offerebatur ab aliis. Cùmque eius cōgressiones &
collocutiones fierent ad portam atrij, ipse eam ape-
riebat ingredientibus, & abeuntes deducebat ac di-
mittebat. Nihil autè vnquam omnino accepit ab ali-
quo: non panem, non obsonium, non vestem, sed
vnus solus eī notus panem suppeditabat. Cùm autem
vsque ad profundum processisset senium, post occa-
sum Solis vescebatur oleribus. Aiunt autem Anthe-
mium, qui postea fuit & Præfectus & Consul, cùm
electus legatus profectus est ad Persas, ad eum attu-

Barbaries
melior elo-
quentia, si
modo cum
barbarie ze-
lus & veri-
tas.

Ab vno iā
tum panem
accipit.

lisse tunicam apud Persas contextam, & dixisse, Cùm sciré vnicuique suã dulcem esse patriã, & qui illic nascuntur fructus esse iucúdíssimos, hanc ex patria ad te attuli tunicam, rogóque vt tu eam accipias: ego verò sim tuã benedictionis particeps. Is auté eam quidem primú iussit poni in subsellio. Deinde cùm multi fuissent interiecti sermones, dixit se angi animo, vt pote quòd sit in duas partes diuisa cogitatio. Illo autem rogante causam, Séper, inquit, constitui habere vnú solum qui mecú habitaret: mihiq; ipsi hanc legem imposui, vt mihi omnino denegetur duorú simul habitatio. Cùm ergo vnus mecum iam sedecim annis habitasset & esset mihi cordi, accessit quidã meus cõtribulis, volens mecú habitare, & rogans vt hoc sibi liceat. Hoc mihi mentem distrahit. Duos enim simul habere nõ patiar. Cõtribulé enim amplector vt contribulem: prioré auté, vt qui mihi cordi fuerit expellere, & graue & iniquum existimo. Ille verò, Meritò, inquit, ó pater. Neque enim fas est vt eú qui tibi plurimo tempore inferuiit, amãdes, tanquam non aptum: eum autem cuius morum nondú fecisti periculú, propter solã admittas patriã. Ad hæc diuinus Aphrates, Non accipiã ergo, inquit, ó vir admirande, hanc tunicã: duas enim habere non patiar. Est enim mea quidé sententia iucúdiior, tua verò melior, ea quæ mihi tanto tẽpore inferuiit. Cùm callido ergo cõmẽto sic elusisset Anthemiu, & ingenij solertix exhibuisset miraculú, persuasit vt nemo deinceps cù eo ageret de illa tunica. Ego autem hæc retuli, volens duo simul ostendere: & quòd ab vno solo acceperit quod curando corpori satis

*Aphrates
ne quidem
Persicam tu
nicam acci
pit ab An-
themio.*

erat, & quòd tanta eius fuerit sapientia, vt effecerit, vt qui rogabat vt acciperet, sententiã tulerit eum non debere accipere. Sed his & quæ sunt huiusmodi relictis, narrabo maiora. Cùm Iulianus Deo infestus in barbarorum regione pœnas dedisset impietatis, res quidem fuere parúper tranquiliores alumnis pietatis, cùm Iouinianus accepisset clauum Romani imperij. Postquam autem hic quoque cùm paruo tempore regnasset, accepit finem vitæ, Valens auté accepit principatum, procellæ & tẽpestates rursus mare nostrum agitabant, grauísque fluctus excitabatur, & vndæ maximæ scapham vndique impetebant. Efficiebat autem grauiorem tempestatẽ solitudo gubernatorum. Eos enim imperator, qui in solam veram religionem suam exercebat audaciam, coëgit habitare in exilio. Et cùm tanta esset vsus iniquitate, impietatis eú non capiebat fatietas, sed dispergebat ac dissipabat cœtum piorum omnium, instar feræ immanis gregem cõtendens discerpere. Ea de causa eos non solum expulit ab omni ecclesia, sed etiam ex latere montis, & ex ripa fluuij, & ex bellico gymnasio. Hæc enim loca perpetuò mutabãt, vt in quos obiter sæuiret armata manus. Et Scythæ quidé, & alij barbari, totam Thraciam à Danubio vsque ad Propontidem securè populabantur. Ille autem eorum auditionem, ne arrectis quidem, vt dicitur, auribus, poterat accipere: sed in eos qui erãt eiusdẽ generis, & eius ditionis, pietatẽq; ac religione clari, armis utebatur. Diuinus auté populus illorú malorum deslebat importunitatem, Dauidicum illud canẽs canticum. Super flumina Babilonis illic sedimus, & ce

*Valens im-
perator am-
tor afflictio
nis Ecclesiæ*

*Scytha ad
vsque Pro-
pontidem
grassantur.*

Ne in salicibus instrumenta doctrinae.

fleuimus, dum nos recordaremur tui Sion. Reliqua autem cantici eis non cōueniebant. Aphraates enim, & Flauianus, & Diodorus, non permiserūt vt suspenderentur in salicibus instrumenta doctrinae: nec passi sunt dicere, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Sed & in montibus, & in campis, & in vrbe, & in suburbanis, & in aedibus, & in foris, canticum Domini assidue canebant. A Dauide enim didicerant, Domini est terra, & plenitudo eius. orbis terrae, & omnes qui habitabant in eo. Rursus autem audierant eundem prophetam clamantem. Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius. Audiuerunt autem diuinum quoque Paulum praecipientem orare viros in omni loco, tollentes manus sanctas absque ira & disceptationibus. Porro autem ipse quoque Dominus loquens cum Samaritano, hoc praedixit apertius. Amen enim, inquit, dico tibi mulier. Venit hora, & nunc est, quando neque in loco hoc, neque Hierosolymis, sed in omni loco adorabunt patrem. Haec cum didicissent: & in domo, & in foro, & vt apostolicè dicam, publicè & per domos perpetuò testificabantur: & veluti quidam praestantissimi imperatores, suos quidem armabant, aduersarios autem confodiebant. Atque magnum quidem Flauianum, & diuinum Theodorum, qui tunc sub alio pascebant, & secunda cathedra digni erant habiti, haec facere quae dixi, & admirandum quidem est & laude dignum: sed tamen haec faciebāt cum essent electi exercitus imperatores, & subiecti legibus imperatoriis. Sapientissimus autem Aphraates, sua sponte ad haec profiluit

Ioan. 5.

Flauianus & Theodorus.

profiluit certamina. In quiete enim educatus, & cum eius institutū esset per se viuere, & extra teli iactum sederet, vt dicitur, cum vidisset belli vehementiam, non illi placuit quod esset securus: sed quietem iubens valere ad tempus, piorū phalangis fuit in pugna princeps, feriens quidem & vita & sermone & miraculis, ipse autem nunquam percussus. Quinetiam cum imperator omni ex parte stultus cum aliquando vidisset exeuntem in gymnasiū bellicum: contigerat enim vt tunc illic congregarentur qui erant ritè venerandae trinitatis socij: ostendit autem quis eum ad ripam fluuij ambulantem spectanti imperatori: rogauit eum quonam tenderet. Cum is autē dixisset se ire deprecatum pro terrarum orbe & pro imperio, rursus respondit imperator, Et quanam de causa vitam profitens monasticā, securè per forum ingrederis, silētio & quiete relicta? Ille autem, solebat enim Dominū imitans, parabolicè rariocinari, Dic mihi, inquit, imperator, Si essem virgo absconsa in thalamo, vidissem autem aliquem in domum patris ignem iniicientem, quid mihi consulisses facere, videnti flammam ardentē, & domum quae comburitur, intus sine sedere, & domum quae crematur despiciere? Sed sic ego quoque fuissem consumpta ab incendio. Sin autem dicis oportere prope rare, aquam ferre, & susque deque currere, flammamque extinguere: ne me reprehendas ô Imperator, si id ipsum facio. Quod enim tu cōsulueris virgini quae est in thalamo, hoc ego cogor facere qui vitam sum professus monasticā. Quod si tu me reprehēdis qui quietem reliquerim, te ipsum reprehēde qui hanc flam-

Monachis licet claustra egredi vrgente Ecclesiae commodo.

mam in domum diuinam inieceris, & non me qui conor extinguere. Quòd enim oporteat opẽ ferre Domui paternæ quæ vritur, ipse quoque confiteberis. Quòd autem Deus sit magis verus & germanus pater quàm ij qui sunt in terra, est cuiuis apertum etiam qui rebus diuinis nõ est omnino initiatus. Nihil ergo absurdum facimus ò Imperator, neque cœpto nostro & instituto contrarium, si veræ religionis alumnos congregamus & pascimus, & eis herbam diuinam exhibemus. His dictis, Imperator quidem tacitè assentiebatur, cõsiderans iustam defensionem: vnus autem ex iis qui nec viri censentur nec mulieres, sed posse vnquam patres fieri eis est ademptum, & hac de causa cẽsentur bene velle Imperatori, & ei loqui confidenter, is ex loco superiore diuinum virum conuittio est infectatus, & mortem minitatus: sed non ita diu post pœnas luit suæ audaciæ. Nam cùm vellet Imperator corpus lauare in balneo, accessit quidem miser tanquam folium visurus an bene esset temperatum, mente autem captus, insiluit in foliũ, quod aquam calidam minimè temperatam continebat: & cùm nullus adesset intus, solus enim ingressus fuerat visurus an esset paratum, remansit coctus & resolutus. Cùm autem tempus interim tereretur, mittit Imperator alium qui eum vocaret. Cùm is autem neminem in nulla domo inuenisset, id renuntiat Imperatori. Cùm deinde autem plures accurrissent omnia perscrutantes folia, & ad illud tãdem venissent, eum iacentem & vita priuatum aspiciũt. Excitato autem tumultu, & omnibus deflentibus, alij quidem aquam illam calidam exhau-

*Eunuchide
scriptio.*

*Eunuchus
Balneo sus-
focatur.*

ferunt: alij verò corpus miserrimum extulerunt. Hinc factum est vt metus inuaderet Imperatorẽ, & omnes qui armabantur aduersus pietatẽ. Sparsa est autẽ fama per totã ciuitatẽ, quales infelix ille luerit pœnas contumeliæ qua affecit Aphraatẽ: omnesq; Deũ Aphraatis perpetuis celebrabrãt laudibus. Hoc, etsi instarent aduersarij, obstitit quo minus homo Dei mitteretur in exilium. Imperator enim perterritus, eos quidẽ qui hæc suadebant, aduersabatur, virũ autem reuerẽbatur. Porrò autẽ aliũde quoque eius virtutẽ didicit. Equus quidã bono genere natus, & portare apprimè doctus erat imperatori charissimus. Morbus quidã qui ei acciderat, malè habebat Imperatorem. retinebatur autem humorũ excrementorũ excretio. Ad eũ curandum accersebantur, qui in hac arte fuerant exercitati. Cùm ea autẽ esset etiam morbo inferior, Imperator quidẽ molestia afficiebatur: lamẽtabatur autẽ iis cui equorũ cura fuerat credita. Cùm esset autẽ pius & fide firmus, in meridie venit vnã cũ equo ad magni Aphraatis habitaculũ: & cùm morbũ dixisset, & fidẽ suam significasset, orauit vt solueret morbũ suis precibus. Ille autẽ nihil cunctatus, sed statim Deum precatus, iussit aquam hauriri ex puteo: & cùm ei salutaris crucis signum imposuisset, iussit eam ad equũ afferre. Is autem bibit plus quàm consueuerat. Deinde cùm oleum diuina inuocatione impleisset benedictione, equi ventrem inungit: & manus contrectatione statim morbus est sublatus. Lærus ergo homo equo accepto, cucurrit ad stabulum. Vespere autem, solebat enim eo tempore venire ad stabulum Imperator, venit &

*Equum Im-
peratoris æ-
quum curat
Aphraates*

Signũ Crucis.

interrogavit quomodo equus se haberet. Is autem cum & sanum esse significasset, & equum valentem, & exultantem, hinnientemque, & collum superbe erigentem eduxisset, rogavit eum causam fanitatis. Vbi autem diu cunctatus, (verebatur enim ostendere medicum, sciens eum qui rogabat esse ei infensum) tandem verum coactus est dicere, & docuit modum curationis. Obstupuit quidem Imperator, & confessus est eum esse virum admirabilem: nec tamen à priore destitit insania: sed perrexit furere aduersus vnigenitum, donec à barbarico fuit igne consumptus, ne sepultura quidem, qua famuli vel medici, dignatus. Diuinus autem Aphraates & in illa tempestate suam ostendit virtutem, & reddita tranquillitate fecit quoque consimiliter. Porro autem alia quoque miracula fecit innumerabilia, quorum vnus vel duorum meminero. Mulier quaedam genete nobilis, simul cum viro intemperante trahens iugum matrimonij venit ad beatum illum hominem, deslens propriam calamitatem. Dicebat enim maritum concubinæ captum consuetudine, magicis quibusdam præstigiis fuisse incantatum, & odio habere ipsam legitimo matrimonio coniunctam. Hęc autem dicebat mulier stans pro foribus atrij. Sic enim solebat colloqui cum foemina: nullam enim vnquam admisit intra fores. Tunc ergo mulieris misertus eiulantis, oratione incantationis abolet operatione: & cum olei guttum ab ipsa allatum inuocatione diuina sanctificasset, iussit vt eo vngeretur. Hęc præcepta cum impleffet mulier, coniugis amorē in se trāstulit: & persuasit vt pro illegitimo, legitimū cubile eligeret.

Valens sepultura priuatus.

Oleum sanctificatum.

Iam verò dicunt etiam quòd cum locustæ aliquando regionem repente inuasissent, & instar ignis omnia consumerent, segetes, arbores, prata & nemora: venit ad eum quidam vir pius, rogans vt opem ferret vnum quidem agrum habenti, ex eo autem & se & uxorem & filios & familiam alenti, & à quo etiam imperatoria exigeretur collatio. Is ergo rursus dominicam imitans benignitatē, iussit ad se afferri congium aquæ. Postquam autem aquæ congium attulit is qui orabat, ei quidem manum imposuit: Deum autem est precatus vt fluentum impleret diuina virtute. Deinde finita oratione, iussit vt in prædij limitibus aqua aspergeretur. Qui eam attulerat, fecit vt iussus fuerat: idque fuit illis agris pro vallo sacrosancto & inexpugnabili. Nam vsque ad illos fines, reptantes & circūuolantes locustæ instar exercitus, rursus retrocesserunt, benedictionem impositam extimescentes, & veluti quodam freno suffocata, & ultra progredi prohibita. Et quid opus est dicere omnia quæ facta sunt à beata illa anima? Hęc enim satis sunt ad ostendendum splendorem gratiæ quæ in eo habitabat. Eum ego vidi, & sanctæ illius dexteræ percepi benedictionem, cum essem quidem adhuc adolescens, matri autem me adiūxissim comitem ad illum profectiois. Et cum pro more quidem ianuam aperuisset, illam & suo sermone dignatus est & benedictione: me autem intromissum impertiit opibus deprecationis. Ea nunc quoque fruar, vt qui credam eum viuere & vnā cum angelis choros ducere, & maiori quàm olim apud Deū vti fiducia. Eam enim tunc metiebatur corpus mor-

Locustæ cessant.

Aqua benedicta aspersio.

tale, ne occasio arrogantiae euaderet, si fuisset maior quam par esset fiducia. Nunc autem deposito onere animi perturbationum, ut athleta victoria potitus, fiducia & libera loquendi facultate utitur apud agnothetam. Qua de causa oro quoque ut eius consequar intercessionem.

*Intercessio
sanctorum.*

PETRVS.

IX.

DE Gallis quidem audimus qui sunt in Europa ad occidentem. Scimus autem eos quoque qui sunt in Asia, ab illis oriundi, qui sedes fixerunt propter pontum Euxinum. Ex iis germinavit beatus Petrus, atque adeo terque quaterque beatus. Septem autem annis, ut aiunt, postquam natus est, a parentibus educatus, consumpsit totam reliquam vitam in philosophiae certaminibus. Dicitur autem obiisse, cum vixisset nonaginta & nouem annos. Eum ergo qui nonaginta & duos annos decertauit, & noctu diuque semper victor euasit, quis pro dignitate laudauerit? Quanam autem lingua suffecerit ad eius narrandas res praclare & ex virtute gestas, in pueritia & adolescentia, in virili & in ingrauescente aetate, & in extrema senectute? Quis illum sudorem mensus fuerit? Quis luctas quae in tanto tempore factae sunt enumerauerit? Quanam autem oratio consequi potuerit, vel semina ab eo deiecta, vel collectos manipulos? Quis est adeo magna & excelsa mente praeditus, ut possit perfecte intueri facultates & copias collectas ex praclara mercatura? Scio rerum illius gestarum vastum pelagus: & ideo vereor accedere ad narrandam historiam, ne obruatur oratio. Quamobrem ambulabo propter lit-

*B. Petrus
Eremita
Gallus Occidentalis.*

*Affectus
plena haec
oratio.*

rus, & quae in continente gesta sunt ante mare admirabor & enarrabo, profundum autem relinquam ei qui, ut diuina dicit scriptura, scrutatur profunda, & occulta cognoscit. Hic ergo primo tempore certauit in Galatia. Illinc videndi gratia venit in Palaestinam: ut cum vidisset loca quae susceperunt saluantes passiones, in his Deum qui seruauit adoraret: non ut qui loco circumscribatur: sciebat enim eius naturam non posse circumscribi: sed ut pasceret oculos spectaculo eorum quae desiderantur: nec sola animae vis qua contempletur, absque visu, spiritali alimento per fidem frueretur. Iis enim qui amore aliquem prosequuntur est a natura insitum, ut non ex solo eius aspectu capiant voluptatem, sed & domum & vestes & calceos contemplantur cum magna laetitia. Tali in sponsum amore praedita, sponsa quae desiderabat in cantico canticorum, clamabat dicens, Sicut malum in lignis syluae, ita patruelis meus in medio filiorum. In umbra eius desiderauit & fedi: & fructus eius dulcis in gutture meo. Nihil ergo absurdum & alienum fecit hic homo diuinus, qui in sponsum quidem eundem accepit amorem, iisdem autem verbis usus est quibus sponsa, Vulneratus sum ego, clamabat, ab amore. Cum autem desiderasset contemplari sponsi quaedam veluti umbram, abiit visurus loca ex quibus scaturierunt fontes omnibus hominibus saluantes. Cum ergo quae desiderabat eis frui licuisset, profectus quidem est Antiochiam: cum autem vidisset ciuitatis pietatem ac religionem, externam regionem patriae suae praetulit, ciues existimans, non contribules & cognatos, sed eos qui erant

*Visere loca
sancta Palaestinae.*

*Ad sancta
vniuersa reliquia
rum probationem apta
similitudo.*

*Antiochia
pietati de-
dita.*

eiufdem cum ipfo ſententiæ, & in fide focij, & trahebant idem iugum pietatis ac religionis. Cùm illic autem morari placuiſſet, non extendit tabernaculum: non fixit tugurium: non excitauit domunculam: ſed totum tempus tranſegit in alieno ſepulchro. In eo autem erat proiectum quoddam ſuperius tabulatum, cui coniunctæ ſcalæ eos excipiebant qui volebant aſcendere. In eo permansit inclufus longiſſimo tempore, aqua quidem vtens calida: ſolo autem pane veſcens. idque non quotidie, ſed vno quidem manens ieiunus: poſtridie autem ea ſumens. Cùm autem quidam inſaniens, & furore percitus, & maligni dæmonis plenus operatione, ad eum veniſſet, eum quidem mundauit, deprecatus, & ab illo diabolico furore liberauit. Cùm verò nollet abire, ſed obſecraſſet vt pro illa curatione ei ſuum impertiret miniſterium, eum admifiſit vt ſecum habitaret. Eum ego & noui: & memini miraculi: & vidi mercedem curationis: & audiui ſermonem quem de me habuerunt. Dicebat enim Danielus, erat enim hoc illi nomen, me quoque præclari miniſterij huius futurum ſocium. Vir autem ille diuinus non eſt aſſenſus vt hoc fieret, parentum meorum in me amorem conſiderans. Sæpe autem me genibus impoſitum vna aluit & pane. Nam cùm mater feciſſet periculum ſpiritualis eius gratiæ, iuſſit me ſemel in hebdomada decerpere illius benedictionem. Eius autem habuit notiã hac de cauſa. Morbus qui ei in alterum ex oculis incubuerat, viſus eſt medicinæ ſuperare ſcientiam. Nihil enim erat aut ſcriptũ à veteribus, aut inuentum ab iis qui fuere poſterius, quod

*Sepulchrũ
vice domus*

*Dæmoniacus libera-
tur.*

*Mater Theo-
doreti cu-
rata ab oculi
dolorum do-
lore.*

quod non morbo fuerit adhibitum. Poſtquam autem omnia probauit, & oſtēdit nullam afferre vtilitatem, venit quædam ei familiaris quæ diuinum virum oſtēdebat, & ab eo factum docebat miraculum. Dicebat enim vxorem eius qui eo tempore tenebat clauum orientis adminiſtrationis, erat autem is Pergamenus, cùm ea in hunc morbum incidiſſet, eum ipſam curafſe cùm deprecatione eſſet vſus & crucis ſignaculo. Audiuit mater, & ad diuinum ſtatim accurrit hominem. Habebat autem in aures, catenas, & torques, & alia aurea quæ ſibi induerat, & veſtem variam ex ſericis filis contextam. Nondum enim virtutem guſtarat perfectiorem: florebat autem tempore, & mundum muliebrem geſtabat vt adoleſcentula. Cùm diuinum ergo caput hæc aſpexiſſet, nimij ornatus amoris primum morbum curauit, vſus verbis talibus. Dic mihi, inquit, filia, vt ar enim eius voce, & nõ mutabo verbũ ſanctæ illius linguæ. Si quis pictor in arte bene exercitatus, aliquam pinxiſſet imaginẽ, vt præcipit lex artis, & eam propoſuiſſet videre volentibus, veniret autem aliquis alius, artem nõ ſciens perfectè & accuratè, temerèque & inconſultè, vt ſibi videtur, vellet contra pingere: deinde illã artificioſam reprehendens picturam, ſuperciliis quidem & ciliis lineas adderet lōgiores, faciem autẽ efficeret albiorem, & genis rubrum adderet colorẽ: non tibi videtur prior ille pictor iure ſuccẽſurus, quod & ars eius probro eſſet & cõtumelia affecta, & eorũ quibus opus non erat additamentũ à manu indocta accepiſſet. Ergo vniuerforũ quoque, inquit, opificem, & noſtrę naturę effictorem & picto-

*Arguit Pe-
trus nimium
mulieris
ornatũ apta
ſimilitudi-
ne.*

rem, iure irasci credite., quòd illam quæ verbis explicari non potest, naturam & sapiētiam accusetis insciētia. Non enim rubrum & album & nigrum colorem vobis infunderetis, si non existimaretis esse vobis opus hac additione. His autem corpus egere arbitran-
 tes, imbecillitatis damnatis creatorem. Sciendum est autem eum habere potestaté suæ voluntati iusta sym-
 metria respondentem. Omnia enim, vt ait Dauid, quæ
 voluit Dominus fecit. Eius autem quod est omnibus
 vtile futurum curam gerens, non dat ea quæ damnum
 afferūt. Nolite ergo Dei corrumpere imaginem: ne-
 que tentetis ea addere quæ sapienter non dedit: neq;
 hãc adulterinam excogitate pulchritudinem, quæ vel
 pudicis affert exitium, videntibus insidians. Hæc au-
 diuit præstantissima & omni ex parte optima foemi-
 na, & statim Petri reti fuit implicata. Piscabatur enim
 hic quoque similiter atque is qui idem quod ipse no-
 men habebat: pedesque tangens, & vociferans, obse-
 crauit vt curaret oculum. Is autem dicebat se quidem
 esse hominem, & eãdem habere quam ipsa naturam:
 se autē peccatorum magnã gestare sarcinam, & ideo
 priuatum esse ea quæ ad Deum habetur fiducia. Cùm
 autem mater fleret & oraret, & diceret se non esse eū
 relicturam, nisi sanitatem assequeretur, dixit Deū esse
 horum cutatorem, petitiones autem semper dare iis
 qui credunt. Dabit ergo, inquit, nunc quoque, nō mi-
 hi donās gratiam, sed tuam fidem contemplans. Si eã
 ergo habes sinceram & veram, purãque & ab omni
 liberam dubitatione, iubēs & medicos valere & me-
 dicamenta, à Deo datum sume hoc medicamentum.

*Humilitas
Petri.*

Hæc cùm dixisset, manum imposuit oculo, & salutaris
 crucis signo facto, morbum expulit. Illinc domum
 reuerfa, cùm & medicamentum abluisset, & omnem
 extrinsecus inductum abiecisset ornatum, ex legibus
 à Medico latis vitam instituebat: neque varia veste in-
 duta: neque aureis monilibus exornata: idque cùm
 esset ætate adhuc admodum iuuenis: nata enim erat
 vicesimum tertium, nec dum mater facta fuerat. Cùm
 enim septem alios annos vixisset, me peperit, qui fui
 eius primus & solus foetus. Tantum fructum cepit ex
 magni Petri doctrina, & duplicem accepit curatio-
 nem: & cùm corpori quæreret medicinam, bonam
 quoque animæ sibi parauit habitudinem. Talia di-
 cendo ille operabatur, & tam potens erat precando.
 Cùm ea autem aliquando adduxisset obsonatorem
 famulum, qui à malo dæmone vexabatur, rogauit vt
 ei suum non negaret auxilium. Cùm precatus autem
 esset vir diuinus, iussit dæmoni vt diceret causam cur
 haberet potestatem in Dei creaturam. Ille autem, tan-
 quam homicida aliquis vel murorum perfossor ac la-
 tro stans ante iudicem, & iussus dicere quæ fecit, sic
 omnia est persecutus, vt qui præter consuetudinem
 cogeretur vera dicere: & dixit Heliopoli ægrotasse
 quidem Serui Dominum: Dominam autem coniu-
 gi, vt pote ægrotanti, assedisse: ancillis autem Do-
 minæ domus in qua manebant, narrasse vitam mo-
 nachorum qui philosophabantur Antiochiæ, & quan-
 tas vires habeant aduersus dæmones: & has quidem,
 vtpote puellas, ludo delectatas, dæmoniacas & insa-
 nas egisse, illum ipsum autem famulum, monastica

*Signum
crucis.*

*Dæmonia-
cus curatur*

*Cur dæmon
habeat po-
testatem in
Dei creatur-
am.*

*Periculosa
monastica
deludere.*

*Εξορκί-
Cev.
Exorcismi.*

veste ex caprina pelle confecta indutum, illas monasticè adiurasse. Cùm hæc, inquit, fierent, ego stans pro foribus, superbâque illa & gloriosa quæ de monachis dicebantur non ferens, volui facere periculum de illa quam illos habere iuueniliter iactabant potestate. Ea de causa relictis ancillis, in hunc me intrusi, volens scire quemadmodû expellerer à monachis. Nûc autem, inquit, didici: nec vlla alia egeo experientia: mox autem te iubente exeo. Hæc dicens, aufugit: fuitque liberatus famulus. Iam verò alium quoque rusticum cùm matris quidem meæ mater, mea verò matertera, adduxisset, rogabat aduersarium vitij vt ei opem ferret. Is autem rursus rogauit, & vndenam esset, & à quonam accepisset potestatem in Dei creaturam. Vt autem silens ille non dedit responsum, orauit Petrus flexis genibus, Deumque est precatus, vt execrâdo illi dæmoni suorum famulorum ostenderet potestiam. Deinde rursus surrexit: ille autem rursus resistēs, tacebat: & hæc facta sunt vsque ad horam nonā. Postquam autem maiore studio & magis vehementem Domino obtulit orationem, surgens dixit scelerato dæmoni, Non tibi imperat Petrus, sed Petri Deus. Responde ergo, vt qui ab illius cogaris potentia. Reueritus est, etsi sit impudens, perniciosus dæmon, sancti lenitatem ac moderationem: & magna vsus voce, clamauit, quòd in monte quidem Amano versaretur. Cùm eum autem vidissem, inquit, in via, ex aliquo fonte aquam haurientem & bibentem, contēdi hoc mihi sumere habitaculum. Sed egredere, inquit homo Dei, eo qui pro orbe terrarum est

*Mons A-
mo. 1715.*

crucifixus, hoc tibi imperante. Audiuit ille, & fugit: & à furore liber materteræ redditus est Agricola. Cùm alia autem huiusmodi innumerabilia possim de beata illa narrare anima, plurima prætermittam, pertiucens vulgi imbecillitatē. Ad seipos enim respicientes, fidem non habent diuinorum virorum miraculis. Cùm vnum autem vel duo narrauero, transibo ad alium athletam. Erat quidam vir libidinosus, qui superioribus temporibus fuerat dux militiæ. Puella autem quædam innupta, sed nubilis, quæ eius suberat dominio, relicta matre & suis, fugit in quoddam gynæceum in quo erat coetus athletarum. Decertant enim foeminæ quoque similiter atque viri, & descendunt in stadium virtutis. Cùm huius fugam didicisset dux militiæ, matrem flagris cecidit, & vinxit, nec eam prius emisit è vinculis quàm religiosarum mulierum ostendit habitaculum. Sua itaque vsus rabie, illinc rapuit puellam, & domum suam reduxit: & sperauit infelix se suam expleturū libidinem. Sed qui magnis & malis tentationibus de Sara vxore Abrahæ tētavit Pharaonem, & pudicam mulierem conseruauit intactam: & qui Sodomitas percussit cæcitate, qui eos qui erāt incorporei, aggressi fuerant, tanquam hospites, infectari contumeliis. Is cùm huius videndi virtutem percussisset cæcitate, effecit vt præda euaderet è manibus. Et ipse quidem ingressus fuerat in thalamum: illa autem quæ intus cultodiebatur, mox exiit & euauit ex oculis, & ad maximè expetendum peruenit habitaculum. Sic cùm didicisset stolidus, se non esse eam superatarum, quæ Deū sponsum elegisset, coactus est quiesce-

*Intelligis
domum vir-
ginum deo
dicatarum.*

re, eam quæ capta fuerat, & diuina potestate euaserat, non amplius requirens. Hæc tempore procedente in grauem morbum inciderat: morbus autem erat cancer: cum mamilla autem inflata dolor quoque crescebat. Sed magnū vocabat Petrum cū dolor esset vehementissimus: & dicebat sacra illa voce in aures suas immissa, torum illum sopiri dolorem, & nullum ex hinc sensum sentire molestiæ. Ea de causa eum accersens frequentius accipiebat consolationem. Dicebat enim toto illo tempore illius præsentia, dolores omnino recedere. Sed illam quidem, cū sic decertasset, laudibus victoriam significantibus ex hac vita excedentem est profecutus. Rursus autem matrem meam, cū postquam me peperisset, esset in ipsis mortis foribus, à matertera rogatus, veniens eripuit à mortis manibus. Iacebat enim, vt aiunt, medicis quidem desperantibus, familiaribus autem deplorantibus, & finem expectantibus, clausis oculis, febre vehemētilaborans, nullum ex notis agnoscens. Postquam autem venit qui apostolico & fermone dignatus fuerat & gratia, & Pax tibi, dixit, filia, hæc enim erat eius salutatio, dicitur protinus & cilia erexisse, & eum fixis oculis aspexisse, & benedictionis fructum renūciasse. Postquam vlulauit autem chorus foeminarum, animi enim angor & lætitia simul erant cōmixta & causa erant illius vociferationis, præcipit homo diuinus vt eæ omnes sint sociæ eius orationis. Sic enim dicebat etiam Tabitham fuisse salutem consecutā, viduis quidem deflentibus, magno autem Petro offerente Deo illorum lachrymas. Precatæ sunt vt iussit, & ac-

*Curatio
per Petrum
facta.*

*Excitatio
vrbundam
Theodoret
matrem.*

ceperunt vt prædixit. Nam cū finem accepisset oratio, morbus quoque finem cepit: & sudor repente fluxit ex toto corpore: & ignis ille est extinctus: & sanitatis signa apparuerunt. Talia nostris quoque temporibus per suos seruos beneuolos Deus fecit miracula. Huius quoque vestium superficies operata est similiter atque diuinissimi Pauli. Hoc autē posui, non vtens aliqua hyperbole, sed consentientē habens dicto veritatem. Nam cū propriam zonā diuisisset in duas partes, erat autem lata & longa, ex crasso lino contexta, huius quidem dimidio suos lumbos, altero verò meos cinxit. Hanc cū sæpe quidem mihi ægrotanti mater imposuisset, sæpe autē patri quoque, morbum exegit. Quinetiā ipsa quoque hoc medicamēto sæpe vfa est ad sanitatē. Multi autem ex notis quoque cū hoc didicissent, assiduè ad ferendū ægrotis auxilium hanc zonam accipiebāt: & vbique illius gratiæ ostendebat operationem. Cū quidam sic eam accepisset, priuauit eos qui donauerant, in eos qui ipsum beneficio affecerant se ingratum ostēdens. Hoc modo fuimus illo dono nudati. Cū sic resplenduisset, & radiis Antiochiam illustrasset, abductus fuit à certaminibus, expectans coronam quæ est reposita victoribus. Ego autem cuius, dum adhuc esset superstes, percepi benedictionem, ea vt nunc quoque fruar precatus, finem imponam huic narrationi.

*Zona mira-
culosa.*

*Intercessio
sanctorum.*

THEODOSIUS.

Rosus est oppidum Ciliciæ, à dextra ei qui nauigat in pontum Cilicium. Huius ad orientem & meridie est mons altus, spatiosus, et vmbrosus. Alit autem

*Theodosius
magna do-
mo relicta
vitam mo-
nasticam se-
catur.*

feras in nemoribus. In eo cum quendam ad mare vergentem lucum inuenisset magnus & vulgo celebratus Theodosius, quadam modica extructa domucula, euangelicum viuendi institutum solus amplectebatur, vir oriundus quidem Antiochia, insignis autem claritate generis: sed tamen & domo, & cognatione, & omnibus aliis relictis, pretiosissimam, vt euangelicè dicam emit margaritam. Ac de eius quidem à cibo abstinentia, & quomodo humi cubaret, & cilicio indueretur, superuacaneum est dicere iis qui eius vident discipulos & sodales, & in eis eadem cernunt viuendi formam. Hæc tamen ille insigniter persequebatur, vt qui seipsum certantibus exēplar proponeret. His autem adiciebat ferreum onus collo & lumbis & ambabus manibus. Porrò autem gestabat quoque comam fordidam, & quæ ad ipsos vsque pedes pertingebat, & vterius etiam progrediebatur, & ideo erat lumbis eius alligata. Deprecatione autem & hymnodia vtens assidue, cupiditatem, & iram, & arrogantiam, & alias animi beluas sopiebat. Labores autem semper augēs laboribus, persequebatur eam quoque quæ manibus fit operationem: nunc quidem sportellas quæ vocantur, & vimineas crates contextens: nunc autem parua prædia in saltu efficiēs, & semina deiiciens, & illinc quantum victui satis esset colligens. Postquam autem procedente tempore eius fama peruasit in omnem partem, multi multis ex locis concurrebant, eius & habitacionis, & laboris, & instituti esse socij cupientes. Quos quidem excipiens, ad eandem vitam deducebat. Et videre licebat alios quidem vela, alios verò saga expellibus

*Laboy pri-
scorum mo-
nachorum.*

pellibus textēs: alios verò crates vimineas vel sportellas connectentes: alios verò terram colentes. Et quoniam locus erat maritimus, ad trasmittendum quoque quadam constructa nauicula, quæ Ponto appellatur, ea utebantur ad ea quæ erant inferenda, & exportans opera eorum qui simul habitabant, & importans ea quæ erant necessaria. Memor enim vocis apostolicæ quæ dicit, Noctu diuque operantes, ne essemus oneri alicui vestrum. & Manus hæc mihi & iis qui erant mecum suppeditarunt: & ipse laborabat, & hortabatur suos contubernales, vt cum animæ laboribus, corporis quoque labores coniungerent. Est enim absurdum, vt ij quidem qui aluntur in vita seculari, se affligentes & laborantes alant filios & uxores, & præterea & tributa conferant & ab eis exigantur vectigalia, & Deo offerant, primitias, & mendicorum pro viribus medeantur inopiæ: nos autem non quæramus ex laboribus ea quæ sunt necessaria, idque cum vili quidem & modico cibo, vili autem veste vtamur: sed sedeamus quidem compressis manibus, alienis autem fruamur laboribus. Hæc & talia dicēs, hortabatur ad operandum, in tempore quidem quæ sunt vbique præscripta diuina peragens officia, id autem quod intercedebat temporis, impendens operi. Non leuem autem curam gerebat hospitum, viris lenitate & morum mansuetudine ornatis, & in proximum charitate præditis, vt eis prouiderent committens. Ipse autem visēbat & inspiciebat omnia, perscrutans an ex latis legibus vnusquisque suo fungeretur officio. Hinc factum est vt tam insignis & celebris esset

Primitiæ.

*Officia di-
uina præ-
scripta.*

eius fama, vt qui nauigabant, plus quam mille stadiis aberant, Deum Theodosij inuocarent in periculis, & Theodosij appellatione sedarent tempestatem. Eum audaces quoque & immanes hostes sunt reueriti, qui maximam orientis partem sunt depopulati. Quis enim ex iis qui in nostro habitabili orbe terrarum habitant, non auditione accepit ea quae illo tempore facta sunt ab iis qui olim quidem Solymi, nunc autem nominantur Isauri? Illi tamen qui nec oppido nec vico percerunt, & quaecunque capere potuerunt, diripuerunt & igni mandauerunt, sunt illam reueriti philosophiam: & cum solummodo panem petiissent, & vt pro se orarent significassent, illud illisum reliquere monasterium: idque non semel, sed etiam bis fecere. Veriti tamen praesides ecclesiarum, ne pecuniae cupiditate illis barbaris a diabolo immissa, captiuum abduceretur magnam illud lumen: erat enim verisimile fore vt magna vis pecuniae ad eum redimendum transmitteretur ab omnibus qui habent in honore res diuinas, ei persuadent vt se conferret Antiochiam. Iam enim captiuos ceperant duos praesides ecclesiarum: eos quidem omni officij genere sunt profecuti: cum autem quatuordecim millia aureorum pro vtrisque accepissent, permiserunt vt redirent quod vellent. Postquam autem peruenit Antiochiam, habitauit quidem in habitaculo quod inuenit situm prope fluuium, omnes autem traxit ad seipsum qui sciunt talia colligere. Dum autem me trahit impetus orationis, praetermissi narrare miraculum quod a diuino illo viro factum est, quod multis quidem fortasse videbitur esse

*Isauri esse
ne pego qui
dem parci
tame Theo-
dosi mona-
sterio.*

incredibile, & tamen remanet in hodiernum vsque diem, oratione testificans, & ostendens qualem apud Deum gratiam & fiduciam est consecutus hic vir admirabilis. Praecepta quaedam petra imminet monasterio, quod ipse aedificauit. Erat autem primò sicca & omni humore vacua. In ea fecit aquae ductum, qui a vertice fertur in monasterium, tamquam qui motum aquarum haberet in potestate. Plenus autem fiducia in Deum & firmiter credens, vt est verisimile, se Dominum habere beneuolum, & fidem habens in quam nulla cadebat dubitatio, ascendit in supremam partem eius qui nunc est aqueductus, priusquam surrexissent sodales ad preces consuetas: & Deum precatus, fretus eo qui facit voluntatem timetium eum, virga cui innixus erat petram percussit. Ea vero rupta, aqua instar fluminis scaturiit: & monasterium ingrediens per aquae ductum, & quantum ad omnem usum sufficit abunde suppeditans, in mare propinquum influit: & in hodiernum vsque diem ostenditur operans, Mosaica magni Theodosij gratia. Sufficit vel hoc solum ad ostendendam viri huius erga Deum fiduciam. Cum autem Antiochia vixisset paruo tempore, migravit ad choros Angelorum. Per mediam autem urbem ferebatur sacrum corpus, tamquam aureis quibusdam coronis, ferro illo decoratum, cum omnes duces concurrissent, & qui magnos suae fidei creditos gerebant magistratus. De cubili autem erat magna lis & decertatio, cum id omnes auferre cõtenderent, & ex eo benedictionem & vtilitatem percipere cuperent. Sic elatus, ponitur in aede sanctorum Martyrum, cum Iuliani victoria

Petra percussa aquas copiosas fundit.

Reliquia.

Eriam cubile honoratum

insignis in pietate athlete fuisse & contubernalis, & eodē tēto vsus. Idem autē loculus eum excepit, qui illum quoque diuinum & beatum Aphraatem. Gregis autem præfecturam accepit Helladius ille admirabilis, qui in illis quidem locis perpetuis fuit sexaginta annis, deinde Cilicum diuinitus electus est Antistes cū neque priorem reliquisset philosophiam, & illis laboribus Pontificatus sudores quotidie adderet. Huius cū beatus quoque Romulus fuisse auditor, dux maximi gregis fuit creatus. Permāsit autem illius chorus in hodiernum vsque diem, idem seruans vitæ institutum. Est autem prope monasterium vicus qui Syriacè appellatur Maratus. Ego autem sine imposto huic narrationi, rogo vt eius quoque cōsequar benedictionem.

Inuocatio
sanctorum

ROMANVS.

XI.
Huius me-
mini Theo-
doretus lib.
4. historie
Ecclesiasti-
ca.

Romanus
nunquam
igne vsus.

Manfuetu-
dinis laus.

Magnus ergo Theodosius ab Antiochia profectus, cū in mōtibus Rosicis decertasset, & Antiochiā reuersus esset, sic vitæ finē accepit. Diuinus autem Romanus, Rosi & natus, & primū educatus, Antiochiæ ostēdit prima virtutis certamina, extra ambitū quidē ciuitatis ad latus mōtis fixo tabernaculo, in aliena autem domūcula eaque parua viuēs toto tempore. Nunquam autem vsque ad senectutem neque igne vsus est, neque lumine lucernæ. Cibus autem ei erat panis & sal. Potus autem fontanum fluentium. Erat autem coma magno Theodosio similis: vestis autem ferrum quoque similiter. Abundauit autem hic & motum simplicitate ac mansuetudine & moderatione, & ideo emisit splendorem diuinæ gratiæ.

Super quem, inquit, respiciam, nisi super mitem & quietum, & tremementem sermones meos? Iam verò rursus quoque dixit suis discipulis. Discite à me: quoniam mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Et rursus, Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram. Quinetiam Mosis legiflatoris erat hoc vel maximè insigne. Erat enim, inquit, Moses mitissimus præter omnes homines qui erant super terram. Hoc de propheta Dauide testatus quoque est sanctissimus spiritus. Memento, enim inquit, Domine David & omnis mansuetudinis eius. Didicimus etiam de patriarcha Iacob, quod non factus erat domum habitans. Has virtutes cū instar apis collegisset ex diuinis illis pratis, mel confecit veræ philosophiæ. Profundebantur autem eius quoque in externos fluentia iucundissima: & iis qui ad ipsum veniebant, leni ac dulci voce vtens, de amore in fratres, de concordia & pace, multas offerebat admonitiones. Multos autem vel solo aspectu effecit rerum diuinarum amatores. Quis enim non esset mirandum in modum admiratus, cū videret eum corpore afflictum, & qui prolixam gestabat comam, & maximum ferri pondus sua sponte ferebat, & veste ex pilis contexta vt ebatur, & tantum capiebat alimenti quantum satis erat ad prohibendum ne fame moreretur? Magnitudini autem & multitudini laborum accedebat quæ in eo florebat gratia, qua quidem omnes persuadebantur, vt eum admirarentur & honore afficerent. Multorum enim sæpe morbos exegit difficiles: multis autem sterilibus mulieribus filios impetrauit. Et

Esā. 66.

Mat. 11.

Matth. 5.

Num. 12.

Psal. 137.

Ferri pondus.

cū tantā à diuino spiritu accepisset potestātē, seipsum appellabat egenū & mendicū. Quotquot itaq; ad eū ventitabant, eos & aspectu & sermone, toto vitæ suæ tēpore, impleuit vtilitate. Porrò autē cū hinc quoq; excessisset, & in angelicum chorum esset trās-latus, reliquit memoriam quæ nō fuit sepulta simul cum corpore, sed quæ viget, floret, & germinat, & quæ extingui non potest, sed semper permanet, & quæ sufficit ad eos qui volunt adiuuandos. Cū hinc itaque benedictionem mihi conciliauero, aliorum quoque athletarum res gestas narrabo, vt poterō.

*Inuocatio
sanctorum.*

ZENO.

XII.

ZEnonem admirabilem non multi quidem cognoscunt: qui cognoscunt autē, non possunt admirari pro dignitate. Is enim cum maximas opes reliquisset in patria, ea autem erat Pontus, magni quidē vt dicebat, Basilij hausit fluenta, qui erat vicinus, & Cappadocum irrigabat regionem: irrigatione autem dignos fructus reddidit. Cū primum enim imperator Valens fuisset de medio sublatus, militare deposuit cingulum: erat autem adscriptus in numerum eorum qui literas imperatoris ferebant celeriter. Cū autem à regia venisset in quoddam sepulchrum, multa autē sunt in monte quod est situm prope Antiochiā, solus illic degebat expurgans animā: & eius contemplandi facultatem semper emundans: & diuinam cōtemplationem semper visione apprehendens: & Dei ascensus in corde disponens: & pennas tanquam columbæ accipere desiderans: & in diuinam requiē euolare cupiēs. Ea de causa nō habuit lectū, non lucernā,

*Zeno didi-
cit à Basilio*

*Vrensilia
nulla.*

non focum, non ollam, non guttum, non arculam, nō librum, non aliquid aliud: sed erat quidem pannis indutus veteribus: erant quoque calcei eiusmodi vt indigerent vinculis: erat enim diuulsum ac discerptum solearum corium. Ab vno autem ex familiaribus necessarium accipiebat alimentum. Id autem erat vnus panis, qui duobus suppeditabatur diebus: aquam autē procul hauriens, ferebat ipse. Cū quis autem eū aliquando vidisset onus portātem, rogabat vt eū leuaret labore. Ille autem primū quidem resistebat, docens se non posse in animum inducere vt biberet aquā quæ esset portata ab alio. Postquā autem nō persuasit, dedit urnas: ferebat enim duas ambabus manibus. Postquam autē fuit intra portam atrij, cū aquā effudisset & dispersisset, rursus cucurrit ad fontem, re ipsa cōfirmans quæ dixerat. Porrò autem ego quoque quando eum primū desiderans videre, ascendi in montem, aspexi eum tenentem urnas manibus. Deinde rogauī eum vbīnam esset admirabilis Zenonis habitaculum. Is autem dixit se nullum nosse monachum qui sic appellaretur. Ego autem cū eum ipsum esse coniecissem, secutus sum, id coniiciens ex eius sermonis modestia. Postquā autem ingressus sum ostium, vidi torum ex foeno constructum, & quandam aliam storēā ita super lapides stratam, vt qui super illam sedebāt, ab ea minimē læderētur. Postquam autem de philosophia multa verba fecimus: ego enim interrogabā: ipse verò nobis explicabat ea quæ quærebātur: & oportebat deinceps domum reuerti: ego eum precabar vt daret viaticum benedictionis: ille autē repugnabat,

*Theodoretus vidit
Zenonem.*

*Platicus
benedictio-
nis.*

dicens æquum esse vt nos preces impleremus: & se ipsum quidem priuatum, nos autem milites appellās: tunc enim sacros libros legebam Dei populo. Cùm nos autem iuuentutem & ætatis immaturitatem adduceremus, tunc enim primum paucam quandã producebamus lanuginem, & iuraremus nos nõ esse rursus venturos, si cogeremur hoc facere, vix tandem quidem multis flexus precibus, Deo obtulit quidem intercessionem: sed quòd id fecisset multis verbis se excusauit, dicens se id fecisse & amoris causa & obedientiæ: appropinquantem enim audiuius precantem. Quòd autem in tam profunda philosophia, tanta esset modestia ac moderatione vir senex, quadraginta enim annis perpetuis versatus erat in monastica exercitatione, quis satis pro dignitate potuerit admirari, quasnam autem laudes rei magnitudini pares potuerit afferre? Cùm autem virtutis tales possideret opes, tanquam qui esset in extrema inopia, ad Dei ecclesiam die dominico veniebat cum populo, diuinos audiens sermones, & aures accommodans doctoribus: & postquam mensam participasset mysticam, reuertebatur in nouum illud habitaculum, non habens clauem, non claustrum, non relinquens custodẽ: erat enim maleficis planè inuium & sacrosanctũ, vt quod solam illam haberet stoream. Vnum autem librum accipiẽs à familiaribus, eum totum legebat: & eo prius reddito, alium accipiebat. Sed licet nec claustra haberet, nec vestibus vteretur, custodiebatur à superna gratia. Idquẽ per ipsam experientiam apertè didicimus. Quando enim Isauri per insidias noctu arcem

cepere:

*Modestia
zenonis.*

Oblatio.

*Participa-
tio mensæ
mysticæ.*

cepere: deinde manè vsque ad latus montis faciebãt incursiones, multos quidem viros, & multas mulieres quæ vitam exercebant monasticam, crudeliter confodere. Tunc ergo vir diuinus, aliorum cædem intuens, effecit oratione vt eorum caligarent oculi: & per ostium ingredienti, non videbant aditum: vt autem dicebat, testem appellans veritatẽ, apertè quoque tres vidit adolescẽtes, qui totam illã cateruam expellebant, Deo manifestè suam ostendente gratiã. Qualem ergo vitam egerit hic vir diuinus, & qualem sit diuinitus gratiam assecutus, ad docendũ hæc sufficiunt. Sed enim necesse est hoc quoque his adiicere. Valde eum angebat & malè habebat quòd eius mansissent facultates, & non ex lege euãgelica & venundatæ essent & distributæ. Huius autem causa fuit, fratrum ætas immatura. Quoniam enim erant communes & pecuniæ & possessiones, ipse quidem nolebat diuisionis causa redire in patriam: alij autem verebatur vendere partem suarum facultatum, ne emptores moti auaritia fratres circumscribentes, illi inurerent ignominiam. Hæc apud se animo versans, diu distulit venditionem. Postea autem cùm cuidam ex notis suis vendidisset omnia, plurima quidem distribuit: interim autem mala quæ accidit valetudo, coëgit eum consultare de reliquis. Accersito itaque antistite ciuitatis, is autem erat magnus Alexander, splendor verè religionis, & exemplar virtutis, exacta & accurata imago philosophiæ, Adesdum, inquit, ò diuinum caput harum tu pecuniarum sis mihi optimus Oeconomus, eas ex diuino instituto distribuens, tanquam iudici illi rationem

*Angelorum
auxilium.*

*Alexander
episcopus.*

redditurus. Alias enim ego manu mea dispensavi, & distribui ut mihi visus sum optimè. Vellè autè reliqua quoq; dispensare similiter. Sed quoniã iubeor migrare ex hac vita, te ego earũ constituo dispensatorẽ, qui es & pontifex, & pontificatũ legibus rectè geris. Pecunias itaq; tanquã Dei quæstori tradidit. Ipse autè cũ non plus quàm annũ vixisset postea, tanquã quidam Olympicus victor recessit à septis, non ab hominibus solũ gloriam affectus, sed etiam ab angelis. Ego autè cùm eum ut pro me ad Dominum intercedat, oraue- ro, me ad aliam conuertam narrationem.

Inuocatio.

M A C E D O N I V S.

XIII.
*Huius me-
minit Ioã-
nes Damas-
cenus in li-
bro qui in-
scribitur
aduersus
vituperato-
res ima-
ginum.*

MAcedonium autem cognomine *κριστοφάρος*, id est, vescentem ordeo, is enim cibus hoc ei cognomen imposuit, sciunt quidem omnes Phœnices & Syri & Cilices. Sciunt autem horum quoque vicini & finitimi, qui partim quidem ipsi viri videre miracula, partim autem ea famam celebrantem audiuerunt. Neque verò sciunt omnes omnia: sed cùm alij quidem hoc, alij verò illud didicerint, quod sciunt merito solum admirantur. Ego autem cùm de hoc diuino capite alijs sciam perfectius: multa enim me mouerunt ut ad eum irem & frequens apud eum essem, narrabo singula ut potuero. Hunc autem ei ordinem seruavi, & post multos, eius posui narrationem, non quòd is aliis fuerit virtute secũdus: erat enim vel summis & primis æqualis: sed quòd cùm vixerit longissimo tempore, post illos quorum memini, vitæ finem accepit. Hic ergo habebat palæstram & stadium, cacumina montium: non in vno loco positus, sed nunc

*Cõfirmatio
à suo ipsius
testimonio.*

quidem in hoc agens, nunc verò in illum transiens. Hoc autem faciebat, non loca egrè ferens, sed eorum qui ad ipsum conueniebant, & vndique concurrebant, effugiens multitudinem. Quadraginta autem & quinque annis perpetuis vixit hoc modo: non ut es tabernaculo: non tugurio: sed stans in fossa profunda. Vnde etiam quidam eum vocabant Gubbam. Id autem nomen, si ex lingua Syriaca in Græcam transferatur, significat *λάκκος*, id est lacum. Post id autem tẽporis cùm euasisset senex, cessit rogantibus, & fixit tugurium. Postea autem orantibus familiaribus, domunculis quoque non propriis, sed alienis est vsus. Viginti quinque autem annis perpetuò vitam egit in tugurio & domunculis, ut deinde colligatur certaminum tempus septuaginta anni. Cibo autem vsus est, non pane, nec leguminibus, sed purgato ordeo, & aqua sola madefacto. Hunc autem cibum mater mea quæ ei fuit familiaris, longissimo tempore supeditauit. Cùm aliquando autem ad eam venisset ægrotantem, & didicisset eam nolle persuaderi ut sumeret cibum morbo conuenientem: nam ipsa quoque, iam exercitationem amplectebatur monasticã, consuluit ut cederet medicis: & illud nutrimentum existimaret esse medicamentum: non enim deliciarum, sed necessitatis gratia adhibetur. Nã ego quoq; inquit, qui quadraginta annis, ut scis, ordeo solo sum vsus, cùm quædam mihi pridie huius diei venisset infirmitas, iussi eum qui mecum habitabat parum mihi panis petere & afferre. Venit enim mihi in mentem quòd si morerer, mortis redderem rationem apud

*Fossa pro-
funda Ma-
cedonij do-
mus.*

Cibus.

*Mater
Theodoretũ
monasticã,
exercita-
tionis ama-
trix.*

*Ægyptis
quibusdam
licet vti ci-
bis, alio-
quin probi-
bitis: ad me
dicamentũ
potius quã
nutrimẽtũ.*

iustum iudicem, vt qui fugissem certamina & detre-
ctassem labores seruitutis. Nam cum paucis cibo pos-
set mors prohiberi, & in hac vita possem sic mane-
re, laborans & me affligens, & opes quæ ex his
percipiuntur colligens, mori fame quam viuere in
philosophia duxi magis expetendum. Timore ergo
hinc repletus, cum vellem cogitationis obtundere a-
culeos, & panem petere iussi, & allatum comedi: &
tibi præcipio ne mihi amplius ordeum, sed panem
præbeas. Ex illa ergo lingua ab omni mendacio alie-
na audiuius, quod quadraginta annis comederit or-
deum. Atque hæc quidem sufficiunt ad coniiciendum
quàm esset vir in exercitatione monastica strenuus &
quàm laboriosus. Integritatem autem & simplicita-
tem morum per alia declarabimus. Postquam enim
magnus fuit ordinatus Flauianus, vt magnū Dei gre-
gem pasceret, viri autem virtutem didicit: prædicaba-
tur enim & erat in ore omnium: eum quidem abducit à
vertice montis: tãquam in eum ad se delata fuisset ac-
cusatio. Cum autem mysticum esset propositū sacrifi-
cium, adducit ad altare, & eum cooptat in numerum
sacerdotum. Postquam autem fuit sacrum finitum
officium, & hoc ei significauit aliquis, quod enim fa-
ctum fuerat ignorabat omnino: primum quidem in-
cessebat omnes maledictis & conuitiis: postea au-
tem accepto baculo, solebat enim eo innitens ingre-
di propter senium, & ipsum persequeretur pontifi-
cem, & alios quotquot aderant. Existimabat enim
ordinationem eum esse priuaturã & cacumine mon-
tis, & ea quam desiderabat viuendi ratione. Sed tunc

*Sacrificiū
missæ.*

quidem vix eum irascentem sedauerunt quidam ex fa-
miliaribus. Postquam autem fuit finitus hebdomadæ
circulus, & rursus venit dies festi dominici, rursus eum
magnus accersit Flauianus, rogās vt cum eis esset par-
ticeps huius celebritatis: ille verò ad eos qui venerāt,
Non sufficiunt, inquit, vobis ea quæ facta sunt: sed me
rursus vultis efficere presbyterum. Cum ij autem di-
cerent fieri non posse vt bis eadem fieret ordinatio,
non cessit, neque venit, donec tempus & eius fami-
liares eum id docuerunt. Scio quidē fore vt hæc nar-
ratio videatur multis non ad eò admiranda: eam au-
tem posui, vt qui eam dignam quæ commemoretur
existimem, vt ex qua satis possit coniici & eius animi
simplicitas & animæ puritas. Iis autem qui sunt huius-
modi, Dominus regnum cœlorum est pollicitus.
Amen enim, inquit, dico vobis, nisi conuersi fueritis *Matth. 18.*
vt puelli isti, non intrabitis in regnum cœlorū. Quo-
niam ergo summatim ostēdimus eius animæ formam *”*
ac characterem, age eius quoque ostendamus ex vir-
tute fiduciam. *”* Quidam dux militum qui delectabatur
venatione, ascendit in montem venaturus. Eum au-
tem sequebatur & canes & milites, & quæcūque sunt
apta ad venationem. Postquam autē procul vidit ho-
minem, & ab iis qui cum eo erant audiit quæsnā esset,
statim ex equo desiliens, accessit, & allocutus est, &
rogauit quid faciens hic degeret: is autem contra vi-
cissim interrogauit, Tu autem quid hic venisti factu-
rus? Cum dux autē dixisset, Venaturus, Et ego, inquit,
meum venor Deum: & eum capere cupio: & cōtem-
plari desidero: nec ab hac pulchra cessabo venatione.

*Venatio sp̄
ritualis.*

Hæc cum dux audiisset, & vt par erat miratus esset, recessit. Cùm autē aliquando ciuitas à malo aliquo dæmone incitata baccharetur, & in imperatoris fureret statuas, venerant quidem ex ducibus præstātissimi, qui aduersus ciuitatem internecionis ferebant sententiā. Cùm iis autem è monte descēdisset, ambos accedentes duces in foro retinuit. Illi verò cùm quisnā is esset didicissent, & ex equis desiluerunt, manūsque & genua prehenderunt, & ei salutem significarunt. Ille autem iussit vt dicerent imperatori, quòd homo esset, & eandem haberet naturam quàm ij qui eum affecerant contumelia: & cùm natura irā metiri oporteat, ira sit vsus immoderata: & pro suis imaginibus Dei imagines occidat: & pro ære statuarum, corpora morti tradat. Ac nobis quidē æneas effingere & rursus formare, est in prōptu & facile. Tu autem, etsi sis imperator, nō potes occisa corpora ad vitam reducere. Et quid dico corpora? Neque enim pilum vnum potes effingere. Hæc dixit voce vsus Syriaca. Illi autem, interprete in linguam Græcā transferente, audientes, & exhorruerunt, & ad imperatorem trasmissores significarūt. Ego autē existimo omnes confessuros hæc verba esse gratiæ diuini spiritus. Quomodo enim aliter hæc esset locutus, vir quidem experts omnis eruditionis, in agris autem educatus, vitam autem agens in cacuminibus montium, omnem autem animo circunferens simplicitatem, & qui nec diuinis quidē vacauerat eloquiis? Cùm itaque eius & spiritalem declarauerim sapientiam, & quæ iustis conuenit fiduciam, iustus enim confidit vt leo, transibo ad miracula.

Duces honorant senem monachum

Vita imago præstat muta statua.

Vxor quædā cuiusdam locupletis nobilis, inciderat in morbum ingluuici: & alij quidē eum morbum appellabāt operationem seu vexationē dæmonis: alij autem eum existimabāt imbecillitatem corporis. Siue autem hoc, siue illud esset, erat huiusmodi. Dicebāt eam comedentē in die triginta gallinas, non posse appetitionem extinguere satietate, sed adhuc alias appetere. Cùm sic ergo in ea consumerētur facultates, eius miserti qui ad eam attinebant, diuinū illum hominē obsecrant. Ille autē venit quidem & precatus est: & cùm aquæ dexteram imposuisset, & salutare efformasset signaculum, & iussisset bibere, curauit morbum: & ad eò retudit immoderatam illam appetitionem, vt deinceps parua aliqua gallinæ particula quotidie eius alendæ vsus impleret. Hic quidem morbus hoc modo est curatus. Cùm autem quædam puella thalamo adhuc contineretur, & repēte cepisset vexari à malo dæmone, accurrit pater ad diuinum hominem, orans, & vociferās, & postulans vt curaretur filia. Is autem precatus, iussit vt dæmon statim abiret à puella. Is autem dicebat se eam non sua sponte esse ingressam, sed magicis coactū præstigiis. Dicebat autem eius quoque nomen qui coegerat, & amorem esse causam incartationis. Sed cùm hæc audiisset, non tulit pater iræ impetū: nec expectauit vt curaretur puella: sed omnium magistratum summum adit, præsidem scilicet qui pluribus præerat gentibus: accusat hominem, & rem narrat. Is autem reus in iudiciū adductus, rem negabat, & accusationem nominabat calumniam. Hic autem non alium citabat resem quàm ipsum dæmonem qui

Morbus dæmoniacæ in glumici.

Signum crucis.

Dæmon magicis præstigiis inducitur in corpus puellæ.

minister fuerat incantationis: & orabat iudicē vt cur-
reret ad illum virum diuinum, & acciperet eius testi-
monium. Cū is autem diceret non esse fas nec iu-
stum vt in loco monasticæ exercitationis haberetur
quæstio: dixit pater puellæ se in iudicium ducturum
Macedonium: & currens persuasit, & duxit. Sedens
autem extra iudicium iudex, non fuit iudex, sed spe-
ctator. Magnus enim Macedonius fungebatur officio
iudicis, vtens ea quæ intus habitabat potestate. Et cū
iuberet dæmoni vt consuetum mitteret mendacium,
cum tota autem veritate rei narraret tragœdiam. Ille
à maxima adactus necessitate, & virum ostendit qui ei
magicis carminibus vim attulerat, & ancillā per quam
illa potio puellæ data fuerat. Cū autem alia quoque
pararet dicere quæ fecerat coactus ab aliis, vnus qui-
dem ædes exurens, alterius verò iumenta interimens:
alium verò aliquo alio damno afficiens, iussit homo
Dei eum silere, & statim procul recedere à puella &
ab vrbe. Ille autem tanquam Domini legi parens, fe-
cit quod iussus erat, & protinus effugit. Sic cū hanc
vir diuinus liberasset à furore, illum quoque miserum
eripuit ab accusatione, & obstitit quo minus iudex in
eum ferret sententiam capitis: non esse fas dicens vt
propter ea quæ per ipsum sunt conuicta, supplicium ca-
pitis decerneretur, sed potius per poenitentiam ei da-
retur salus. Atque hæc quidem satis sunt ad ostēden-
dam diuinę potentia copiam quæ ei data fuerat: ego
tamen alia quoque narrabo. Mulier quædam nobili
loco nata, & longè ditissima, ea autē vocabatur Affy-
ria, erat quidem emotæ mentis, ex domesticis autem

*Non est ha-
benda qua
stio iudicia
ria in mo-
nasterio.*

*Potio ma-
gica.*

*Mulier e-
motæ men-
tis sanatur.*

agno-

agnoscebat neminem: vt cibum autem & potum su-
meret ferre non poterat. Plurimo autem tēpore assi-
duè delirabat: & hoc alij quidem dicebant esse vexa-
tionem & operationem dæmonis: Medici autem di-
cebant esse morbum cerebri. Cū omnis ergo ars
esset consumpta, & ex ea nullum daretur auxiliū, eius
maritus, erat autem is Abrodianus, vir qui & erat ex
magistratibus, & magna dignitate præditus, ad diuinū
illud caput accurrens, narrauit morbum coniugis, &
orauit vt ea assequeretur curationem. Cessit vir diui-
nus: & domum quidem venit, & magno ac vehemen-
ti studio Deo obtulit orationem. Perfecta autem ora-
tione cū iussisset aquam afferri, & fecisset figuram
salutaris signaculi, iussit illam bibere. Cū autē prohi-
berent medici, vt pote quod potu aquæ frigidæ mor-
bus cresceret, expulsa tota illorū caterua, obtulit mu-
lieri potionem. Illa autem simulac bibit, ad se rediit, &
à morbo omnino liberata, diuinum virum agnouit, &
vt dextrā acciperet rogauit, oculisque eam imposuit,
& ori admouit, & deinceps semper fuit mētis cōpos.
Cū autem illud vitæ genus amplecteretur in monti-
bus, pastor quidam quærens oues errantes, venit ad il-
lum locum vbi erat homo Dei: erat autē nox profun-
da & multa nix descenderat: & vidit, vt ipse dixit, pyrā
circa ipsum accensam: & quosdā duos candida veste
indutos, igni præbentes materiam. Animi enim ala-
critatem afferens, diuino fruebatur auxilio. Quine-
tiam doni erat prophetici particeps. Et cū ad eum
aliquando venisset quidam dux, pietate & vera reli-
gione clarus, quis autem ignorat virtutem Lupicia-

*Signum cru-
cis.*

*Domū pro-
pheti.*

ni? dixit se esse de quibusdam sollicitum, qui ab vrbe regia per mare ad ipsum ferebant necessaria. Dicebat enim præteriisse quinquaginta dies, ex quo ex portu soluerant, de eis autem nihil audiuerant. Ille autem nihil cunctatus, Vna, inquit, nauis, amice, periit: altera autem postridie portum occupabit Seleuciæ. Et hoc quidem audiuit diuinam illam vocem locutam: didicit autem experientia eorum quæ dixerat veritatem. Vt autem alia prætermittam, ea narrabo quæ ad nos ipsos pertinent. Cùm mater mea vnà cùm patre meo habitasset tredecim annis, ea non fuerat facta mater filiorum: erat enim sterilis, vt quæ fructum ferre à natura prohiberetur. Et ipsa quidem id non valde ægre ferebat. Quæ enim erat in rebus diuinis erudita, credebatur hoc esse vtile: magnam autem molestiam accipiebat pater quòd careret filiis: & circumquaque cursitans, rogabat Dei seruos vt à Deo ei peterent filios. Alij ergo pollicebantur se & Deum deprecaturus, & iubebant vt esset Dei voluntate contentus. Hic autem homo diuinus est aperte professus, se vnum petiturum ab vniuersi opifice, & se petitionem accepturum est pollicitus. Cùm tres itaque anni præteriissent, & promissio finem non accepisset, rursus accessit pater promissum exigens. Ille autem iussit vt ad se mitteretur coniux. Cùm autem venisset mater, dixit ille vir diuinus, se & petiturum, & eam filium accepturam, & quòd oportet eum ei qui dederat dedicari. Cùm autem mater solum rogaret vt animam salutem acciperet, & vt liberaretur à gehenna: Præter hoc, inquit, liberalis & munificus Deus tibi da-

Mater Theodoretus præsterilis.

Theodoretus deo dicitur antequam nascatur.

bit filium. Iis enim qui purè & sincerè petunt, duplices largitur petitiones. Illinc reuersa est mater afferens promissi benedictionem. Et quarto anno à promissione concipit, & gerit vterum: & accedit ad diuinum hominem, benedictionis ostendens manipulos. Quinto autem mense à conceptione, fuit periculum abortionis. Illa autem rursus misit ad nouum suum Elisæum: vetabat enim morbus ne ad ipsum veniret: & ei reuocauit in memoriam quod nolebat fieri mater filiorum: & eius promissa adduxit in medium. Ille autem cùm procul vidisset venientem, & agnouit, & causam significauit. Noctu enim & morbum & salutem ei ostenderat Dominus. Accepto ergo baculo, venit, ei innitens: & cùm fuisset intra ædes, & pacis salutationem dedisset vt consueuerat, Bono, inquit, sis animo: nec timueris. Neque enim donum auferet is qui dedit, nisi tu pacta conuenta transilieris. Pollicita es autem te ei redditurum eum qui datus fuerit, & ei consecraturum ad diuinum ministerium. Sic autem, inquit mater, ego & opto & volo. Existimo enim vel imperfectissimum foetum esse magis expectandum quàm à Deo alienam filij educationem. Cùm itaque aquam accepisset & benedixisset, Bibe ergo, inquit, vir diuinus, hanc aquam: & senties diuinum auxilium. Bibit itaque vt iusserat, & abortionis effugit periculum. Hæc sunt nostri Elisæi miracula. Ego eius benedictionem & doctrinam sæpe percepi. Me enim adhortans, sæpe dicebat. Natus es, o fili, cùm multis laboribus. Multas noctes Deum hoc solum perpetuò rogavi, vt tui parentes hoc fierent

Macedonius nouus Elisæus.

Aqua benedicta au fugit periculum abortionis.

*Exhortatio
Macedonij
ad Theodo-
retum.*

quod te nato sunt nominati. Vide ergo vt vitam agas dignam laboribus, vt qui, antequã nascereris, promissis fueris dedicatus. Quæ sunt autem Deo dedicata, sunt omnibus venerãda, & quæ à vulgo minimè sunt cõtrectãda. Cõuenit ergo vt tu quoque malos animi motus non admittas: illa autem sola & facias & cogites quæ Deum placant virtutis legislatorẽ. Hæc mihi perpetuò suadebat vir diuinus. Ego autem & eorum quæ mihi dixit memini: & donum diuinum sum edoctus. Cùm autem non ostendam factis ea quæ mihi suasisit, rogo vt per illius preces diuinum consequar auxilium, & quod est vitę reliquũ, agam ex illius præceptis. Qualis ergo ille fuerit, & quibus vsus laboribus diuinam attraxerit gratiã, hæc quoque ad docendum sufficiunt. Accepit autem etiam in hoc mundo eius obitus dignum honorẽ laboribus. Omnes enim & ciues & externi, & quibus credita fuerat magnorum magistratuuum dispensatio, ferentes illum sacrum lectum super humeros, deportarunt in ædem martyrum victoria insignium: & cum diuinis viris Aphraate & Theodosio, sanctum illud & Deo gratum corpus deposuerunt: mansit autem gloria eiusmodi vt extinguere non possit. Nos autem imposito fine narrationi, eum qui percipi potest ex narratione bonum odorem percipimus.

*Inuocatio
sanctorum.*

*Cœmeteriũ
in Ecclesia.*

MAESYMAS.

XIII. **S**Cimus quidẽ alia quoque plurima in vrbe Antiochena resplenduisse pietatis & veræ religionis lumina, magnum Seuerum, & Petrum Ægyptium, Eutychen, & Cyrillum, & Mosem, & Malchum, & alios

quoque plurimos eadem via esse ingressos. Sed si res ab omnibus in vita gestas conaremur scribere, totum tempus nobis nõ suffecerit: maximè cùm etiam multis permultorum lectio afferat satietatem. Ex iis ergo qui scripti sunt, de eorum quoque qui sunt prætermisisti vita coniecturam facientes, prosequantur laudibus & imitentur, & vtilitatem percipiant. Ego autẽ transibo ad prata Cyri, & eorum qui in eis fuerunt fragrantium speciosorumque florum, quam maximè potero, ostendam pulchritudinem. Fuit quidam Maesymas, in iis quæ nos præcesserunt temporibus: voce quidem Syrus, & ruri educatus, & qui virtutis omne genus ostendit. Cùm autem claruisset in ea quæ est per se vita, ei cuiusdam vici cura fuit credita. Sacrificans autem, & Dei oues pascens, illa & dicebat & faciebat quæ lex iussit diuina. Aiunt autem eum neque tunicã, neque cilicium sæpe mutasse, sed iis quæ in eis fiebãt rupturis aliquot pannos consuendo, senectuti hoc modo remedium attulisse. Hospitum autem & pauperum tam alacri animo curam gerebat, vt patefaceret portas omnibus qui aderant. Dicitur enim habuisse duo dolia: vnum quidem, frumenti: alterum verò, olei. Ex his semper quidem suppeditabat omnibus egentibus: habebat autem ea semper plena benedictione quæ data est viduæ Sarephtanæ, & immissa fuerat in hæc dolia. Ipse enim Dominus omnes opes effundit in omnes eos qui ipsum inuocant: & sicut illius hydriam & guttum iussit scaturire, præbens manipulos feminum hospitalitatis: ita etiam huic viro admirabili exhibuit suppeditationem, quæ ex æquo

Prata Cyri.

*Sacrificare
& Dei oues
pascere.*

Hospitalitas.

Gratia miraculorum.

respondebat eius animi alacritati. Iam verò ad faciēda quoque miracula à Deo vniuersorum magnam accepit gratiam. Faciam autem mentionem vnus aut duorum miraculorum: reliqua autem præmittam, vt qui properem venire ad alios. Mulier quædam & genere & fide ornata, filium qui ceciderat in malam valetudinem, erat autem admodū tenera ætate, multis obtulit medicis. Arte autem superata, cū & medici desperassent, & puerum esse moriturum aperte dixissent: nō abiicit mulier spem meliorem: sed illam imitata Sumanitidem, mulis imponit cameram. Cū in ea autem se & puerum imposuisset, peruenit ad virum illum diuinum. Lamentans autem, & naturæ ostendens affectionem, rogauit vt ferret auxilium. Is autem cū puerū manibus accepisset, & aræ basi admouisset, iacebat pronus, animarum & corporum rogans medicum: & accepta petitione reddidit valentē matri filium. Ego autem id audiui ab ea quæ hoc vidit miraculum, & pueri accepit salutem. Aiunt autem illius quoque vici dominum cū venisset (is autē erat Latoius, qui Antiocheni quidem senatus primas partes tenebat, impietatis autem tenebatur caligine) & fructus acrius quam oportebat exigeret ab agricolis, diuinum illum hominem clementiam illi consuluisse, & de misericordia apud eum verba fecisse: mansisse autem illum inexorabilem, experiētia autem cognouisse secutum damnū ex eo quòd nō paruerit. Cū enim eum abire oporteret, & currus esset paratus, & sedens aurigæ iussisset vt mulas incitaret: illæ quidem trahebant totis viribus, vrgentes, & temonem aspor-

Puer curatur à gravi morbo, basi aræ admouetur.

Dominus vici acrior in exigendo mouetur à mesyma.

tare molientes: visæ sunt autem rotæ ferro & plumbo alligatæ. Cū autem agrestium quoque multitudo, rotas mouens vectibus nihil proficeret, quidam ex amicis qui Latoio affidebat, ei causam significat, dicēs sacerdotem senem eum esse execratū, & quòd oportet eum placare & reddere beneuolum. De curru itaque exiliens, ei fuit supplex quem prius respuerat: & ad eius pedes prouolutus, & sordidos pānos amplectens, rogabat vt iram compesteret. Is autē cū preces accepisset, & eas Domino obtulisset, soluit vincula rotarum quæ sub visum non cadebant, & effecit vt sicut solebat veheretur vehiculum. Porro autē multa quoq; alia huiusmodi narrāt de diuino illo capite. Potest autem ex his quoque intelligi, quòd iis qui volūt philosophari, nihil detrimenti afferat mora quæ trahitur in oppidis & vicis. Ostēdit enim hic, & qui huic similes, Dei culturæ curam gerūt, quòd etiam qui versantur in media hominum multitudine, peruenire possint ad ipsum virtutum fastigium. Cuius ego vti nam ad aliquam saltem partem exiguam sustollar, eorum adiutus precibus.

ACEPSEMAS.

ACepsemas fuit eodem tempore, cuius fama latè sparsa est per orientem. Is cū in domuncula seipsum inclusisset, sexaginta annos transegit, neque videns, neque loquens: sed in seipsum conuersus, & Deum visione apprehendens, illinc omnem accipiebat consolationem, conuenienter prophetiæ quæ dicit. Delectare in Domino, & ora eum, & ipse dabit tibi petitiones cordis tui. Per exiguam autem

Sanctorum preces.

XV. Huius meministi idem Theodoretus lib. 4. historia ecclesiastica.

Psal. 36.

quandam fossam manum porrigens, accipiebat id quod afferebatur nutrimentum. Fossa autem non ita effossa fuerat vt omnino tenderet in directum, ne esset ex aduerso eorum qui vellent ipsum videre, sed erat obliqua, & ita constructa vt esset instar incuruæ lineæ. Ei autem afferebatur cibus, lens aquæ madefacta. Semel autem in hebdomada noctu egrediens, hauriebat ex fonte propinquo quantum satis erat aquæ: & cum aliquando quidam pastor procul oues pascens, in tenebris vidisset eum moueri, & eum cōieciisset esse lupum: ibat enim incuruus, vt qui multo esset ferro grauatus: mouit fundam tanquam iaculaturus lapidem. Cum autem eius manus longo tempore maneret immobilis, & lapidem non posset emittere donec vir ille diuinus hausta aqua reuersus est, sensit ignorantiam: & post auroram venit ad virtutis gymnasium: & narrat quod acciderat, & petit veniam, & accipit delicti remissionem: non audita voce loquente, sed per manus motiones intellecta placatione. Quidam autem alius, vsus quodam maligno inuestigandi studio, & scire desiderans quid toto tempore ageret perpetuò, ausus est conscendere platanū, quæ sita erat iuxta fossam: sed percepit illico fructus suæ audaciæ. Media enim parte corporis vsq; ad pedes exsiccat, supplex erat, suum peccatum accusans. Ille verò, secta platanu prius significauit futuram sanitatem. Ne enim alius quoque cum similia fecisset, pœnas lueret similes, arborem iussit excindi. Arboris autem sectionem secuta est etiam ablatio supplicij. Tanta quidem fortitudine & tolerantia vsus est hic

Manus miraculose immobilis.

Curiositatis pœna.

vir

vir diuinus: ab Agonotheta autem tãtam accepit gratiam. Cum autem se abhinc migrandum pararet, prædixit quòd post quinquaginta dies vitæ finem esset accepturus: excepit autem omnes qui vellent eum videre. Cum autem ecclesiæ quoque venisset Antistes, eum quidem vrgebat vt iugum acciperet presbyteri, Noui, dicens, ô pater, & tuæ philophiæ altitudinem, & quanta sit mea paupertas. Sed cum mihi sit credita pontificatus administratio, ex hac non ex illa ordino manus imponens. Accipe ergo, inquit, donum sacerdotij mea quidem dextera ministrante, sanctissimi autem spiritus gratia suppeditante. Ad hæc fertur dixisse paucis post diebus hinc migraturus, De his, inquit, minimè decertabo. Si enim essem diutius victurus, omnino fugissem hoc graue & terribile onus sacerdotij, pertimescens reddendam depositi rationem. Quoniam autem non ita diu abhinc recedam iis quæ hic sunt relictis, iussis non inuitus pareo. Statim ergo nullo ducente, hic quidem flectens genua, expectabat gratia: ille verò manum imponens, erat administer spiritus. Cum autem accepto sacerdotio vixisset paucos dies, vita vitam mutauit: senijque & curæ expertem, pro hac quæ multis curis est obnoxia, accepit. Cum vellent autem omnes corpus rapere, & in animo haberent vnusquisque in vicum suum transferre, quidam cum sancti iusiurandum significasset, sustulit contentionem. Dixit enim sanctum eum iureiurando adegisse, vt eum in hoc loco traderet sepulturæ. Ita etiam post mortem, frugalitatis & simplicitatis curam gerebant ciues coelorum: & neq; cum viue-

Prædicit Accipiens diem mortis suæ.

Onus sacerdotij grauißimum.

Corpus defuncti quifque sibi vè dicare mittitur.

ZZ

*Sancti veie
cerunt hono
rem, quem
tamen Deo
donate, af-
secuti sunt.*

bant, in animū vnquam induxerunt vt eis res vlla ma-
gnos spiritus faceret, & mortui non sunt amplexi ho-
norem hominum: sed totum amorem transtulerunt
in sponsum: non secus ac pudicæ mulieres, quæ à solis
coniugibus student & amari & laudari, laudes aliorū
contemnent. Ea de causā sponfus eos etiam si no-
luit, reddit claros & insignes, & hominum gloria ex
redundanti quadam copia impertit. Cū enim quis
diuina perfequens, petit cœlestia, vnā cum illis multa
quoque alia adiicit, multiplicatas largiens petitiones.
» Hoc etiam dixit in ferendis legibus. Perite regnū Dei
» & iustitiam, & cætera omnia adiiciētur vobis. Et rur-
» sus, Qui reliquerit patrem & matrem & fratres & fi-
» lios propter meum euangelium, etiam in hoc seculo
» centuplum accipiet, & in futuro erit hæres vitæ eter-
» næ. Hæc & dixit & fecit. Nobis quoque adsit & ser-
» mone & opere eruditis, & eorum precibus innixis,
tanquam scopum, attingere præmium supernæ voca-
tionis, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

M A R O.

XVI.

MAronis post hunc meminero. Nam is quoque
diuinum sanctorum chorum exornauit. Eam e-
nim quæ sub dio fit vitam amplexus, occupauit quod-
dam cacumen quod in honore habebatur ab iis qui
erāt olim impij: & cū quod in eo erat templum dæ-
monum Deo consecrasset, in eo est versatus, paruo
quodam in eo fixo tabernaculo, quo tamen rarò est
vsus. Non solum autem consuetis vsus est laboribus,
sed etiam alios excogitauit, accumulans opes philo-
sophiæ. Agonotheta autem mensus est gratiam eius

laboribus. Liberalis enim & munificus Deus: ei tam
copiosè dedit donum curationum, vt in omnes qui-
dem partes eius gloria peruaserit, omnes autem vn-
dique attraxerit, & experientia docuerit eam famam
esse veram. Videre enim erat & febres extinguere rore
benedictionis: & horrorem cessare: & dæmones fu-
gere: & varios omnisque generis morbos vno curari
medicamento. Medici enim vnicuique morbo exhibent
conueniens medicamentum. Sanctorum autem
deprecatio est commune omnium morborum reme-
dium. Non solum autem medebatur ægri tudinibus
corporis, sed etiam animis conuenientem exhibebat
curationem: huius quidem auaritiam, illius verò cu-
rans iracundiam: & vni quidem exhibens doctrinam
moderationis: alteri verò disciplinam iustitiæ: & illius
quidem castigans intemperantiam, illius verò exci-
tans hebetudinem. Hac vtēs agricultura, effecit mul-
tas plantas philosophiæ: & ortum qui nunc germinat
in regione Cyri, ipse Deo plantauit. Huius plantatio-
nis opus est magnus Iacobus, ad quem quispiam vo-
cem illam traxerit propheticam, Tanquā cedrus quæ
est in libano multiplicabitur: & etiā alij omnes, cuius
seorsum, si Deus velit, faciam mentionem. Sic au-
tem agriculturæ diuinæ curam gerens, & animas si-
mul curans & corpora, paruum passus ægri tudinem,
vt & naturæ imbecillitatem & animi discamus forti-
tudinem, ipse quidem excessit è vita: Acre autem bel-
lum inter vicinos exortum est de corpore. Ex fini-
timis autem quidam vicus populo frequentissimus,
cū toto simul coacto populo aduenisset, alios

*Miraculorū
operatio.*

*Orationes
sanctorum.*

Psal. 91.

*Pro defunctis
corpore cō-
tenditur.*

quidem fudit ac fugauit: maximè autem expetendum illum rapuit thesaurum: & maxima æde extracta, ea quæ ex eo percipitur vtilitate fruuntur in hodiernum diem: publico ac celebri festo illum insignem victorem honorantes. Nos autem etiam absentes fruimur benedictione. Nobis enim pro monumento sufficit memoria.

*Memoria
sanctorum
miracula.*

ABRAAMES.

XVII.
*Huius quo
que memi-
nit Theodo-
retus lib. 4
historiæ ec-
clesiasticæ.*

Nec admirabilis Abraamis memoriam fas est prætermittere, hoc prætextu, quòd post vitam monasticam Pontificiæ sedi fuerit ornamento. Nam hoc quidem certè nomine iure fuerit dignior qui cõmemoretur, quòd institutum vitæ mutare coactus, vitam non mutauerit: sed cum monasticæ exercitatio- nis transierit afflictione: & simul monasticis laboribus & curis Pontificalibus circumfessus, vitæ cursum peregerit. Porrò autem est hic quoque fructus Cyri regionis. Hic enim & natus & educatus, collegit o- pes virtutis monasticæ. Qui enim simul cum eo ver- sati sunt, dicunt eum & vigilando & stando & ieiunã- do ita corpus edomuisse, vt longissimo tempore per- manserit immobilis, minimè valens ingredi. Diuina autem prouidentia liberatus ab illa imbecillitate, vo- luit graua pati pericula pro diuina gratia. Venit autè in Libanum, cùm didicisset vicum quendam teneri magna impietatis caligine: & persona mercatoris vultu celato monastico, cum iis qui simul versabantur ferens canistros tanquam nuces empturus: hunc enim fructum præcipuè ferebat vicus, cùm domum conduxisset, & aliquantum pecuniæ prærogasset

*Abraames
simul mona-
chus & pö-
tifex.*

*Personam
mercatoris
induit mo-
nachus, vt
alios lucrifaciat.*

possessoribus, quieuit quidem tres & quatuor dies. Deinde paulatim diuinum aggressus est officiũ, vtens voce moderata. Postquam autem senserunt psalmodias, Præco quidem clamauit, & omnes conuocauit. Erant autem simul congregati & viri & pueri & mulieres: & con fractis extrinsecus foribus, desuper ex recto multũ puluerem cõgerentes deiiciebant. Postquam autem eos viderunt suffocari & obrui, & nec aliquid aliud velle facere nec dicere, sed solũ Deo preces offerre, seniorum monitu destiterunt ab insania. Deinde apertis foribus cùm eos euulcissèt ab aggere, iusserunt eos statim abire. Sed eodem tempore venerũt exactores qui eos vectigalia cogebant exol- uere. Et alios quidem ex iis vinciebãt: alios verò per contumeliam afficiebant verberibus. Sed vir ille diui- nus, nullius ex iis quæ in ipsos facta erant recorda- tus, Dominum imitans, qui cruci affixus, eorum qui hoc fecerant curam gerebat orauit illos exactores vt moderatè ac clementer exigerent. Cùm autem fide- iussores requisissent, sua sponte suscepit fideiussio- nem: & paucis pòst diebus centum aureos se daturum est pollicitus. Qui autem graua illa eis fecerant, valde admirati viri benignitatem, de iis quidè quæ ausi fue- rant petunt veniam: rogant autem vt ipse fiat eorum præses, neque enim habebat vicus Dominum: erant autem ipsi & Agricolaë & Domini. Centũ autem au- reos, cùm venisset in ciuitatem, est autem ei nomen Emefa, & notos aliquos inuenisset, accepit mutuo. Deinde in vicũ reuersus, die præstituto implet quod promiserat. Cùm hoc eius vidissent studiũ, vehemen-

*Ecclesiæ
edificatio.**Sacerdos in
Ecclesiæ.**Modus in
exhortando*

tius id ab eo contendunt. Cùm is autē se id facturum esset pollicitus, si se pollicerentur ædificaturos ecclesiā, rogarunt vt statim aggredērētur: & deduxerunt beatum virum, aptiora loca illi indicātes: & vnus quidem hunc, alius verò locum illum laudabat. Cùm autem meliorem elegisset, & fundamēta iecisset, tectum breui tempore imposuit. Cùmque finem accepisset ædificium, iussit vt admitterent sacerdotem. Cùm autem dicerent se nullum alium electuros, & rogarēt vt eum haberent & patrem & pastorem, accipit gratiam sacerdotij. Postquam autem cum eis versatus est tres annos, & eos pulchrè deduxit ad res diuinas, cùm effecisset vt vnus ex eis qui simul erant, vice sui præficeretur, ad monasticum rediit habitaculū. Et ne, si omnia illius narrē, prolixiori vtar narratione, cùm in his resplendisset, fit Carrarum pontifex. Erat autem ea quidem ciuitas circumsessa ab ebrietate impietatis, & seipsam dederat debacchationi dæmonum. Sed cùm esset dignata huius agricultura, & accepisset ignē huius doctrinæ, permanfit quidem libera à prioribus sententiis: nunc autem vberem profert segetem spiritus, maturarum frugum Deo offerēs manipulos. Sed non sine labore vir diuinus hanc exerceuit agriculturā: sed laboribus vtens innumerabilibus, & eorum qui corporibus medentur artem imitās, partim quidem dulcem adhibens adhortationem, partim verò acris vtens medicamentis: nōnunquam verò & vrens & scās, effecit hanc sanitatem. Doctrinæ autē & alij eius diligentia vitæ quoque lumina suffragabantur. Illis enim illuminati, & audiebant ea quæ dicebantur, &

ea quæ fiebant lubenter accipiebant. Toto enim tempore quo fuit Antistes, ei quidem fuit panis superuacaneus: aqua quoque superflua: inutilis autem lectus, & superuacaneus vsus ignis. Noctu enim quadraginta hymnos, quos inter se inuicem loquēdo & respondendo dicunt, implebat, earum quæ intercedunt precum duplicans numerum: reliquum autem noctis in sede sedebat, concedens palpebris vt aliquantulum quiescerent. Atque quòd non in solo quidē pane viuunt homo, dixit quidem cōtemplator Dei Moses: meminit: autem huius quoque vocis Dominus, prouocationem diaboli recusans. Quòd aurē etiam sine aqua viuui possit, à nullo loco diuinæ scripturæ didicimus. Etenim tantus ille Elias primum quidem ex torrente aquam hausit. Deinde etiam cùm ad viduā accessisset Sareptanam, sibi primum iussit aquam afferri, deinde panem. Sed hic vir admirabilis, toto tempore pontificatus, neque panem, neque legumina, neque olera quæ igni appropinquassent comedit: neque aquā bibit, quæ ab iis qui in his rebus sibi docti sunt visi, propter vsus existimata est prima ex elemētis: sed lactucas, intyba, & apia, & similia, cibum ducebat & potum, pitiorū & coquorum artes ostendēs superuacaneas. Tēpore autē autumnii, fructus ei illū vsus implebant. Hæc autē sumebat post officii vespertinū. Cùm corpus autē talibus cōsumeret laboribus, in aliorū cura gerēda erat infatiabilis. Adueniētibus enim hospitibus erat & torus paratus: egregius autem & selectus panis eis offerebatur, & vinum odoriferum: piscēsque & olera, & quæcunque sunt eis coniuncta. Quinetiā

*40. hymni
nocturni.**Matth. 4.**Quis videt
Abraamis.**Officiū ve-
spertinum.*

*Hospitali-
tas egregia
eius qui sem-
per ieiuna-
bat.*

*Iudiciū re-
tū & iusti-
cia Abraa-
mis.*

*Cilicium
purpura Im-
periali præ-
stantius.*

*Maior laus
& honor
sanctorum
post mortē.*

ipse quoque meridie assidebat conuiuantibus, eorum quæ apponebātur partes vnicuique offerens, & dans vnicuique calices, & iubens bibere, & eum qui erat eiusdem secum nominis imitans, patriarcham inquam qui ministrabat quidem hospitibus, sed nō simul conuiuabatur. Interdiu autem versans in iudiciis eorum qui inter se litigabant & decertabant, aliis quidem persuadebat vt inter se inuicem reconciliarentur: alios autem cogebat, qui leni & māsuetæ doctrinæ non parebant. Nullus autem iniustus recessit sua audacia aduersus iustum victoria potitus. Ei enim qui iniuria afficiebatur iusti partem semper addens, reddebat eum inexpugnabilem, & eo qui volebat iniuriā facere superiorem. Similisque erat optimo medico, qui semper prohibet eos humores qui redundāt, & procurat vt sit inter materias æqualitas. Hūc quoq; desiderauit videre Imperator. Est enim allata fama, quæ facile omnia quæ bona sunt & quæ mala significat: & ad se accersuit, & veniens salutauit & excepit: & agreste illud cilicium sua purpura existimauit præstātius. Iam verò reginarum quoque chorus eius & manusprehendit & genua: virūque rogabāt qui nec exaudire quidē poterat linguam Græcam. Ad eō & regibus & omnibus hominibus res honore & reuerētia digna videtur philosophia. Quinetiā vbi obierint ij qui eius sunt amatores & sectatores, maiorem assequuntur gloriam. Et potest quidem hoc sciri etiam ex multis aliis, sed vel maximè quidem ex iis quæ diuino huic viro acciderūt. Postquam enim obiit, & hoc resciiuit Imperator, voluit quidem eum deponere in aliqua æde sacra: cū autem

autem intellexisset pium esse & honestum vt gregibus redderetur corpus pastoris, ipse quidem & id deduxit præcedens, & reginarum chorus consequens, omnēque & magistratus, & qui ab iis regebatur, populus, militēsque & priuati. Tanto studio eum accepit & ciuitas Antiochi, & quæ eam sunt cōsecutæ, donec peruenit ad magnum illum fluuium. Ad ripam autem Euphratis concurrebant quidem ciues: & concurrebant etiam hospites; concurrebant etiā rustici. Quinetiam finitimi festinabant ad fruendū benedictione. Lectum autem multi sequebātur lictores, eos percutiendo terrentes qui corpus veste nudare conabantur, & cupiebant illinc pānos sumere. Et licebat audire alios quidem psallentes: alios verò lamentantes. Alia enim deflens eum vocabat præsidem: alia verò altorem: alia autem pastorem & magistrum: & alius quidem lachrymans nominabat patrem: alius verò adiutorem & curatorem: & cum tot laudibus & lamētationibus sanctum illud & sacrum corpus sepulchro mādauere. Ego autem admiratus quòd cū vitæ mutasset institutum, vitam non vnā cōmutauerit, neque dum esset Antistes, remissum ac solutum vitæ genus sit amplexus, sed exercitationis monasticæ labores adauxerit, eum recensui in historia monachorum: nec recessi ab eo qui ei placuit ordine, benedictionem quoque ab eo desiderans.

EUSEBIVS.

PRius dictis sanctis magnum quoque addam Eusebium, qui non longo quidem abhinc tempore est mortuus. Cū multis autem annis vixisset, tempo-

*Imperator
& reginæ
adsumi exce-
quitis & su-
neri Abraa-
mis.*

*Pānia braa-
mis vita sū
& omnibus
precosi.*

*Laudes
Abraamis.*

XVIII.
*Huius me-
minit Theo-
doretus lib.
4. historia
ecclesiasti-
ca.*

ri quidem æqualem sustinuit laborem: labori autem æquale simul delegit virtutē. Multiplex autē lucrū ex eo retulit. Magnitudine enim remunerationum Agnotheta superat certamina. Hic ergo cum primò aliorum fidei sui curā credidisset, quo illi ducebāt, ducebātur: erāt enim ipsi quoque viri diuini virtutis que athletę & exercitatores: & cū aliquo tēpore cū eis esset versatus, & bene rectęque philosophiæ accepisset scientiam, vitā monasticam est amplexus: & cū quoddam dorsum mōtis occupasset, imminet autem ei vicus maximus, quem nominant Asicham, fossa solummodo facta, & lapidibus ne luto quidem coniunctis, sub dio reliquam transegit vitam seipsum affligēs, veste quidem opertus pellicea, cicere autem & fabis aqua madefactis se nutriens. Quinetiā aliquando quoque vescebatur caricis, sic vteunque conans sustentare imbecillitatē corporis. Cūque ad summā peruenisset senectutē, vt etiā dentes plurimos amisisset, neque mutauit cibū, neque habitationē. Sed & cū hyeme congelaretur, & æstate vreretur, fortiter ferebat contrarias qualitates aëris, faciem quidē habens corrugatam, ar e facta autem omnia mēbra corporis. Tam multis autē corpus consumpsit laboribus, vt ne zona quidem maneret super lumbos, sed caderet inferius: nihil enim erat quod vetaret: nā & clunes, & coxendices consumpti erant, & zonæ facilem descensum præbebant ad inferiora. Zonam itaque adsuit tunicæ, hac ratione vt staret excogitans. Egre ferebat autem conuersari cum multis. Nam cū diuinam contemplationem visione assiduè apprehenderet, mentem

Asicha vicus.

Vestis pellicea.

Mira viri mortificatio.

ab ea nolebat abstrahere. Sed tamen etsi esset amore tam vehemēti præditus, permittebat aliquibus ex notis, vt id quod portam obstruebat auferrent, & intrarent: & cū eis exhibuisset doctrinam ex diuinis eloquiis, iubebat rursus abeūtes portæ lutum imponere. Verū cū omnino satius existimasset etiam cum paucis vitare congressionem, aditum omnino obstruxit, illi portæ maximo admoto lapide. Per quandam autem fossam colloquebatur quidem cum paucis ex familiaribus, sed non videbatur. Sic enim prouiderat. Illinc autem illud quoque exiguū accipiebat nutrimentum. Rursus autē cū omnibus colloqui denegasset, me solū dulci illa & Deo grata voce dignabatur: & abire volentem me sæpe detinebat, de rebus differens cœlestibus. Cū multi autē ad eum venirēt & postularēt donū benedictionis & eūm ægrè ferret tumultū, nec senectutē considerans nec vrgentem reputās imbecillitatem, trāsilit fossam quę nec à robustis quidem & valentibus facile transiri poterat: & cū ad quandam propinquam venisset monachorū classē, parua rursus fossa acta ad muri angulum, cū consuetis decertabat laboribus. Huius autem gregis præfectus, vir omni virtute plenus, dixit eum cum comedisset quindecim caricis, transegisse septem hebdomadas sancti ieiunij. Hoc autem subiit certamen, cū vixisset plus quàm nonaginta annos, imbecillitate autem quę narrari non potest esset affectus. Sed imbecillitatem superabat animi alacritas: & Dei amor omnia facilia reddebat & expedita. Cū hic talibus circumflueret sudoribus, peruenit ad metam cursus, &

Theodoretus audiit Eusebium.

Quadragesima.

Agonothetam videns, & coronam desiderans. Ego autem rogo vt illam consequar intercessionem quam huc vsque percepi dum esset adhuc superstes. Credo enim eum viuere, & habere puriorem ad Deum fiduciam.

S A L A M A N V S.

xix.

Caperfana
vicus.

ME virtuti iniuriam facere arbitratus, si admirabilis Salamani vitam posteris non significauero sed obliuione obrutam neglexero summatim afferam narrationem. Est quidam vicus ad occidentem fluuij Euphratis, ipsi ripæ imminēs, vocatur autem Caperfana. Hic ex eo ortus, cū vitā amplecteretur quictā & in vico qui est ex aduerso paruā inuenisset domunculam, seipsum in ea inclusit, nec ostio relicto, nec fenestra. Semel autem in anno terrā fodiens, accipiebat totius anni nutrimentū: cum nullo vnquā homine loquens. Idque facere perseuerauit, non paruo tempore sed longissimo. Porrò autem pontifex ciuitatis cuius erat is vicus, cū viri didicisset virtutem, accessit, volens ei dare donum sacerdotij: & domunculæ perfossa aliqua parte est ingressus: & manum imposuit, & peregit precationem: & sæpe quidem ei dixit, & quæ ad eum aduenerat gratiam significauit. Cū nullam autem vocem audiisset, abiit iubens vt fossa rursus ædificaretur. Aliquando autem rursus qui erant illius vici ex quo erat profectus, cū noctu fluuium traiecissent, & domum perfodissent, eum accipientes nec resistentem nec iubentem, in suum vicum exportarunt: & cū talem ad orientem construxissent domunculam, eum protinus incluserunt. Ille autem

Donum sacerdotij.

similiter quietem agebat cum nullo loquens. Paucis autem post diebus, qui erant illius vici qui est ex aduerso, cū noctu rursus aggressi essent, & domum perfodissent, ad se abduxerunt, neque contradicentē, nec vt maneret vrgentem: neque rursus prompto & alacri animo recedentem. Ita seipsum omnino mundo mortuum constituit, & Apostolicam illam vocem verè loquens, dicebat. Cum Christo sum crucifixus. Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Christus. Quod autem nunc viuo in Christo, in fide viuo filij Dei qui me dilexit, & pro me seipsum dedit. Talis hic quoque fuit. Sufficiunt enim hæc ad ostēdendum totum eius vitæ institutū. Ego autem cū benedictionem ab eo quoque percepero, ad alium transibo.

Galat. 2.

M A R I S.

EST Homeri quidam vicus qui à nobis vocatur Netis. Cū apud eum paruam quandam domunculam ædificasset diuinus Maris, in ea permansit inclusus triginta & septem annis. Ex monte autē propè fito ea suscipiebat multum humoris. Tempore autem hyemis quædam quoque guttæ aquæ in ea emanabāt. Quantum autem hinc damni oriatur corporibus, sciunt & ciues & rustici. Nam iis quoque qui in agris habitant manifesti sunt morbi qui ex eo nascuntur. Sed tamen ne hæc quidem sacro illi capiti persuaserunt, vt mutaret domunculā: sed fortiter & constanter permansit donec cursum confecerit. Quinetiam priorem quoque vitam trāsegit cum virtutis laboribus: vnde & corpori & animæ cōseruauit castitatem:

xx.
Netis Vi-
cus.Maris non
mutat do-
munculam
etiam male
sanam.

*Dies festi
martyrum.*

idque ipse mihi aperte significauit, docens sibi mansisse corpus integrum & incorruptum, & quale egressum fuerat ex materno utero, idque cum multos quidem dies festos martyrum celebrasset cum esset adulescens, vocis autem bonitate demulisset populum. Nam & plurimo tempore perseuerauit psallere, & fuit insigni pulchritudine corporis. Sed tamen nec species corporis, nec vocis claritas, nec quæ ei cum multis intercedebat congressio, animæ pulchritudini aliquid detrimenti attulit: sed viuens similiter atque ij qui sunt inclusi, suæ curam gerebat animæ. Virtutem autem auxit quoque laboribus quos sustinebat inclusus. Ego huius sæpe usus sum consuetudine. Iussit enim mihi aperire ostium. Quinetiam complectebatur me venientem: & de philosophia fusa, prolixaque utebatur oratione. Porro autem hic quoque fuit simplicitate insignis, & varios mores omnino abhorrebat. Inopiam autem magis dilexit quam summas copias. Nonaginta autem annos natus, utebatur vestibus contextis ex villis caprinis. Panis autem & parum salis nutrimenti eius usum implebant. Cum autem longo tempore desiderasset videre offerri spiritale & mysticum sacrificium, rogauit ut diuini domini illic fieret oblatio. Ego verò lubenter parui: & iussi sacra vasa afferri, pagus enim haud longè aberat: & pro altari usus diaconorum manibus, mysticum, diuinum, & salutare obtuli sacrificium. Ille autem omni spiritali implebatur voluptate, & existimabat seipsum coelum videre: dicebatque se nunquam tantam cepisse lætitiā. Ego autem cum ab eo valde

*Vestis ex
villis capri-
nis.*

*Eucharisti-
am Theo-
doretus co-
fecit in ma-
nibus dia-
conorum.*

fuerim dilectus, putauit me & ei iniuriam esse facturum si non etiam mortuum laudauerim, & aliis, si non hanc optimam philosophiam eis proposuerim imitandam. Cum itaque nunc orauero ut eius consequar auxiliū, imponam finem narrationi.

*Hunc vidit
Theodore-
tus.*

IACOBVS.

Quoniam eorum qui iam sunt victores declarati, virtutis athletarum, certamina recensuimus, summatim narrantes & quos in meditando suscipere labores, & quos in certaminibus perpeffi sunt sudores, & longè clarissimas & maximè insignes victorias: age eorum quoque qui adhuc sunt superstites, & magnificè decertant, & contendunt priores vincere sudoribus, vitæ instituta conscribamus, & posteris vtilem relinquamus memoriam. Quomodo enim eorum qui olim resplenduerunt, sanctorum, vitæ institutum, posteris maximam attulit utilitatem: ita iis qui nos consequentur erunt exemplaria eorum narrationes. Initium autem ducam à magno Iacobo. Is enim & tempore & labore est prior aliis: & qui eum sunt emulati, faciunt admirabilia & quæ sunt præter opinionem. Vsuuenit autem nescio quomodo, ut & eorum qui excefferunt, & eorum qui adhuc sunt superstites, hoc sit primum nomen. Etenim quando narraui eorum vitæ institutum, initium sumpsit à diuino illo Iacobo, qui Persicum illum exercitum fudit suis precibus: & cum corruissent urbis murorum ambitus, neque permisit urbem capi, & coegit fugere aduersarios, cum in eos misisset exercitum muscarum & culicum. Qui ergo illi simile nomen est sortitus, & est ei similis moribus, sit pri-

xxi.

*Quid proste
historia
sanctorum.*

*Maro in-
clytus ab-
bas.*

*Cœlum pro
tecto.*

*impatibi-
litas.*

2. Cor. 10.

mus in ordine athletarum qui adhuc sunt superstites, nō quoniam eiusdem est nominis particeps, sed quoniam est illius virtutem æmulatus: & fuit ipse aliis exemplar philosophiæ. Nam cū simul cum inclyto illo Marone esset versatus, & eius diuinæ fuisset doctrinæ particeps, obscurauit præceptorem maioribus laboribus. Ille enim & murorum tegumentum habuit templum veteris erroris, & ex pellibus contextum fixit tabernaculum: & eo vtens, imbris & niuis effugiebat impetus. Hic autem his omnibus valere iussis, & tabernaculo, & tugurio, & murorum tegumento, pro tecto habet cœlum, contrarios omnes aëris impetus sustinens: nunc quidem pluuia vehemēti obrutus, nunc autem glacie & niue congelatus: aliquando autem radiis solis tostus & exustus: & aduersus omnia se fortiter & constanter gerens, & tanquam in alieno certans corpore: & cōtendens vincere naturam corporis alacritate animi. Mortali enim hoc & patibili corpore indutus, vitam agit tanquam impatibilis: & vitam incorpoream in corpore meditans, clamat cū beato Paulo. In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Arma enim nostra non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munimētorum, destruentes cogitationes & omnem altitudinem quæ se extollit aduersus Dei cognitionem, & captiuantes omnē intellectum ad Dei obedientiam. Sed hæc quidem certamina quæ sunt super naturam, in minoribus se exercendo laboribus est meditatus. Nam cū in parua quadam domuncula se prius inclusisset, & ab externis tumultibus animam liberasset, & recordationi

tioni Dei mentem afflixisset, sic perfectam & absolutam meditabatur virtutem. Cum autē se optimē exercuisset, & bonis laboribus animā affuefecisset, maiora ausus est aggredi certamina: & cum ad hunc montem peruenisset, qui triginta stadiis distat ab hac vrbe, eum reddidit illustrem & venerandum, qui erat olim obscurus & penitus infertilis: nunc autem creditur tantam accepisse benedictionem, vt terra quæ est imposita consumatur, omnibus qui vndique adueniunt, ad vtilitatem eam exportantibus. In eo vitam agens certitur ab omnibus accedentibus, non habens, vt dixi, speluncam, non tabernaculum, non tugurium, non fossam, non sepem quæ eum circundet ac muniat: sed videtur orans & quiescens: & stans & sedens: & sanus & cum aliqua tenetur ægritudine: adeo vt assiduē presentibus decertet spectatoribus, & naturæ expellat necessitates. Neque enim aliis hominibus qui sunt ingenuè vtcunque educti, externis presentibus est facile excrementa egerere, nedum viro in summa philosophia exercitato. Et hæc dico, non vt qui ab aliis didicerim, sed qui ipse viderim. Nam cum quatuordecim ab hinc annis in grauem morbum incidisset, affecit quidem, vt par est, eum qui est mortali corpore præditus. Erat autem æstus vehemens, & flamma radiorum ardebat vehementius, cū sopiti quidem essent venti, aer autem maneret immobilis. Erat autem morbus inundatio flauæ bilis quæ deorsum ferebatur, & mordebat ac comprimebat intestinū, & cogebat extra egredi. Tunc magnā vidi tolerantiam. Nā cū multis vicis congregati essent homines, vt gloriosum

*Iacobus
morbo affi-
citur.*

Mira hominis constantia & patientia.

hoc corpus salutarerent, sedebat in duas partes distractus. Nam natura quidem vim afferebat ut iret ad excernendum: pudor autem eius que aderat multitudinis, cogebat eum manere in eodem statu & habitu. Ego autem hoc sciens, cum eis qui conuenerant, partim multis egi adhortationibus, partim etiam minis, abire iubens: postremò autem eos implicauit vinculis sacerdotij: & non sine maximo labore vespere tandem amandauit. Ille autem vir diuinus, ne cum ij quidem abcessissent, victus est à natura: sed perstitit tolerans, donec accedens nox profunda coëgit omnes domum recedere. Rursus autè die sequenti cum ad eum venissem, ut vidi æstum euasisse vehementiorem, & qua laborabat, febrè igne extrinsecus allato nutriri & augeri, prætexens dolorem capitis, dixi me ægrè ferre vim solis radiorum: & rogavi ut mihi aliquam modicam apud se umbram expanderet. Qui postquam iussit, tribus fixis arundinibus, & iis duobus impositis ciliciis, umbram adinuenimus. Cum autem iuberet me ingredi. Turpe est, inquam, ò pater, ut ego qui sum & iuuenis & valens viribus, hanc assequar consolationem: tu autem qui & vehementi febre teneris, & opus habes tali consolatione, foris fedeas excipiens impetum radij solaris. Si vis ergo, inquam, me umbra frui, sis mihi socius modici huius tabernaculi: nam tecum quidem volo manere: sed prohibet radius. Cessit itaque his verbis auditis: & meum accepit remedium. Et quoniã umbra fruebamur communiter, cepi rursus alium sermonem afferre: & dixi, Opus est ut accumbam, cum coxendix non citra molestiam pariatur sessionem. Sed rursus rogabat qui-

Vincula sacerdotij comminationes excommunicationis.

Theodoretus nititur optimo patri persuadere ut aliqua consolatione morbi violentiam expungat.

dem ut accumberem: ei autem contrà respondi, non esse tolerandum ut ego decumberem videns eum sedentem. Si vis ergo, inquam, me quoque frui hac quiete, communiter accubamus ò pater. non erubescam enim solus decumbens. Cum talibus verbis decepissim eius tolerantiam, ei accubitus exhibui solatium. In solo autem iacenti suaues adhibui sermones, traducens ad animi iucunditatem. Manu autem immissa intra vestem, tentabam eius dorsum moderatè abstergere: tunc vidi magnum ferri pondus, quod & lumbos alligabat & collum. Iam verò aliã quoque catenã à circulo qui erat circa collum, duã quidem antè, duã verò ponè, ad inferiorem circulum obliquè pertinentes, & litteræ X figuram efficientes, antè & ponè duos circulos colligabant. Iam verò manus quoque interius circa cubitos talia quoque alia habebant vincula. Cum ergo aspexissem onus ponderis multorum talentorum, obsecraui ut opem ferret corpori laboranti, quòd non poterat simul ferre & onera voluntaria, & inuoluntariam ægritudinem. Nunc quidem, inquam, ò pater, febris fungitur officio ferri. Cum ea autem cessauerit, tunc rursus corpori imponemus laborem qui ex ferro capitur. Hoc quoque concessit multis delinitus eiusmodi carminibus. Sed tunc quidem cum paucis ægrotasset diebus, facillè conualuit. Postea autem cum in morbum incidisset grauiorem, multi autem ut corpus raperent multis ex locis conuenissent, audientes id ciues, concurrerunt omnes & milites & priuati: illi quidem sumptis armis militaribus: hi verò, armis vtentes quibuslibet.

Magnum ferri pondus ferebat B. Iacobus.

Cõcurrunt ut quisque rapiat corpus sancti Iacobi.

Densa autem & instructa acie pugnare cœperunt, tela emittentes, & fundis lapides torquentes: nō vt percuterent, sed solum vt terrerent: & sic expulsis accolis, victoriis insigni Athleta lecto imposito, qui nihil sentiebat eorum quæ fiebāt, nam nec cū coma eius à rusticis velleretur, senserat, venerūt in urbem. Cū in ædem autem venissent Prophetica, in monasterio ei propinquo lectum deposuerunt. Venit autem quidam Berhocam, illic enim tunc eram, ea quæ facta fuerant significans, & nuncium mortis afferens. Cū itaque statim cucurrissem, & totam noctem in itinere consumpsissem, post auroram offendi hominem, neque loquentem, neque vllum ex iis qui aderant potentem agnoscere. Postquam autem eum sum allocutus, & nomine magni Acacij ei dixi salutem, statim & aperuit oculos, & rogauit quomodo se haberet: & quando venissem est percontatus. Cū autem ad hæc respondissem, rursus clausit oculos. Cū verò tres dies præteriissent, vespere rogauit vbinam esset. Cū autem resciuisset, ægrè tulit, & rogauit vt statim rursus referretur in montem. Cū autem vellem eum perpetuò obseruare & ei inseruire, iussi mox ferri lectum, & deferri in locum quem cupiebat. Tunc vidi quātōpere ab ambitione & gloriæ cupiditate esset alienum caput mihi venerandum. Postridie enim ei obtuli ius ptisanæ cū id refrigerassem: nihil enim omnino calidi sumere patiebatur, cū vsum ignis sibi interdixisset. Cū autem nollet sumere, Nobis omnibus, inquam, ô pater, hoc cōcede. Communem enim salutem tuam ducimus sanitatem.

*Magnus
Acacius.*

Non solum enim es vtilitatis exemplar propositum, sed etiam orans fers auxilium, & Dei concilias nobis benevolentiam. Quod si te hoc malè habet quod non sis assuetus, hoc quoque, inquam, ô pater, constanter tolera: est enim hoc quoque genus philosophiæ. Quomodo enim cū esses sanus cibū appetens, tolerantia vicisti appetitionē: ita etiam nunc minimè appetens invescendo ostende tolerantiam. Hæc cū dicerē, aderat homo Dei Polychronius, qui id quod dicebā defendens, dixit se id primum velle sumere, idque cū esset manè, cū sæpe post interiectū septem dierum spacium corpus aleret. Victus ergo oratione, vnum iuris poculum clausis demisit oculis, quod quidem solemus facere cū amaras bibimus potiones. Quoniam autem pedes quoque qui propter imbecillitatem ingressum amiserant, ei lauare persuasimus: operæ pretium existimo hanc quoque eius animæ aperire philosophiam: propè enim aderat scyphus, voluit autem quidam ex iis qui ministrabant eum canistro tegere, vt non videretur ab iis qui ad ipsum veniebant. Ille autem, Cur, inquit, scyphum tegis? Cū is autem dixisset, Ne videatur ab iis qui veniunt ad contemplandū. Absit, inquit, ô fili. ne celes homines ea quæ sunt aperta Deo vniuersorum. Illi enim soli volens viuere, nullam humanæ gloriæ curam gero. Quid enim me iuuerit, si hi quidē me magis laborasse & maiori exercitatione vsos esse sciuerint, Deus verò minori? Non sūt enim hi datores mercedis pro laboribus: sed Deus est suppeditator. Quis ergo non valde admiretur & sermones, & mentē quæ sermones genuit, quæ omni

*S. Polychro
nius.*

*Longe ab
hypocrisi.*

humana gloria aded fuit superior? Tale quid etiã alias memini accidisse. Erat vesper, & altũ vesper, & tẽpus comedendi. Accepta ergo testa apposita, madefactę lentis cibũ sumpsit. Id enim erat ei alimentũ. Venit autem quidã à ciuitate, cui erat cõmissa quãdam militaris exactio. Is autem cùm eum procul vidisset, lentem non deposuit, sed cibum demisit vt consueuerat: & cùm visione apprehendisset eum esse dæmonem, eum verbis insectabatur vt hostem: & ostendens se non vereri, interim ori lentẽ admouit. Obsecrabat autem is qui incessabatur maledictis, dicebat se esse hominẽ: & quod prius quodam adactus iureiurãdo se ante vesperam ab vrbe esse profecturum, venisset hoc tẽpore. Ille, Bono, inquit, animo esto, & ne extimescito: sed cum precatus fueris recedito. Sis autẽ mihi cõuiua, & mei cibi particeps. Simul autem hęc dicens impleuit dexterã, & lente eum impertiit. Sic vanę glorię morbum cum aliis expulit ex animo. De tolerantia autem superuacaneũ est dicere, cùm visus ipse testetur. Tres enim sæpe dies & totidẽ noctes niue delapsa ita fuit obrutus, pronus iacens, & Deum orans, vt ne parum quidem videretur ex pãnis quibus fuerat indutus: sæpe autẽ marris & ligonibus vicini ei niuẽ impositam detrahentes, eum iacentem euellunt & excitant. Ex his laboribus collegit dona diuinę gratiã, quorũ volunt omnes esse participes. Illius enim benedictione multę quidem extinctę sunt & extinguuntur febres & multę ægri tudines cessarunt & omnino abierunt, multi autem dæmones coacti sunt fugere: & aqua quę ab illius dextera benedicatur, fit salutare phar-

*Demonin
hominis spe
cie exactio.
nis milita-
ris curã ha-
bens.*

*Glacie &
niue oper-
tus Iacobus*

*Tolerantia
mira.*

aq. f. cr.

macum. Quis nescit puerum mortuum per eius orationem fuisse excitatum? In suburbanis enim ciuitatis erant eius parentes, qui multos quidem filios genuerunt: omnes autem immaturos ad sepulchrũ transfuderunt. Quando ergo hic vltimus natus fuit filius, cucurrit pater ad hominem Dei, rogans vt is longam haberet vitam, & pollicens se eum esse Deo dicaturum si viueret. Cùm itaque vixisset quatuor annis, vitę finem accepit: pater autem aberat, adueniẽs autem videt eum repente efferrı. Cùm eum itaque è lecto rapuisset, Oportet, inquit, me implere promissum, & Dei homini reddere vel mortuum. Detulitque vt prius dixit, & ante pedes sanctos illum posuit, dicens illa quę suis quoque dixerat domesticis. Homo autem diuinus cùm ante se posuisset puerum, flexis genibus orabat pronus, vitę & mortis rogans Dominum. Vespere autem puer edidit vocem, & patrem vocauit. Cùm sic sensisset vir ille diuinus, quod suas preces suscepisset dominus, & vitam puero suppeditasset, surrexit, & eo adorato qui facit volũtatem timentium eum, & audit eorum preces, finiit orationem: & filium reddidit patri. Hoc & ego vidi, & patrem audiui narrantẽ: & multis aliis narrauit miraculum Apostolicũ, cùm sciret multis audituris futurum id cõducibile. Porrò autem eius quoque sum consecutus auxiliũ: vnus autem aut duorum faciã mentionem: existimans ingrati esse animi ea silentio præterire, & nõ docere genera beneficij. Execrandus Marcio multas spinas impietatis seminavit in regione vrbis Cyri. Eas cùm conarer euellere radi-

*Pollicetur
pater se deo
dicaturum
filium.*

*puer resu-
scitatur.*

*Cyri regio
marcionis
errore im-
buta.*

*Psal. 118.
Psal. 168.*

*Præstigiæ,
& dæmo-
nes vocife-
rantes in
Theodoretū*

*Auxilium
martyrū &
S. Iacobi
contra dæ-
mones.*

*Lecythus
olei marty-
rum.*

*Amictus
S. Iacobi
salutaris.*

citus, omnem laborem subibam, & omnibus machinis assiduè utebar. Qui autem mea fruebatur cultura, cum me eo nomine deberent diligere, pro eo, ut propheticè dicam, detrahebant mihi: ego autem orabam & reddebant mala pro bonis, & odium pro dilectione mea: & magicis utentes præstigiis, & malignorū freti ope dæmonum, conabantur bellum gerere quod sub visum non caderet: & noctu venit quidam dæmon exitialis, clamans, & lingua utens Syriaca. Cur tu bellum geris cum Marcione? Cur hæc pugnam aduersus eum suscipis? Quanam is te vnquam affecit molestia? Desine belligerari: desiste à malevolentia: aut disces experientia quantū bonum sit quies. Scias quòd te iam pridem cōfodissem, nisi chorum martyrum te custodientem vidissem cum Iacobo. Hæc ego audiui, & dixi cuidam ex familiaribus qui prope me dormiebat Audis, inquam, quæ dicuntur? Ille verò, Omnia, inquit, audiui: & cum vellē surgere, & respicere, & scire quis loqueretur, tua causa quieui, cum te putarem quiescere. Ambo itaque surgentes respeximus, neque vllum qui moueretur vidimus, nec qui loqueretur, audiui-mus. Illa verba alij quoque qui nobiscum habitabāt, audiuerunt. Intellexit igitur quòd martyrum quidem, chorum dicebat Lecythum olei martyrum, qui cum à multis martyribus collectam haberet benedictionem, pendebat à meo lecto: sub meo autē capite erat magni Iacobi vetus amictus, qui quouis clastro adamantino fuit mihi validior. Quinetiam cum eorum maximum vicum essem ingressurus, deinde multa essent intermedia quæ mihi prohibebant exitum, nisi

ad

ad meum Esaiam, rogans ut diuinum consequeretur auxiliū. Ille verò, Esto, inquit, bono animo. Soluta sunt omnia illa impedimenta instar telæ aranearum: idque noctu me docuit Dominus, non in somnis adumbrās sed re vera ostendens. Vidi enim, aiebat, cum incepissem hymnodiam, in illa parte in qua illa loca sita sunt, serpentem quendam, ignis speciem præ se ferentem, qui ab occidente reptabat in orientē, & ferebatur per mediū aërem. Cum orationes autem tres peregissem, rursus vidi inflexum, & orbiculatā ostēdentem figuram, & eius caudam capiti coniunctam. Cum rursus autem octo orationes absoluissem, aspexi eum in duas partes dissectum & in fenum resolutum. Hæc ipse quidem sic præuidit: nos autem vidimus exitū qui consensit eius prædictioni. Manē enim mali auctoris dæmonis imperio parentes qui olim quidem erant sectæ Marcionis, nunc autem sunt classis apostolicæ ab occidente profecti, nudos nobis enses ostendebant. Hora autem diei tertia simul coacti, curam gerebant suæ solum custodia, sicut serpens qui cauda caput suum contextit. Octaua autem dispersi, dederunt nobis locum ingrediendi in vicum. Statim autem inuenimus serpentem factum ex æris materia, qui ab eis adorabatur. Cum enim aduersus opificem & vniuersorum creatorem bellū aperte suscepissent, execrandum serpentem, tanquam illius hostem, colere cōtendebant. Talia ego beneficia à mihi venerando capite sum consecutus. Quoniā autem diuinarum reuelationum narrationē ingressa est oratio, age narrabo quæ audiui ab illa lingua ab omni mendacio aliena. Nar-

*Serpens ado-
rabatur à
Marcioni-
tis.*

*Quæ Theo-
nestus audi-
uerit à S. Iacobo.*

CCC

ravit autem non vlla gloriæ inductus cupiditate: fuit enim diuina anima ab eo vitio remotissima: sed cū illum quidam vsus ea coëgisset dicere quæ volebat celare. Supplex ab eo contendebam vt oraret Deū vniuersorum, vt redderet mihi segetem mundam à zizaniis, & à feminibus hæreticis eam omnino liberaret, Me enim valde angebat abominandi Marcionis error qui plurimum inualuerat. Dixit itaque à me oratus. Nec me, nec vlllo alio tibi opus est ad Deum intercessore. Habes enim Ioannem illum insignē, Verbi vocem, Domini præcurforē, has pro te preces assidue offerentem. Cū autem ego dicerem me & eius credere orationibus, & aliorum sanctorum apostolorum & prophetarum, quorum ad nos nuper delata sunt reliquiæ. Esto, inquit, bono animo. Habes Ioannem Baptistam. Sed nec sic eum passus sum silere: sed multò magis vrgebam interrogans, & scire desiderans cur eius potius meminisset. Ille autem, Vellem, inquit, amplecti & deo seculari eius amabiles reliquias. Cū autem dixissem, Non afferam eas, nisi pollicitus fueris te ea dicturum quæ videris. Atque ipse quidē est pollicitus: ego verò postridie attuli ea quæ desiderabat: & cū omnes iussisset abscedere, hæc mihi soli narravit. Quando hos, inquit, ciuitatis patronos, qui à Phoenicea venerant & Palæstina, cum Dauidica excepisti chorea, venit mihi in mētem cogitare, num hæc essent illius insignis Ioannis reliquiæ, & non alterius martyris qui esset eiusdem nominis. Post vnum ergo diem, ego stabam ad hymnos decantandos: video autem quendam candida veste indutum, &

*Intercessio
sanctorum.*

*Sancti ad-
uocati pe-
culiariter.*

*Reliquias
seculares.*

*Visio facta
S. Iacobo
pro confir-
matione re-
liquiarū B.
Ioannis bap-
tiste.*

dicentem, Frater Iacobe, Cur nobis aduenientibus non venisti obuiam? Cū ego autem rogarem quanam essent, respondit dicens. Qui à Phœnicia & Palæstina nuper venimus: & cum prompto & alacri animo nos omnes excepissent, & pastor & populus, & ciues & rustici, tu solus eorum honoris non fuisti particeps: innuebat autem eam quæ fuerat dubitationem. Ad hæc ergo dicit se dixisse. Absentibus & vobis & aliis & vos honoro, & adoro Deum vniuersorum. Rursus autem die sequenti eodem tempore cū ille ipse apparuisset. Vides, inquit, frater Iacobe eum illic stantem: cuius quidem vestis est colore niui similis: est autem prope illum positus ignis clibanus. Cū autem ego illuc oculos conuertissem, & illū esse Ioannem Baptistam cōiecissem: nam & vestitu erat indutus & manum habebat vt baptizans. Is est, inquit, quem tu coniecisti. Quinetiam, inquit, cū tu aliquando noctu ad primum vicum ad seditiosos, eos docturus, abires, & vt ego maiori ac vehementiori studio Deo offerrem orationem, mandasses, tota nocte vigilavi rogans Dominum. Deinde audiui vocem dicentem. Ne timeas ô Iacobe. Magnus enim Ioannes Baptista tota nocte orat Deum vniuersorum. Facta enim fuisset magna cædes, nisi illius intercessionibus fuisset extincta diaboli audacia. Hæc cū mihi narrasset, præcepit vt ego solus scirem, & ne alios assumerem confcios. Ego autem vtilitatis gratia non solum multis narraui, sed etiam mando scriptis. Iam verò à se quoque dicebat esse visum Ioseph patriarcham, capite & barba canum, & in senio formæ emittentem splendo-

*Honor san-
ctorū ad-
ratio Dei.*

*S. Ioannes
Baptista o-
rat Deum
pro red-
tione errā-
tium.*

rem, & in virtutis fastigio seipsum sanctorum extremum nominantem. Nam cum ego, inquit, eum primum dicerem ex iis qui sunt eiusdem cum ipso feretri particeps, ipse seipsum nominabat vltimum. Mihi autem narrauit etiam varios & multiplices daemonum insultus qui in ipsum facti sunt. Cum primum enim, aiebat, hoc vitæ genus sum ingressus, visus est mihi quidam nudus forma Æthiops ignem ex oculis emittens. Ego autem cum eum viderem, & timore sum affectus, & ad preces conuersus, nec in animum inducere potui vt cibum sumerem: illo enim tempore mihi apparebat. Cum autem septem & octo & decem dies transiissent, & ieiunus permanerem: tandem improbum illum insultum contemnens, sedi & cibum sumpsi. Ille autem cum hanc meam non tulisset animi magnitudinem, minatus est se virga percussurum. Ego autem, inquit, dixi. Si tibi quidem est permissum à Deo vniuersorum, percutere: & plagam lubenter accipiam, vt qui ab illo feriar. Sed si non sit tibi permissum, non percuties licet millies insanias. His auditis tunc effugit. Sed me rursus clanculum perpetua afficiebat molestia. Nam aquam quæ mihi bis in hebdomada infernè efferebatur, ei qui afferebat occurrens, & meam formam imitans accipiebat: & illum iubens recedere, fluentum effundebat. Idque cum non solum bis sed etiam ter fecisset, me sitis perpeffione validè oppugnauit. Cum ergo valde angerer, rogauit eum qui solebat ad me afferre, cur iam quindecim diebus ad me aquam non attulisset: is dixit se iam ter & quater attulisse, & me accepisse. Et vbi, inquam ego, à te eam afferente accepi?

*Dæmon in
forma Æthiops
molestus Iacobo.*

Ille locum ostendit. Etsi millies, inquam ego, me illuc accedentem videris, ne vas dederis donec ad hunc locum veneris. Sic cum hæc quoque eius apertæ & irritæ fuissent insidiæ, alias rursus est aggressus. Dixit enim noctu vociferans, te tam tetro implebo odore, & tibi tantam inuram infamiam, vt nemo te vlla ex parte aspiciat. Ego autem, inquit, ad hæc respōdi. Agam tibi gratias. Inuitus enim tuum inimicum beneficio afficies, vt qui efficias vt magis verfer in Dei recordatione. Nam quod mihi plus est ocij, eò magis occupor in perpetuò contemplanda diuina pulchritudine. Cum itaque pauci dies præteriissent, meridie consuetum peragens officium, Video, inquit, duas mulieres de monte descendentes. Ego autem cum id præter consuetudinem ægrè tulissem, & eas lapidibus petere essem aggressus, memini minarum scelerati dæmonis: & conieci hanc esse eam quam dicebat infamiam. Dixi ergo magna voce, quod etiam si meis insiderent humeris, non eas impetam lapidibus, nec persequar: sed sola vtar deprecatione. Ego quidem hæc dixi: illæ verò euauerunt: & sermone finem accepit visio spectaculi. Post hæc rursus, inquit, noctu ego quidem orabam: ferebatur autem vehiculi strepitus, & clamor aurigæ & equorum hinnientium. Me autem conturbauit rei nouitas. Cogitabam enim quod nec princeps tunc esset in ciuitate: nec ea esset via vehiculorum: nec tempus aptum vehiculis. Hæc autem cum apud me reputarem, audiebatur quidam strepitus appropinquantis multitudinis, & clamabant quidam præcedentes lictores, sibilantes, & de medio

*Orationes
& officium
meridiei.*

*Oratio fit
ad orientē.*

turbam exigentes, & ei qui præerat viam parantes. Postquam autem mihi visi sunt valde appropinquare, Dixi, aiebat, quisnam es, & vnde venis: & quo opus habens venisti hoc tempore. Quousque ludificaris ô infelix, & diuinam contemnis patientiam? Hoc ego quidem dicebam, cōuersus ad orientem, & Deo preces offerens. Ille autem trusit quidem, sed non potuit deiicere: resistebat enim diuina gratia: & ex templo omnia illa euanuerunt. Dicebat autem se etiā tempore perniciosorum illorum latronum, quando ex Isauria profecti, maximam partem orientis vrentes prædas egerunt, valde extimuisse: non ne occideretur: neque enim tenebatur tanto amore corporis: sed ne raperetur in seruitutem & captiuus fieret, impietatisque & iniquitatis videret spectaculum. Hūc metum cūm sensisset diabolus, sæpe enim audiuerat cūm hoc notis suis aperiret: imitatur noctu vlulatum mulierum. Ego autem, inquit, videbar audire quòd venirent hostes, & quòd vicis ignem iniicerent. Statim ergo cūm capillos in duas partes discriminassem, & partim quidem à dextris, partim verò à sinistris ad pectus transtulisssem, parabam collum vt id ensis amputaret facilius, & breui plaga accepta, ab illo abominando liberarer spectaculo. Cūm sic totam illam noctem trāsegisssem, & assiduè incursionem illorum expectarem, cūm fuisset dies & quidem venissent, rogavi quidnam audiisssem de Isauris. Illi autem dixerunt se nihil nosse illis diebus: & sic agnoui, inquit, diabolicam quoque illam fuisse visionem. Aliquando autem assimilatus viuido & vegeto adolescenti, spe-

*Diuersæ
species qui-
bus apparet
demon.*

cie decoro, & flaua coma ornato, ad me accedebat subridens simul & ludens. Ego autem, inquit, ira armatus, eiiciebam insectans maledictis. Ille autem permanebat, aspectu meretricio, risūque & sermone ad voluptatem alliciens. Tunc ergo maiore ira percitus, Quomodo, inquam, potes totam terram obire, & omnibus tales parare insidias? Is autem dicebat se nō esse solum, sed dæmonum multitudinem per totum terrarum orbem esse dispersam, qui hoc modo simul & ludunt, & seriò agūt: ludo enim qui videtur, studēt simul totam perdere humanam naturam. At tu, dicebam ego, abi, Christo tibi id iubēte, qui totam legionem per porcos trāsmisit in profundū. Audiuit simul & fugit: nec Domini appellationis vim ferens, nec eius famuli philosophiæ ferre valens splendorē. Porrò autem cūm multa alia sciam quæ possim narrare, ea nolo scribere, ne imbecillioribus eorum multitudo causa sit incredulitatis. Nā iis quidem qui diuinū cernunt hominem, nihil eiusmodi quod dicitur videtur incredibile, cūm ea quæ videtur virtus confirmet ea quæ dicuntur. Sed quoniam transmittentur ad posteros scripta harum narrationum, sunt autem multis aures magis incredulæ quàm oculi, imbecillitate auditorum metiemur narrationem. Ei ergo ædificarunt alij quoque maximam ædem in vico propinquo, quæ non distat multis stadiis. Construxi ego quoque loculum in æde victoria insignium apostolorū. Sed cum hoc rescuisset vir diuinus, sæpe me rogauit vt in illo monte corpus mandaretur sepulturæ. Ego autē sæpe dixi, quòd non oportet eum qui vitam præsentem nō

*Coniuratio
dæmonis.*

*Ecclesia
martyrum.*

*Reliquia
sanctorum.*

curarit, sepulchri curam gerere. Vbi autem vidi hoc ei esse cordi, annui & sum assensus: & feci vt scinderetur arca & sursum ferretur. Cùm autem viderem lapidem corrumpi à pruina, rogavi vt sineret arca parvam fieri domunculam: vbi autē iussit, & perfecto ædificio tectum imposuimus, Nō patiar, inquit, hoc vocari sepulchrum Iacobi: sed volo hanc fieri ædem martyrum victoria insignium: me autem tanquam aliquem inquilinum poni in altero sepulchro, vt qui dignus sim habitus vt apud eos habitarem. Neque verò hoc solum dixit, sed etiā fecit: & cùm multos quidem prophetas, multos autem apostolos, maximè autem plurimos martyres vndique collegisset, eos posuit in vna arca, volens simul habitare cum populo sanctorum, & desiderans cum eis resurgere, & dignari Dei contemplatione. Hoc autem sufficit ad faciendam coniecturam quanta eius esset modestia. Qui enim tantas opes collegerat, perinde ac si esset in extrema paupertate, desideravit habitare tanquam peregrinus apud diuites mercatores. Quales ergo venerandi mihi capitis sint labores, & quanta certamina, & quantam gratiam acceperit diuinitus, & quàm multis sit victoriis potitus, & quàm multis coronis ornatus, hæc ad ostendendum sufficiunt. Quoniam autem asperos & difficiles eius mores reprehendūt aliqui, & ægrè ferunt quòd solitudine tantopere delectetur & quiete, cum de eo pauca dixero, imponam finem narrationi. Proponitur, vt iam dixi, aspectandus ab omnibus: neque fossa circumdatus: neque tugurio aliquo aut tabernaculo tectus. Vnusquisque au-

tem

tem ex iis qui veniunt, à nullo claustro prohibitus, statim accedens, ea quæ vult loquitur. Aliis autem amatoribus huius philosophiæ, sunt & fossæ & fores: & eis licet frui quiete: & qui est inclusus, aperit cum voluerit, & quantum vult differt: & quantum vult impletur diuina contemplatione. Hic autem horum nihil est. Quocirca eos fert ægerrimè qui in tempore orationis ei exhibent molestiam: & si cùm iussit quidem, statim recesserint: rursus prosequitur orationē. Quòd si perrexerint exhibere molestiam, & cum semel aut bis iusserit non paruerint, tunc ægreferens & increpans amandat. Ego autem de eo quoque aliquādo sum cum illo locutus: & dixi aliquos molestè ferre quòd expulsi fuerint, & non fuerint participes eius benedictionis: & quòd oporteret eos qui hac de causa veniunt, & iter multorum dierum conficiunt, recedere non indignantes, sed animi lætitia repletos, & qui philosophiæ narrationum cōuiuio excipere possint eos qui ignorant. Ille autem, Non alicuius, inquit, alterius, sed mea causa veni in montem: & cùm scateam admodum multis peccatorum vlcibus, plurima opus habeo medicina: & ea de causa oro clementem dominum, vt mihi præbeat medicamenta quæ mea curent vitia. Quomodo ergo non fuerit valde reprehendendum & valde stultum, interrumpere quidem seriem orationis, interim autem loqui cum hominibus? Si enim hominis qui est eiusdem cuius ego naturæ essem famulus, eo autem tempore quo est ministrandū domino, dimittens in tempore afferre cibū vel potum, confabularer cum aliquo ex conseruis,

DDD

*Non inter-
rumpende
sunt oratio-
nes.*

quot plagas iure acciperem? Si autem cum etiam accessissem ad Præsidentem, & qua ab aliquo afficior narras iniuriam, sermonem quidem in medio interromperem: apud aliquem autem ex presentibus aliqua alia verba facerem, non tibi videtur Iudex id ægrè esse laturus, & auxilium quidem esse denegaturus, flagris autem præterea esse cæsurus, & à tribunali eiecturus? Quomodo ergo est honestum, ut feruus quidem in dominum, qui autem supplicat in Iudicem, ita ut oportet se gerat: ego autem ad Deum & æternum dominum & Iudicem iustissimum & omnium Regè accedens, ne similiter quidem atque ij accedam: sed inter orandum, me conuertam ad conseruos, & prolixo cum eis vtar sermone? Hæc & audiui, & ad eos qui ægrè ferunt transmissi: & mihi videtur rectè pulchrèque dixisse. Nam præterea quæ dicta sunt est etiã amantium proprium, omnes quidem alios despiciere, illi autem soli quem amant & diligunt adherere, eumque & noctu somniare, & interdiu visione apprehendere. Ideo mihi videtur ægrè ferre, ut qui in ea quidem quam desiderat versetur cõtemplatione, prohibeatur autem impleri expetenda & dignissima quæ ametur pulchritudine. Hæc ut narrantes, non ut encomij ritu laudantes conscripsimus: breuitatis magnam curam gerentes, ne prolixitate molestia lectores afficeremus. Quod si etiã fuerit huic superstes narratio, innumerabilia alia præclara facinora adiiciet prioribus: & illa quoque conscribent alij. nos enim hinc excedere valde cupimus. Pietatis autem certaminum agnotheta, & ei det finem dignum suis certaminibus:

præstetque ut reliquus cursus priori consentiat, ut victor perueniat ad metam: & nostram imbecillitatem sustentet ac suffulciat suis orationibus, ut confirmati, multas quas alij in nos consecuti sunt victorias eis eripiamus, & victores è vita excedamus.

THALASSIVS AVT LIMNÆVS.

HElimna est apud nos quidã vicus, qui olim quidem excepit semina impietatis Marcionis, nunc autem Euangelica fruitur agricultura. Eius ad meridiem est quidam collis, neque valde asper, neque admodum accliuus. In eo monasticum edificauit habitaculum Thalassius vir admirabilis, qui est multis quidem aliis quoque bonis exornatus, sed morum simplicitate mansuetudinèque & moderatione omnes homines sui temporis superauit. Hoc autem dico, nõ ut qui soli credam auditui, sed qui eius etiam fecerim periculum. Ad virum enim sæpe accessi, & eius sum sæpe vsus suavi consuetudine. Ab eo in hoc loco fuit initiatus, qui nunc ab omnibus decantatur Limnæus: & cum admodum iuuenis ad illam peruenisset palæstrã, pulchrè in hac summa instituebatur philosophia. Et primùm quidem cum linguam sciret esse lubricam, adhuc adolescens hoc sibi constituit silentium: mansitque longissimo tempore cum nemine quidquam loquens. Postquam autem diuini illius senis doctrinæ fatis fuit particeps, & se ostendit expressam illius virtutis imaginem, accessit ad magnum illum Maronem cuius prius quoque meminimus. Accessit autem eodem tempore quo diuinus quoque Iacobus. Cum autem ex eo quoque magnam percepisset

XII:
Elimna
vicus.

Silentium.

utilitatem, & quæ sub dio agitur vitam esset æmulatus, occupavit aliud montis cacumen quod imminet cuidam vico, quem nominant Targallam. In eo degit vsque in hodiernum diem, non habens domunculam, non tabernaculum, non tugurium: sed solo continetur septo quod est ædificatum ex lapidibus. Habet autem quoddam paruum ostium luto assidue obstructum: quod aduenientibus quidem aliis nunquam aperit: mihi autem soli accedenti hoc permittit facere. Ea de causa vndiquaque congregantur plurimi cum meum aduentum senserint, desiderantes esse mei ingressus participes. Cum iis autem qui aliquando ad ipsum veniunt, loquens per paruam quandam fenestram, eos impertit benedictione, per eam plurimis sanitatem largiens. Seruatoris enim nostri vtens nomine, & morbos cessare facit: & dæmones expellit: & apostolica imitatur miracula. Non solum autem iis qui ad ipsum veniunt suppeditat curationem: sed eam quoque sæpenumerò præbuit suo corpori. Eum enim iam pridem inuaserat morbus colicus. Quam sint autem acres qui ex eo oriuntur dolores & cruciatus, optime quidem sciunt qui illum sunt experti: sciunt autem ij quoque qui eius fuere spectatores. Prouoluuntur enim similiter atque ij qui rabie agitantur, huc & illuc se vertentes: & crebrò pedes extendentes & contrahentes: nonnunquam autem & sedent & surgunt & ambulant, aliquam quietis viam quærentes: & ideo assident balneis, sæpe ex eo aliquam accipientes consolationem. Et quid opus est longiori vti oratione in iis enumerandis quæ sunt aperta & manifesta omnibus?

Miraculum gratia.

Cum hoc morbo colluctans, & tot tantisque cruciatus doloribus, non medicinæ accepit auxilium, non lectum ingredi sustinuit, non à medicamentis aut cibis est recreatus: sed in tabula humi iacente sedens, oratione & crucis signaculo est curatus: & carmine diuinæ appellationis sopiit cruciatus. Porro autem cum is quoque noctu aliquando ambularet, calcavit dormientem viperam. Ea verò apprehendens plantam pedis, in eam dentes infixit. Cum autem pedi conaretur oppem ferre, se quidem inclinavit, & ei manum admoovit: os autem bestię in eam conuertit. Cum autem rursus sinistra esset vsus vt ei succurreret, in eam quoque traxit iram bestię. Postquam autem fuit eius furor exatiatus: illi enim plus quam decem morsus intulit: tunc quidem recessit, & suam cauernam repetiit. Ille autem vndique maximis cruciabatur doloribus. Sed neque tunc passus est vti arte medicina: sed vulneribus adhibuit sola fidei medicamenta, crucisque signaculum, & orationem, & Dei inuocationem. Ideo autem, vt existimo, Deus vniuersorum permisit illam bestiam in illud sacrum corpus furere, vt diuinæ illius animæ omnibus apertam ostenderet tollerantiã. Nam eius quoque quod generosi & fortis animi Iob idem videmus fuisse consilium. Siuit enim eum maximis iisque omnis generis agitari fluctibus, cum sapientiã gubernatoris veller omnibus ostendere. Vndenam enim alias cognouissemus vel illius fortitudinem, vel huius tolerantiam, nisi in eos queuis tela coniiciendi, datus esset locus inimico pietatis? Atque ad viri quidem tolerantiam docendam hæc sufficiunt: clementiam au-

Signum crucis.

Signum crucis.

Benignitas Thalassii.

tem & benignitatem aliunde ostendemus. Nam cum multos visu priuatos, & qui mendicare cogebantur, congregasset, & vtrinque ad orientem & occidentem eis habitacula ædificasset, iussit in eis degere, & Deum laudare: alimentum eis necessarium præcipiēs suppeditari ab illis qui ad ipsum veniebāt. Ipse autem medius inter eos inclusus, & hos & illos incitat ad hymnodiam: & licet eos audire Deum assiduè laudantes. Tanta est eius perpetua benignitas in eos qui sunt eiusdem generis. Eorum autem quæ sub dio suscipiuntur certaminum, ipsi & magno Iacobo est idem tempus. Iam enim compleverunt tricesimum octauum annum.

DE IOANNE.

XXIII.
Huius memorat Theodoretus lib. 5. historia ecclesiastica.

HOc vitæ institutū æmulatus quoque est Ioannes, vir præter cætera clarus lenitate & mansuetudine. Is cum rupem quandam valde asperam, tempestatibusque obnoxiam, & ad septentrionem vergentem occupasset, in illa iam transegit viginti quinque annos aëris contrarios excipiens impetus. Alia autem omnia, ne singula persequar, cibus & vestis & ferri pondera, sunt iis qui prius dicti sunt similia. Est autem humanis omnibus ad eum superior, ut nullo ex eis fruatur solatio. Afferam autem huius rei indicium euidentis. Nam cum propter torum eius herbaceum vir quidam bonus plantasset amygdalum, & ea deinde procedente tempore arbor euassisset, ad eum ut & ei umbram præberet, & oculos pasceret, iussit eam excindi: ut ex ea nullam acciperet recreationem. Hoc vitæ institutum amplexus quoque est Moses, in alto quodam montis

vertice, qui impendet vico Romæ, decertans: & Antiochus vir senex, qui in monte maximè deserto paruum septum extruxit: & Antonius, qui in corpore senio confecto æquè decertat atque iuuenes. Est autem eis eadē vestis, & cibus, & status, & oratio, nocturnique & diurni labores: & nec longitudo temporis, nec senectus, nec naturæ imbecillitas, eorum superat tolerantiam: sed in eis floret ac viget laborandi studium. Alios quoque plurimos athletas habet in mōtib; & agris Deus virtutis Agonotheta, quos non est enumerare facile, nedum vitam vniuscuiusque scire. Cum ergo sufficētem ex eis vtilitatem iis qui lucrati voluerint adiecerim, me conuertam ad aliud genus narrationis, rogās ut sim eorum quoque benedictionis particeps.

ZEBINAS AVT POLYCHRONIVS.

Zebinam prædicat vsque in hodiernum diem, qui ut illum viderent digni sunt habiti. Aiunt autem eum cum ad extremā peruenisset senectutē, iisdē esse laboribus vsus vsque ad finē: nec licet grauissimo premeretur senio, ex certaminibus iuuentutis aliquid immutasse. Superabat autē, ut dixerunt, omnes sui temporis homines assiduitate orationis. In ea enim diu noctūque versans, non solum non satiabatur, sed etiam desiderium efficiebat vehementius. Quinetiam cum iis qui ad ipsum veniebant paucis differens, non poterat in animū inducere ut cogitationē à cœlis deduceret: sed statim ab illis liberatus, ut nec tantillum quidem ab iis quæ sunt Dei vniuersorum separatus, offerebat rursus

Antiochus

Antonius.

XXIII.

Perseuerantia in orationibus.

deprecationem. Postquã autem non permittebat se-
nectus vt citra molestiam stare posset assiduè, sustenta-
culum ei præbebat baculum: cui innixus, Dominum
& laudabat & orabat. Cùm autem præter alia bona
esset ornatus amore in hospites, iubebat multos ex iis
qui ad ipsum veniebant, expectare vesperam. Illi au-
tem timentes ne tota nocte illic starent, aliqua sua ne-
gocia prætexentes, se ab illis subducebant laboribus.
Hunc ille quoque magnus admiratus est Marum: &
omnes ad se venientes ad illum ire iubebat, & accipe-
re eius benedictionem: eum patrem & magistrũ no-
minans, & totius virtutis exemplar vocans. Rogauit
autem vt in eodem quoque sepulchro poneretur: sed
non siuerunt qui corpus illud sacrum diripuerunt, &
in eum locum quem diximus detulerunt. Diuinus au-
tem Zebinas cùm ante eũ obiisset, in vico ei propin-
quo, is autem appellatur Cittica, iusta sibi facta acce-
pit. In eius autẽ sepulchro maximam ædem ædifica-
runt. Iis enim qui cum fide accedunt, variam ac mul-
tiplicem effundit curationem. Habet autẽ nunc quo-
que sub eodem tecto martyres, qui apud Persas qui-
dem decertarunt, annuis autem & celebribus festis à
nobis honorantur, Huius doctrinam magnus accepit
Polychronius. Quinetiam diuinissimus Iacobus dice-
bat eum sibi primum dedisse tunicam ex pillis cõtex-
tam. Ego autem qui illum nunquam vi di, ante meum
enim aduentum vitæ finem acceperat, in hoc egregio
Polychronio diuini Zebinae video philosophiã. Non
sic enim cera exprimit figuras annulorum, vt hic il-
lius effingit formam & characterem. Hoc autẽ aperte
scio,

*Cittica vi-
cus.*

*Festa mar-
tyrum.*

*Tunicã ex
pilis.*

scio, ea quæ de illo narrantur, cum iis quæ ab hoc fiũt,
conferens. Est enim similiter diuino incensus deside-
rio: & est terrenis omnibus superior: & corpori alli-
gatus mentem habet alarã, & quæ fertur sublime, æ-
rẽmque traicit & ætherem, & coelis fit sublimior, &
perpetuò diuinam visione apprehendit cõtemplatio-
nem: nec potest illinc vnquam mentem detrahere.
Quinetiam cum iis qui adueniunt colloquens, super-
na mente peragrat. Eius autem per totam noctem vi-
giliam & stationem hinc didici. Cùm eum viderẽ si-
mul & cum senio confictantem & cum imbecillitate,
& nullam omnino habentem curam corporis, sæpius
precatus ei persuasi vt duos assumeret qui simul habi-
tarent, & aliquam consolationem ab eis acciperet.
Quoniam autem petiit viros virtute claros qui per
se in alio degebant monasterio, illis quoque viris ad-
mirandis persuasi, vt diuini hominis curam omnibus
præponerent. Ij cùm paruo tempore cum eo habitaf-
sent, conati sunt fugere, per noctem illam non feren-
tes stationem. Cùm autem virum diuinum obsecra-
rem vt imbecillitate corporis metiretur laborẽ. Non
solum, inquit, eos non cogo stare mecum assiduè, sed
etiam sæpe præcipio vt decumbant. Illi autẽ, Et quo-
modo possemus, aiebant, eo qui in laboribus conse-
nuit, stante, & imbecillitatem corporis despiciente,
decumbere, cùm simus fani & in media ætate? Sed ve-
nerandi quidem mihi capitis nocturnos labores sic di-
dici. Hi autem viri procedente tempore sibi tantam
parauere virtutem, vt cum hoc magno viro eandem
perfequerẽtur philosophiam: & Moses quidem, hoc

*Moses Po-
lychronij.*

*Nocturni
labores Po-
lychronij.*

Moses.

est enim ei nomen, permansit vsque in hodiernum diem, tanquam patri & Domino omne ei seruitium exhibens: & quæ ex sacra illa anima coruscat virtutem

Damianus.

accuratè perfectèque exprimens. Damianus autem, hoc enim erat nomē alteri, cūm peruenisset ad quen-

*Niara vi-
cus.*

dam vicum non procul situm, ei autē est nomen Niara, & præter alias paruam quādam inuenisset domunculam, in illa degit, idem vitæ institutum persequens: adeò vt qui hunc & illum rectè norunt, eum aspicientes, existiment se videre beati Polychronij animā in alio corpore. Eadem enim & simplicitas & māsueto- do & moderatio: eadem lenitas sermonis: eadem in congressu suauitas: eadem animæ vigilantia, & Dei intelligentia: idem status & labor & vigilia & cibus: & quæ est ex lege diuina, paupertas & nihil possidere. Nam præter vnam sportulam quæ lentem habet madefactam, nihil est in habitaculo. Tantam accepit vtilitatem ex consuetudine magni Polychronij.

Ego autem relicto discipulo redibo ad magistrum. A fonte enim riui fluenta procedunt. Hic ergo cum aliis vitis eiecta quoque ex anima gloriæ cupiditate, & inanis gloriæ cōculcata tyrannide, studebat semper labores occultare. Et ferrum quidem vt gestaret non inducebat in animum, timens ne ex eo aliquid damni hauriret, si arrogantia inflammationem anima ex ea accepisset. Cūm autem quercus grauissimam radicem ad se deferri iussisset, vt qui ad alium scilicet vsum ea opus haberet, eam & noctu imponebat humeris, & ea imposita orabat: & interdium, cūm esset ei ocium. Cūm autem veniret aliquis, & pulsaret ostium, eam

in loco aliquo abscondebatur. Hanc cūm vidisset quidam mihi indicauit: & cūm vellem scire quantum esset eius pondus, vix eam potui tollere ambabus manibus. Is autem cūm me aspexisset, iussit eam dimittere. Ego autem eum rogabam vt mihi eam permitteret accipere, vt ei eriperem occasionē laboris. Postquam autem eum vidi ægrè ferre, ei cessi desiderio victoriae. Ex his laboribus efflorescit ei quoque data gratia diuinitus: & multa fiunt miracula illius orationibus. Etenim cūm grauis illa siccitas quæ homines affligebat, ad preces incitaret, venit ad eū multitudo sacerdotum. Erat autem vnà cum eis quidam quoque cui Antiochenæ regionis multi vici pascēdi erant crediti. Is ex iis qui aderāt rogabat seniores, vt ei persuaderent vt manum dexterā imponeret lecytho. Cūm ij autem dixissent eum non esse id facturum, dum preces post hæc fierent, & venerādum mihi caput oraret, ille pone stans porrexit duabus manibus lecythum. Is autem ita coepit scatere, vt duo aut tres ex iis qui aderant manus extenderent, & eas plenas oleo acciperēt. Sed licet & diuinę gratiæ fundat radios, & rectis officiis præclaris que & ex virtute rebus gestis sit plenus, & quotidie colligat opes philosophiæ, est tamen tanta modestia & moderatione præditus, vt vniuscuiusque ex iis qui ad ipsum veniunt ambos pedes amplectatur, & frontem terræ imponat: siue fuerit miles: siue opifex: siue rusticus. Narrabo autē aliquid quod possit docere eius simplicitatem & moderationem. Quidam vir bonus cui huius gentis obtigit præfectura, cūm Cyrum venisset, cupiebat mecū frui aspe-

*Miraculo-
rum virtus**Lecythus o-
lei scater be-
nedictione
Polychronij*

ctu horum magnorum athletarum. Cùm alios ergo obiissemus, ad hunc quoque accessimus cuius virtutem nũc narramus. Cùm ego itaque dixissem esse præfectum qui mecum accessisset, & æqui iustique amatorem, statim homo diuinus vtrasque manus tendens & ambos pedesprehendens, Volo, inquit, vt mihi aliquam promittas petitionem. Cùm is autem agrè ferret, & vt surgeret oraret, & se quod iusserit facturũ polliceretur: cõiiciebat enim eum velle rogare pro aliquo ex iis qui eius parebant ditioni. Quoniã ergo, inquit homo diuinus es pollicitus, & iureiurãdo promissum cõfirmasti, acri & vehementi studio Deo pro me offer preces. Is autẽ frontem pulsans, obsecrabat vt eum absolueret à iureiurãdo, vt qui nõ esset dignus pro ipso preces offerre Domino. Eius ergo qui in tam alta philosophia tanta sit modestia ac moderatione, quãnam oratio possit eius laudes pro dignitate consequi? Huius in laboribus suscipiendis studium, ne varij quidem ac multiplices morbi qui in eum incubuere, retardarunt. Sed cùm à variis morbis obsideatur, eisdem labores sustinet. Cùm multis autẽ sæpe verbis apud eum egerimus, vix hanc ædificauimus domunculam, corpori planè frigefacto aliquantulum caloris procurantes. Ei multi quidem adhuc superstites aurum sæpe obtulerunt, & qui etiam excessere reliquerunt, sed nihil ab vllò vnquam accepit: sed eorum quæ offerebantur eos iussit esse dispensatores. Porro autem magnus quoque Iacobus cilicium ab aliquo ad se delatum ad ipsum misit: sed id quoque remisit, cùm id esse videret densius & elegantius. Perpe-

Aurũ oblatum reiecit Polychronius.

tuò enim vsus est vilibus & minimi pretij vestibus. Adeò autem existimauit paupertatem esse quouis regno magis expetendam, vt nec necessarium quidem semper haberet nutrimentum. Scio enim me sæpe venisse, & benedictionem petiisse, neque aliquid aliud inuenisse quam solas duas caricas. Huius mel, & iis qui vident est valde expetendũ, & iis qui audiũt suaue & maximè iucundum. Nullum enim vidi hominem, ne ex iis quidem qui sunt faceti & dicaces, qui vlla vnquam reprehensionis labe eum asperferit: sed omnes eum & prædicant & celebrant: & ad ipsum veniẽtes, minimè volunt recedere.

Paupertas quouis regno melior

ASCLEPIVS.

HVius ordinis est admirabilis quoque Asclepius, qui abest quidem decem stadiis, idem autem vitæ institutum est æmulatus. Est enim ei idem & cibus, & vestis, & morum moderatio, in hospitesque & in fratres charitas, lenitasque & mansuetudo: & cum Deo conuersatio, & summa paupertas, & maximæ virtutis copix, & opes philosophiæ, & alia omnia quæ de illo sacro capite recensuimus. Dicunt autem eum quoque, cùm esset in numero fratrum qui in vico habitant, monasticam & temperatam vitam fuisse amplexum, nec ex multorum congressu vllam contraxisse maculam. Cùm ergo in vtraque vita, nempe & ciuili & solitaria, se egregiè gesserit, duplicibus quoque coronis meritò dignabitur. Porro autem multi quoque alij sunt horum æmulati virtutem: & plena est non nostra solùm, sed etiam vicinæ ciuitates, & pagi, tali philosophia. Est autẽ vnus ex his diui-

xxv.

Asclepius in vtraque vita ciuili & solitaria egregius.

nus quoque Iacobus, in quadam domuncula inclusus iuxta vicum qui dicitur Duzan. Qui cum sit etiam in ipso vitæ termino, est enim plusquam nonaginta annos natus, inclusus est solus: & per quandam modicā fossam, instar incurvæ lineæ factam, responsa quidem reddit, sed non videtur: & neque igne utitur, neque lumine lucernæ. Me quidem bis perfosso ostio iussit admitti, hoc me honore afficiens, & quàm mihi bene velit ostendens. Atque ij quidem qui adhuc sunt superstites, scriptis meis non indigent. Possunt enim si velint, ipsi eorum contemplari philosophiam. Posteris autem & qui hoc non videre spectaculum, hæc quoque ad usum sufficiunt, ut quæ philosophiæ ostendant characterem. Hic ergo & de his absoluta oratione, & benedictionis postulata remuneratione, ad aliam transibo narrationem.

SYMEONES.

XXV I.

Huius meminuit Evangelicus in primo libro historia ecclesiastica. Metaphrastes in vita Theodosii Cænobiarcho: & Ioannes Damascenus in libro quem scripsit adversus vituperatores imaginum.

Symeonem illum insignem, magnum illud orbis terrarum miraculum, sciūt quidem omnes qui parent imperio Romanorum: norūt autem Persæ quoque & Indi & Ætiopes. Quinetiam ad Scythas vsq; Nomadas fama peruadens, eius in laboribus subeūdis diligentiam docuit & philosophiam. Ego autem etiam cum omnes, ut semel dicam, homines testes habeam, vereor narrare certamina, quæ omnem superant orationem: ne posteris videatur fabula nuda ab omni veritate. Quæ enim fiunt, humana sunt natura superiora. Solent autem homines natura metiri ea quæ dicūtur. Si quid autem dicatur quod eius excedat limites, falsa videtur oratio iis qui non sunt diuinis

initiati mysteriis. Quoniam autem piis & vera religione præditis terra & mare plena sunt: & qui in rebus diuinis sunt eruditi, & sanctissimi spiritus gratiam acceperunt, tantum abest ut non credant iis quæ dicenda sunt ut iis etiam magnam fidem sint habituri: propterea & alacri animo accedam ad narrationem. Illinc autem incipiam unde etiam superna dignatus est vocatione. Et quidam vicus situs in confinio nostræ regionis & Cilicum: eum autem Sefam nominant. Ex hoc ortus, primò à parentibus docebatur oves pascere: ut in hoc conferri possit cum magnis viris, Iacob patriarcha, Ioseph temperante, & Mose legislatore, & David Rege & Propheta, & Michæa Propheta, & viris diuinis qui illis fuere similes. Cum aliquando autem plurimum nauigasset, & coactæ essent oves intus manere, facta ei potestate quiescendi, ad templum diuinum venit cum parentibus. Hæc autem narrationem audiui sanctam linguam. Dicebat ergo se vocem audiuisse Euangelicam, quæ eos quidem qui flent & lugent beatos pronunciat: miseros autem vocat eos qui ridet, & eos nominat felices qui sunt mundo corde præditi, & alia quæ sunt his cōnexa. Deinde ex iis qui aderant interrogasse quempiam, quidnam fecerit aliquis ut horum vnumquodque consequatur? Eum autem illi vitam retulisse solitariam, & summam illam ostendisse philosophiam. Cum ergo verba diuini hæc suscepisset semina, & profundis animæ sulcis ea pulchrè occulisset, dicebat se iuisse in proximam ædem sanctorum Martyrum. In ea autem & genua & frontem in solo defixisse, & eum rogasse qui vult omnes

Sefa vicus.

Vox euangelij multos venocat.

Ecclesiast. Et ortus martyrum.

*Conuersio
Symeonis.**Viso.*

homines saluos facere, vt eum deducat ad viam perfectam pietatis & veræ religionis. Cùm autem hoc modo diu effet moratus, dulcem quidem somnum quendam sibi obrepfisse, tale autem vidisse somnium. Mihi, inquit, videbar fodere fundamenta: deinde audire aliquem stantem, quòd me oporteat fossam facere profundio rem. Cùm itaque adiecissem vt iussit altitudinem, rursus tentabam quiescere: sed me quoque rursus iubebat fodere, & non cessare à labore. Cùm autem hoc mihi ter & quater præcepisset facere, tandem dixit eam sufficere altitudinem: & iussit edificare deinceps nullo labore: vtpote quòd cùm cessasset labor, futura quoque esset ædificatio citra laborem. Huic prædictioni res ferunt testimonium. Ea enim quæ fiunt, humanam naturam excedunt. Cùm illinc surrexisset, ad propinquorum quorundam monachorum venit habitaculum. Duobus autem annis cum illis versatus, & perfectioris virtutis amore captus, venit ad vicum illum Teledam, cuius prius quoque meminimus: apud quem magni & diuini viri Ammianus & Eusebius palæstram fecere monasticam. Sed non venit in hanc diuinus Symeones, sed in aliam quæ ex hac germinauit. Eusebonas enim & Abiton cùm magni Eusebij doctrinam satis percepissent, hoc philosophiæ edificauere gymnasium. Cùm itaque toto vitæ tempore fuissent & animis concordēs & moribus, & veluti vnam animam ostendissent in duobus corporibus, multos habuerunt qui eiusdem vitæ tenebantur amore. Cùm ij autem ex hac vita gloriose excessissent, Heliodorus admirandus suorum sodalium

*Teleda vicus.**Ammianus & Eusebius.**Eusebonas & Abitō.**Heliodorus*

lium accepit præfecturam: qui cūtu vixisset sexaginta & quinque annos, sexaginta & duos annos intus inclusus transegit. Cùm enim tres annos apud suos parentes fuisset educatus, hunc gregem est ingressus, cùm nihil vnquam aspexisset eorum quæ fiunt in mūdo. Dicebat autem se ne ipsam quidem nosse formam porcorum vel gallorum vel aliorum huiusmodi. Eum ego sæpe vidi, & simplicitatem morum sum admiratus, & eius animi puritatem sum mirum in modū amplexus. Cùm ad hunc venisset hic præstantissimus pietatis Athleta, decem quidem annos perpetuos decertauit. Cùm autem haberet octoginta eiusdem certaminis socios, omnes longo interuallo superauit. Et cùm alij post duorum dierū spatium vescerentur, ipse totā hebdomadam permanebat ieiunus, ægrè ferentibus præsidibus, & cum eo contendentibus, & ordinis perturbationem eam rē vocantibus, iis tamen quæ dicebantur non persuadentibus, nec animi alacritatē refrenare valentibus. Audiui autem illū ipsum narrātem qui nunc est huius gregis præfectus, quòd cùm aliquando funem contextum ex palmis, est autem is asperrimus, sumpfisset, & manibus astrinxisset, eo lūbos succinxit, non apponens extrifecus, sed ipsi pelli applicans: & tam arctè compressit, vt tota illa pars cui fuerat impositus, circuncirca exulceraretur. Postquā autem plus quàm decem dies hoc modo transegisset, & vlcus quod incrudescēbat guttas sanguinis emitteret, rogauit quidam qui hoc viderat quānam esset causa sanguinis. Cùm is autē diceret nihil esse quod ei afferret molestiam, eius focius per vim & manum

*Ieiunia.**Funis ex Palmis.*

immisit, & causam didicit, & eam præfector enunciauit. Mox ergo increpans, & rogans, & rei crudelitatem reprehendens, vix illi soluit vinculum: sed nec sic persuasit vt illi vlceri vllam adhiberet medicinam. Porrò autem cum eum viderent facere alia eiusmodi, iusserunt vt ab illa palæstra recederet: ne iis qui erant corpore imbecilliori, ea quæ essent supra vires æmulari conantibus, damni causa fieret. Egressus ergo cum venisset ad mōtis loca magis solitaria, & quædam sine aqua lacum non valde profundum inuenisset, in eum seipsum demisit, & in eo Deo offerebat hymnodiam. Pœnitentia autem ducti illius palæstræ præfecti, duos quosdam emiserunt permittentes vt eum quærent & ducerent. Cum itaque ij montem circuissent, rogant quosdam qui illic pascebant pecora, an vidisset aliquem tali colore præditum & sic vestitum. Vbi autem lacum pastores ostenderunt, valde quidem statim exclamauerunt, fune autem allato, eum cum magno labore extraxerunt. Non est enim æquè facilis ascensus atque discensus. Cum itaque paruo tempore apud illos esset moratus, venit in vicum Telanessum, subiectum cacumini montis in quo nunc degit. In eo cum paruam inuenisset domunculam, tres annos transēgit inclusus. Cum autem cōtenderet virtutis augere diuitias, desiderauit similiter ac diuini homines Moses & Elias, ieiunus permanere quadraginta diebus: & admirabili Basso conatur persuadere, qui tunc multos obiit vicos, vt qui præesset iis qui erant in pagis sacerdotibus, vt nihil quidem intus relinquat, luto autem ostium obstruat.

*Symeonis
in lacu sicco
canit hym-
nodiam.*

*Telanessius
vicus.*

*Mosis &
Elyæ ieiunium.*

Sacerdotes.

Cum is autem rei referret difficultatem, & moneret ne violentam mortem existimaret esse virtutem: est enim id crimē & maximum & primum. At tu, inquit, ô pater, repone mihi decem panes, & hydriam aquæ: & si videro corpus egere alimento, ero eorum particeps. Factum est vt iussit: & illa quidē fuerunt reposita, ostium autem luto est obductum. Finitis autē diebus, venit quidem ille admirandus & homo Dei Bassus: amoto autem luto, ostium ingressus, inuenit quidem panum numerum: inuenit autem vrnā quoque aqua plenam: ipsum autem iacentem, nec spirantem, & nec loqui nec moueri potentē. Spongia ergo petita, cum os ea humectasset & eluisset, ei obtulit diuinorum sacramentorum symbola: & sic per hæc confirmatus, surrexit, & modicum cibi sumpsit, lactucas & intybum & his similia paulatim mandens, & ad ventriculum transmittens. Obstupefactus itaque magnus ille Bassus, venit ad suum gregem, magnum hoc narrans miraculum. Habebat enim plusquam ducentos sodales, cum nec eis iumentum habere, nec molam permisisset, neque aurum ab aliquo oblatum accipere, neque aliquem extra fores egredi aut aliquid ex necessariis empturum, aut aliquem ex suis notis visurum: sed intus agere, & quod à diuina gratia mittebatur alimentum accipere. Hæc legem in hodiernum vsque diem seruant sodales: & quanuis creuerit eorum numerus, mandata quæ eis data sunt non transilierunt. Ego autem ad magnū trāsibo Symeonem. Ab illo ergo tempore vsque in hodiernum diem, iam autem præterierunt viginti & octo anni, manet ieiunus quadraginta

*Magna ho-
minis sus-
ceptio.*

*Ieiunium
per integrā
quadrage-
simā absque
cibo.*

Eucharistia

dies. Tempus autem & assuefactio multum detraxit
*Mira auste-
ritas, & as-
peritas vi-
ta.* de labore. Solebat enim primis diebus stare & Deum
 laudare. Deinde cum propter inedia non posset am-
 plius corpus pati stationem, deinceps sedere & diui-
 num peragere officium: postremis autem diebus etiam
 accumbere. Nam cum paulatim consumerentur & ex-
 tinguerentur vires, cogebatur iacere semimortuus.
*Mirum qua-
dragesima-
le ieiunium.* Postquam autem stetit in columna, non inducebat qui-
 dem in animum ut descenderet, sed alia ratione exco-
 gitauit ut staret. Nam cum trabem quamdam columnae
 alligasset, & seipsum rursus funibus trabi adaptasset,
 sic quadraginta dies perpetuos transiit. Post haec au-
 tem cum maiorem deinceps a superioribus gratiam accepisset,
 ne hoc quidem opus habuit auxilio: sed stetit qua-
 draginta dies, cibum quidem non sumens, sed alacritate
 animi & diuina gratia confirmatus. Cum ergo tres
 perpetuos, ut dixi, annos in illa transiisset domun-
 cula, ad hoc tantopere sermonibus iactatum & celebra-
 tum venit cacumen: & cum septum circuncirca fieri
 mandasset, ferream autem catenam viginti cubitorum com-
 parasset, & eius unum quidem initium cuidam petrae maxi-
 mae appendisset, alterum autem dextero pedi adaptasset,
 ut nec si vellet quidem, abiret extra eos limites, in
 eo degit coelum assidue visione apprehendens, & ut
 ea quae sunt supra coelos contempleretur sibi vim affe-
 rens. Mentis enim volatum non impediabat ferri vin-
 culum. Postquam autem Meletius ille admirabilis cui
Meletius. tunc mandata erat cura episcopatus regionis Antio-
 chensium ciuitatis, vir cordatus, & prudentia clarus, &
 ingenij solertia ornatus, superuacaneum dixit esse

ferrum, cum sufficiat mens ad corpori imponenda ra-
 tionis vincula, cessit quidem, & eius paruit suasioni.
 Cum autem aeris fabrum accersiri iussisset, praecipit
 solui vinculum. Cum autem tibiae quoque adapta esset
 pellis, ne corpus laederetur a ferro, & oporteret eam,
 fuerat enim confuta, dirumpi, dixerunt se vidisse plus
 quam viginti maximos cimices, in ea tanquam in cauer-
 na delitescentes: & hoc se dicebat vidisse admirandus
 Meletius. Ego autem huius memini, hinc quoque o-
 stendens magnam viri tolerantiam. Nam cum posset
 pellem manu comprimere, & omnes facile interimere,
 molestos morsus toleranter passus est, in paruis se lu-
 benter ad maiora exercens. Cum ergo peruolaret fa-
 ma in omnes regiones, concurrebant omnes, non so-
 lum vicini, sed qui etiam multorum dierum itinere abe-
 rant: alij quidem paralyticos afferentes: alij vero a-
 gris sanitatem petentes: alij autem ut patres fierent
 rogantes: & quod a natura non acceperant, ab illo vole-
 bant accipere: cumque acciperent, & quae postulabant
 impetrarent, laeti quidem redibant: quae autem erant
 consecuti beneficia praedicantes, longe plures eadem
 petituros emittebant. Sic autem omnibus undique ad-
 uenientibus, & per totam viam instar fluminis affluen-
 tibus, videre est pelagus hominum in illo loco consti-
 tutum, quod fluuios undiquaque excipit. Non solum
 enim confluunt qui nostram habitant regionem, sed
 & Ismaelitarum, & Persarum, & Armenij qui sunt eis subiecti
 & Iberes, & Homeritarum, & qui illis sunt interiores. Ve-
 nerunt autem multi quoque qui habitant extrema oc-
 cidetis, Hispani, inquam, & Britanni, & Galli, qui quod

*Magna vi-
ri tolerantia.*

*Curatio in-
firmorum.*

*Concurfus
populorum
ad Symeonem.*

est intermedium occupant. De Italia enim superuacaneum est dicere. Aiunt enim Romę, quę est lōgē maxima, eum fuisse adēd omnium sermōne celebratum, vt in officinarum omnibus vestibulis & porticibus ei paruas posuerint imagines, hinc sibi præsidium & tutelam parantes. Cū ergo venirent innumerabiles, conabantur autem omnes contrectare, & ex pelliceis illis vestibibus aliquam percipere benedictionem, primū quidem absurdum & alienum existimans tam insignem sibi haberi honorem, deinde etiam rem agrē ferens, vt nimis laboriosam, machinatus est illam in columna stationem: primū quidem iubens ædificari sex cubitorum: deinde duodecim: postea autem viginti duorum: nunc autem sex & triginta. Cupit enim in cœlum euolare, & ab hac terrena liberari cōuersatione. Ego autem nec absque diuino consilio existimo hanc factam fuisse stationem. Quamobrem eos hortor qui reprehēdendi studio delectātur, vt linguā suam refrenent, & non temerē eam ferri permittant: sed potius considerent quōd sępe talia machinatus est Dominus vt eis prodesset qui sunt socordiores. Etenim iussit Esaiam ambulare nudum & nudis pedibus: Hieremiam lumbis cingulum circūponere, & sic incredulis offerre propheticam: & aliquādo etiam lignea & collaria ferrum collo imponere: quinetiam Osee quoque vxorem accipere fornicariam: & rursus amare mulierem fornicariam: & adulteram: & Ezechieli super dexterum latus cubare quadraginta dies: & super sinistrum centum & quinquaginta: & rursus murum perfodere, & fugientem exire, & sibi

*Imagines
sanctorum.
Hic locus
fuit citatus
in septima
synodo isdē
verbis: in a
Elione quar
ta.*

*Ex Vesti-
bus pelliceis benedi-
ctio.*

*Fuerāt etiā
olim calum
niatores hi-
storiarum.*

*Aptissima
confirmatio
austeritatis
& asperita-
tis illius
monasticę.
1 nudi pe-
des.
2 lumbi cin-
cti.
3 collaria li-
gnea & fer-
rum.
4 cubare.
40 dies
& 150.*

describere captiuitatem. Quineriam ensem aliquando acuere, & eo caput radere, & in quatuor partes capillos diuidere: & alios quidem huic: alios verō illi distribuere: ne omnia recenseam. Vnumquodque autem horum iussit fieri rector vniuersorum, eos qui sermōni non parebant, nec vt prophetia audirent in animum inducebant, admirabilitate spectaculi colligens, & vt diuina responsa audirent, efficiens. Quis enim non obstupuit, cū videret diuinum hominem nudum ingredientem? Quis autem non desiderauit scire causam, cur hoc fieret? Quis autem non est percontatus, cur fornicariam propheta secum habitare pateretur? Quomodo ergo vniuersorum Deus iussit illorum vnumquodque fieri curam gerens eorum qui ignauē & socorditer viuebant: ita etiam hoc nouum & admirabile procurauit spectaculum, rei nouitate & admirabilitate omnes trahens ad spectandum, & efficiens vt aduenientibus credibilis exhiberetur admonitio. Nouitas enim spectaculi est pignus sufficiens doctrinę: & qui venit ad spectaculum, cum res diuinas doctus fuerit, recedit. Et quemadmodū ij quibus obrigit vt essent reges hominū, post aliquā temporis conuersionē mutant imagines nūmorum: aliquando quidem leonum exprimentes imagines: aliquando autem stellarum: & aliquando angelorum, nouo caractere tentantes aurum reddere pretiosius: ita etiā summus rex vniuersorum, veluti quasdam figuras ac caracteres, hęc noua & multiplicia viuendi instituta, pietati veraque religioni adiiciens, non solū fidei alumnorum, sed eorum etiam qui laborant morbo incre-

*cap ultra-
deve.*

*Caracteres
Regij.*

dulit tis, ad laudandum linguas excitat. Et quòd ita se habeat, non solum verba testatur, sed etiam res ipsa clamant. Ismaëlitariū enim millia innumerabilia, quæ impietatis feruiebant caligini, illa in columna illuminavit statio. Nam veluti super candelabrum aliquod posita hæc lucerna lucidissima, solis instar emisit circunquaque radios: & est, vt dixi, videre Iernas venientes, & Persas, & Armenios, & diuinū baptismum accipientes. Ismaëlitæ autem turmatim veniētes, ducenti simul & trecenti, & nonnunquā etiam mille, errorem quidem patrium negant cum clamore: quæ autem illi coluerant simulachra, ante magnum illud lumen conterentes: & Veneris orgiis renunciantes, ab alto enim repetitis tēporibus acceperant cultū huius dæmonis, diuina percipiūt sacramēta: leges accipientes à diuina illa lingua, & patrios ritus valere iubentes, asinorūque agrestium & camelorū esum abnegantes. Eosque ego & vidi & audiui, & patriam impietatem abnegantes, & doctrinæ euangelicæ assentientes. Semel autem maximum adij periculum. Ipse enim eis dixit vt ad me accederent, & sacerdotalem acciperent benedictionem: dicens fore vt magnum hinc fructum perciperent. Cùm illi autem paulò magis barbaricè concurrissent, alij quidem antè trahebāt, alij verò ponè, alij autem ex obliquo. Qui autem aliis aberant longius, irruentes, & manus protendentes, alij quidem barbam vellebant: alij verò vestes apprehendebant: & à vehementiori illorum aditu fuifsem suffocatus, nisi ille clamorē edens omnes disperfisset. Talē, quæ à dicacibus irridetur hominibus, columna,

Lucerna.

*Concurfus
populi ad
Simonem.*

*Sacerdotalis benedi-
ctionis ma-
gnus fru-
ctus.*

lumna effudit vtilitatem, & tantum emisit radiū Dei cognitionis in mentes barbarorum. Scio etiam aliud ab eo fuisse factum eiusmodi. Obsecrabat vna tribus diuinum hominem, vt deprecationem quādam & benedictionem emitteret suæ tribus præfecto. Alia autem quæ aderat tribus contradicebat, dicens nō oportere illi emitti benedictionē, sed ei qui præest suæ tribui: illum enim esse iniustissimum: hunc verò alienum ab iniustitia. Cùm autem inter eos magna fuisset contentio, & barbarica decertatio, tandem in se inuicem irruerunt. Ego autē proluxa vsus oratione, suadebam vt quiescerent: vt pote quòd vir diuinus sufficeret ad dandam & huic & illi benedictionem. Sed hi quoque dicebant non oportere illum hanc assequi, & illi ea alterum priuare conabantur. Cùm eis autem desuper esset minatus, & eos canes vocasset, vix sedauit contentionem. Hæc autem dixi, volens ostendere quanta esset eorum animi fides. Nō enim sic inter se insaniif-ferent, nisi diuini viri benedictionem credidissent maximam habere virtutem. Vidi autem aliud quoque miraculum quod fuit valde celebratum. Quidā enim ingressus, erat autē is quoque Saracenorum vnus tribus præfectus, supplex petebat à diuino capite vt cuidam opem ferret cui in via erant paralyfi soluta membra corporis. Dicebat autem eum morbum ei accidisse in Callinico: est autem id castellum maximum. Cùm is itaque fuisset allatus in medium, effecit vt negaret impietatem maiorum. Vbi autem lubenter obediit, & quod iussus fuerat impleuit, rogauit an crederet patri, & vnigenito filio, & sancto spiritui. Cùm

*Barbari in
se inuicem
irruunt.*

*Curatur pa-
raliticus.*

is autem se confessus esset credere. His, inquit, credēs appellationibus, surge. Postquā autē surrexit, iussit vt tribus præfectū suis ferret humeris vsque ad ipsum tabernaculum : habuit autem corpus maximum : & ille quidem eo accepto, statim abiit. Qui autem aderant, ad Dei laudes linguas mōuerunt. Hoc autem iussit, Dominū imitās, qui iussit paralytico ferre lectum. Sed imitationem nemo vocet tyrannidem. Est enim

“ vox eius, Qui credit in me, opera quæ ego facio ille
 “ quoque faciet : & maiora his faciet. Etenim huius promissi euentū vidimus. Nam cū vmbra Domini nunquam fecerit miraculum, magni Petri vmbra & mortem fregit, & morbos exegit, & fugauit dæmōnes. Sed dominus & hæc per suos seruos fecit miracula : & nunc quoque similiter eius vtens appellatione, diuinus Symeones innumerabilia efficit miracula. Accidit enim vt aliud quoque fieret miraculum, priore minimè inferius. Ex iis enim qui in nomen salutare Domini Christi crediderant, quidem Ismaëlita non obscuro loco natus, Deo votum fecerat, hoc diuino viro teste. Pollicitus autem erat futurum vt se deinceps perpetuò abstinere ab esu cuiusuis animati. Hoc promissum nescio quomodo quodam tempore transgressus, occisam auem ausus est comedere. Cū Deus autem per increpationem eum ad conuersionem voluisset deducere, & suum famulum honorare, qui fuerat testis promissi quod is fuerat transgressus, mutata est in lapidis naturam caro auis, ad eò vt nec si vellet quidem, deinceps eo vesci posset. Quomodo enim potuisset, cum lapiduisset quod ad ci-

Votum abstinendi à carnibus.

Auis caro mutata in lapidis naturam.

bum sumptum fuerat corpus? Hoc admirando & incredibili spectaculo obstupescens barbarus, ad sanctum venit quam celerrimè, quod erat occultum peccatum in lucem proferens, & suam transgressionem omnibus enuncians, & delicti à Deo petens veniam, & sancti auxilium inuocans : vt omnipotentibus suis precibus ipsum peccati vinculum exolueret. Multi autem id videre miraculum, qui auis partem ex offe & lapide constantem viderunt in eius pectore. Non solum autem fui spectator miraculorum, sed etiam auditor eorū quæ prædicta sunt futura. Etenim eam quæ fuit siccitatem, & magnam illius anni sterilitatem, & eam quæ consecuta est simul famem & pestem, duobus annis antè prædixit : dicens se præuidisse virgam quæ infligitur hominibus & flagella quæ per eam intentantur. Porro autem aliàs quoque significauit irruptionem eius qui Bruchus seu eruca dicitur : & eam non esse magnum detrimentum allaturam, cū diuina clementia mox sequatur supplicium. Cū autem triginta dies præterissent, innumerabilis quidem supra stetit multitudo, vt etiam radium dissecarent, & vmbra offunderent : idque omnes planè & perfectè vidimus : solum autem dedit damnum bestiarum pascuis : cibum autem hominum nulla ex parte læsit. Iam verò mihi quoque qui ab aliquo oppugnabar, significauit ante quindecim dies futurum belli finem : & prædictionis veritatem didici experientia. Quinetiam ei aliquando visæ sunt duæ virgæ quæ ferebantur quidem de cœlis, in terram autem orientalem cadebant & occidentalem. Hanc autem

Symeon prædixit sterilitatē & pestem.

Alio prædixit Elio.

Visio.

Perficæ & Scythicæ gentis in imperiū Romanorum inurrectionem, significauit vir diuinus, & iis qui aderant effatus est visionem: multisque lachrymis & precibus assiduis repressit plagas quæ intētabantur minæ in orbem terræ. Gens quidem certè Persarum iam armata, & parata ad Romanos inuadendos, eis diuina aduersante voluntate, à cepto est retardata, & intrinsecus in malis propriis occupata. Cùm autem sciam plurima alia eiusmodi, ea prætermittam, orationis vitās prolixitatem. Sufficiunt hæc quidem certè ad ostendendam spiritalem eius mentis contemplationem. Eius quoque fuit magna fama apud regem Persarum: vt enim narrarunt legati qui ad ipsum venerunt, diligenter sciscitabatur quædam esset eius vita, & quænam miracula. Dicunt autem eius quoque coniugem, & petiisse oleum dignatum eius benedictione, & tanquam donum maximum accepisse. Quinetiam omnes regis affeclæ, & à fama commoti, & multas in eum à magis adornatas accipientes calumnias, diligenter rogabant, & cùm intellexissent, virum diuinum nominabant. Cætera verò turba, & ad muliones accedentes & ad famulos & milites, & pecuniam offerebant, & rogabant vt essent participes olei benedictionis. Ismaëliitarum autem regina cùm esset sterilis, & cuperet filios, primùm quidem misso aliquo ex iis qui valebant dignitate & auctoritate, obsecrauit vt mater fieret. Postquam autem assecuta est petitionem, & peperit vt cupiit, accepto rege qui natus fuerat, profecta est ad diuinum senem & quoniam non licebat mulieribus ad eum accedere, ad

eum misso infante, rogauit vt consequeretur eius benedictionem. Tuus enim, inquit, est hic actus. Ego enim obtuli cum lachrymis semen orationis: tu autem semen effecisti manipulum, cùm diuinæ gratiæ imbrem attraxisses per deprecationem. Sed quousque conor metiri altitudinem maris Athlanti? Nam sicut eam non possunt homines dimetiri: ita narrationem exuperant quæ ab illo fiunt quotidie. Ego autem eius ante hæc omnia admiror tolerantiam. Noctu enim & interdiu ita stat vt videatur ab omnibus. Ablatis enim foribus, & non minima parte ambitus dissoluta, proponitur omnibus spectaculum nouum & admirabile: nunc quidem stans longo tempore, nunc autem frequenter se incuruans, & Deo offerens adorationem. Iam verò multi quoque ex adstantibus enumerant has adorationes. Semel autem quidam ex iis qui mecum erant, cùm enumerasset mille & ducentas & quadraginta quatuor, deinde lapsus esset, destitit numerare. Semper autem se inclinans, prope digitos pedum frontem admouet. Nam cùm venter semel in hebdomada alimentū accipiat, idque exiguum, quantum est diuinorum sacramentorum participatio, dorso cōcedit vt facile inflectatur. Auunt autem ei ex statione in altero pede enatum esse vlcus chironiū, & illinc assidue plurimam excerni saniem. Sed nihil quod ei accidit, reprimit philosophiam: sed fert forti & generoso animo voluntaria & inuoluntaria, alacritate animi & hæc & illa superans. Hoc autem vlcus coactus quoque est aliquando alicui ostendere. Dicam autem causam: Venit ab Arabena quidā vir bonus, & hono-

ratus Christi ministerio. is cum ad illud peruenisset cacumen, Dic mihi, inquit, per ipsam veritatem, quæ hominum genus ad se conuertit, esne homo an natura incorporea? Cum autem qui aderant ægré ferrent interrogationem, omnes quidem iussit tacere: ad illum autem dixit, Cur hanc mihi proposuisti interrogationem? Cum autem dixisset, Quoniam omnes vulgo iactare audio, te neque comedere nec dormire: vtrunque autem est hominum proprium. nemo enim qui hac sit natura præditus, vixerit absque alimento & somno. Ille autem iussit quidem scilicet admoueri columnæ, illum autem ascendere: & primum quidem manus aspicere: deinde intra pelluceum illum amictum manum mittete: & videre non solum pedes, sed etiam vlcus illud grauissimum. Cum autem homo vidisset, & admiratus esset vlcus magnitudinem, & ex eo didicisset quomodo sumat nutrimentum, illinc quidem descendit, ad me autem veniens narravit omnia. In festis autem publicis aliam quoque ostendit tolerantiam. Nam post occasum solis, donec is rursus venerit ad orientem occidentalem, manibus in cœlum extensis stat tota nocte, nec à somno delinitus, nec à labore superatus. In tantis autem laboribus, tantæque rerum gestarum magnitudine, & miraculorum multitudine, est tanta morum modestia ac moderatione præditus ac si sit dignitate postremus omnium hominum. Præter modestiam autem, & facilis ad eum patet aditus, & est affabilis & suavis: & respondet unicuique eorum qui loquuntur, siue sit opifex, siue mendicus, siue rusticus. A munifico autem

& liberali domino accepit etiam donum doctrinæ: & bis quotidie faciens admonitiones, irrigat aures eorum qui audiunt, pulchrè admodum loquens, & diuini spiritus exhibens disciplinam: & iubens in cœlum suspicere & euolare, & à terra discedere, & regnum quod expectatur visione apprehendere, & gehennæ minas timere, & terrena contemnere, & futura expectare. Licet autem eum quoque videre iudicantem & rectas ac iustas ferentem sententias. Hæc autem & quæ sunt huiusmodi, fiunt post horam nonam. Totam enim noctem & diem vsque ad nonam orat perpetuò. Post nonam autem, primum quidem diuinam doctrinam exhibet præsentibus. Deinde audita vniuscuiusque petitione, cum aliquas fecerit curationes, componit lites eorum inter quos est controuersia. Circa occasum autem solis deinceps incipit conuenire dominum. Sed quanuis in his versetur, & hæc omnia faciat, nec sanctarum ecclesiarum curam abiicit & prouidentiam, aliquando quidem pugnans cum impietate gentium: aliquando autem frangens Iudæorum audaciam: aliquando autem fundens ac profligans turmas hæreticorum: & aliquando quidem de his scribens ad Imperatorem, aliquando autem præfides ac magistratus ad diuinum zelum excitans: aliquando autem ipsis quoque ecclesiarum pastoribus maiorem gregis curam gerere præcipiens. Hæc autem sum persecutus, ex gutta conatus ostendere pluuiam, & iis qui hæc scripta legerint, tanquam indice gustandam præbere mellis dulcedinem. Quæ autem decantantur ac celebrantur ab omnibus, ea sunt iis lon-

gè plura. Sed non sum omnia scribere pollicitus, sed paucis eius vitæ instituti ostendere formam & characterem. Conscribent autem, vt est consentaneum, alij quoque his longè plura. * Cùm post hæc autè diu vixisset, & multis miraculis & laboribus, ardorèque solis, & hiberna glacie, & vehementibus ventorū insultibus, & humanæ naturæ imbecillitate, solus ex omnibus qui vnquam fuerunt mansisset inexpugnabilis, postquam eum deinceps oportuit esse cum Christo, & immensorum certaminum coronas accipere, quòd homo quidem esset morte confirmauit iis qui non credebant: mansit autem etiam post mortem immobilis: & in cœlum quidem anima peruenerat: corpus autem ne sic quidem cadere sustinuit: sed relictum stetit in loco certaminum, tanquam inuictus Athleta nulla parte membrorum volens terram tangere. Sic Christi Athletis manet etiam post mortem cum eis simul versans victoria. Variorum certè morborum curationes, & miracula, & diuinarum virtus operationum, sicut quando erat superstes, ita nunc quoque fiunt, non solùm apud oculos sanctarum reliquiarum, sed etiam apud summæ eius virtutis & diurnæ decertationis monimētum: magnam, inquam, illam & celebratam columnam huius iusti & laudibus celebrandi Symeonis. Cuius sanctis intercessionibus cupio vt ego adiutus, in his sanctis perseuerem laboribus: Deumque precor qui est communis ornatus, & est splendor pietatis & vere religionis, vt & mea vita corrigatur, & ad Euangelicam vitæ formam dirigatur.

Hæc non sunt Theodori, sed ab aliquo addita post mortem Symeonis. Cū enim vitam scriberet Theodoretus, adhuc viuens Symeones.

Reliquiarum miracula.

Inuocatio sanctorum.

ET communis hominū hostis inuenit multas vias xxvii. vitij, vniuersam humanam naturam studens penitus perdere: & pietatis veræque religionis alumni, multas & diuersas excogitauere scalas quibus in cœlum ascenderetur. Alij quidem per classes decertantes, sunt autem hi coetus innumerabiles, incorruptis fruuntur coronis, & desideratū ascensum consequuntur. Alij autè vitam amplectentes monasticā, & cum Deo solum loqui meditates, & nullam consolationē humanam participant, sic victores publicè renuntiantur. Alij autem in tabernaculis, & alij in tuguriis degētes. Deum laudibus celebrant. Alij verò amplectuntur vitam in antris & speluncis. Multi autem, ex quibus aliquorum meminimus, non antrum, non tabernaculum, non speluncam, non tugurium habere decreuerunt: sed nudo aëri sua corpora mandantes, contrarias qualitates tolerant: aliquando quidem summo gelu concreti: aliquando autem igne radiorū exusti. Iam verò eorum quoque rursus est vita diuersa. Nam alij quidem stant assiduè. Alij verò in sessionem & stationem diem diuidūt: & alij quidem septis quibusdam inclusi, fugiunt multorum congressionē. Alij verò nullo huiusmodi vtentes tegumento, propositi sunt omnibus qui eos volunt contemplari. Vnumquodque autem horum in præsentia necesse habui persequi, cū admirabilis Baradati vellem vitam cōscribere. Is enim excogitauit nouas rationes exercendæ tolerantia. Nam cū primū quidem longo tempore se inclusisset in domuncula, sola diuina frue-

HHH

batur contemplatione. Illinc cum rupem occupasset imminentem, & paruam quandam arcã, nec iusta quidem symmetria corpori congruentem, ex lignis cõstruxisset, in ea vitam degebat, deorsum assiduè incuruari coactus. Non habebat enim altitudinem eius longitudini iusta proportione conuenientem. Non erat autem ea compacta asseribus: sed erat aperta similiter atque cãcelli: & erat similis fenestris quæ latiores habent ingressus luminis. Quocirca nec à pluuiæ erat impetu libera, nec erat tectã à flamma solis: sed vtraque non minus admittebat quàm alia quæ sunt sub diuo: in hoc autẽ solo ea superabat, quòd accederet labor inclusionis. Cùm autem longum tempus hoc modo transegisset, postea egressus est, cedens precibus diuini Theodoti, cui obtigerat pontificalis sedes Antiochena. Stat autem assiduè manus in cœlum extendens, & vniuersorum Deum laudans: totũ corpus tunica pellicea cõtegens: circa nasum autem solũ & os, reliquit modicũ ingressum spiritui, vt respiret, communem aërem excipiens, quoniã humana natura non posset aliter viuere. Omnem autem eum laborẽ sustinet, cùm non sit corpore valde robusto, sed valedudinario & multis morbis obnoxio. Feruens autem animi alacritas, & diuino amore incensa, cogit vt laboret qui non potest laborare. Iam verò sapiẽtia quoque & intelligentia ornatus, optimè & interrogat & respõdet, & ratiocinatur nonnunquam melius & potentius iis qui Aristotelicos legẽre labyrinthos. Cùm sit autem in ipso summo virtutis fastigio, non sinit vt arrogãtia simul efferatur spiritus, sed iubet eum deor-

sum repere circa ipsum latus montis. Sic enim quantum sibi damnum mens conciliat quæ tumet & ardet insolentia. Hæc est in summa eius philosophia. Cui concedatur vt crescendo possit metam cursus attingere. Est enim communis piorum lætitia, horum qui victoria potiti sunt gloria. Mihi autem detur, vt eorum suffultus precibus, non sim procul ab hoc mõte: sed paulatim conscendam, & me eorum contemplationis voluptate expleam.

THALELÆVS.

NEquè Thalelei silebo narrationem, est enim plenum miraculo spectaculum. Non solum autem alios audiui narrantes, sed etiam ipse vidi admirabile & præter opinionem spectaculũ. Nã cùm viginti stadiis procul à Gabalis, ea est autẽ vrbs parua & elegãs, tumulum quendam occupasset, in quo erat templum dedicatũ dæmonibus, & quod ab iis, qui iam erãt antiquitus impij, multis honorabatur sacrificiis, paruum quoddã fixit tuguriũ. Sceleratos autẽ illos & execrandos perpetuò colebant, vt dicebant, magnã eorũ crudelitatem cultu placare adnitentes. Multis enim perniciem afferebant, & iis qui accedebant, & iis qui erãt vicini: nec solum hominibus, sed & asinis, & mulis, & bobus, & ouibus: non cum bestiis bellum gerentes, sed per eas quoque, hominibus tendẽres insidias. Tunc ergo cùm eũ vidissent aduenisse, perterrere quidem conabantur, sed nõ poterant, cùm & eũ muniret fides, & pro eo pugnaret gratia. Rabie itaq; & furore repleti, in eas quæ tunc illic plantatæ erant arbores fecerunt impetum. In illo autem tumulo multæ erãt

ficus & oleæ quæ florebant. Ex iis dicunt plus quam quingentas repente fuisse euulsas: audiuique plures vicinos agrestes id narrantes, qui olim quidē detinebantur caligine impietatis: per eius autem doctrinam & miracula, acceperūt lucem Dei cognitionis. Quoniam autem cū hoc fecissent perniciosi & scelerati dæmones, non exterruerunt athletam philosophiæ, rursus in eū alias parauere machinas. Noctu enim vluantes, & lampades ostentātes, conabantur perterrefacere, & eius rationem perturbare. Vbi autem risit omnes eorū insultus, eo postea relicto effugere. Is autem cū duas rotas cōstruxisset, quæ duorum cubitorū habebant diametrū, asseribus, nō inter se compactis, sed disūctis ac separatis, ambas rotas cōiunxit. Deinde cū intus sedisset, & cuneis & clauis disūctas illas cōfixisset tabulas, sub dio rotam appendit, tribus aliis altis lignis in terram defixis, & superioribus eorum initiis aliis lignis commissis, & in eorū medio duplici illa rota alligata, & sublime elata. Huius autem, spatii quidem quod est interius, habet quidem cubitorum duorum altitudinem: cubiti verò latitudinē. In eo sedens vel potius suspensus, annis iam fuit decem perpetuis. Cū autem corpus habeat maximū, neq; sedens quidem potest collum erigere, sed semper sedet incuruatus, genibus habens affixam faciem. Ad eum cū venissem, inueni quidem eū ex euangeliis colligentē vtilitatem: eū autem interrogavi, cupiens scire causam illius noui vitæ instituti. Ille autem Græca lingua vsus, erat enim Cilix genere, Ego, inquit, multis peccatis obnoxius, & credens suppliciis quorum mi-

næ sunt intentatæ, hoc vitæ genus excogitavi, hoc agens vt castigetur corpus pœnis mediocribus: vt eripiar à magnitudine earū quæ expectantur. Sunt enim illæ grauiores, non solū quantitate, sed etiam ipsa qualitate. Sunt enim inuoluntarię. Quod autem ab inuito fit, id est valde molestū. Quod autem est voluntariū, etiam si sit laboriosum, minorem affert dolorē: sponte enim suscipitur. Sed non labor violētus: si his ergo, inquit, paruis molestiis minuero ea quæ expectantur, hinc magnum lucrum referam. His auditis, eius ingenij solertiam valde sum admiratus, quod non solū iam facta septa transiliebat, sed etiam ex se alia excogitabat certamina: & quod non solū decertabat, sed eorum etiam causas sciebat, & alios docebat. Iam verò multa quoque miracula per eius preces fieri dixerunt accolæ: non solum hominibus, sed etiam camelis, & asinis, & mulis, curationem per eum adipiscentibus. Hinc vniuersa illa gens quæ impietate detinebatur, paternum quidem abnegauit errorem, diuinæ autem lucis accepit splendorem. His vtens ministris, & tēplum dæmonum diruit, & maximam ædem excitauit victoria insignibus martyribus: iis qui Dij falsō nominabantur, diuos opponens mortuos. Horum concedatur intercessionibus, vt hic cū eadē victoria, certaminum terminū occupet: & nos ab his & illo adiuti, simus vehemētes amatores certaminum philosophiæ.

*Intercessio
sanctorum.*

MARANA ET CYRA.

Postquam optimorum & præstantissimorum virorum vitæ conscripsi institutum, operæpretiū existimo mulierum quoque meminisse, quæ non minus
HHH iij

si non etiã amplius certauerunt. Eæ enim sunt digniores quæ laudentur, vt quibus quidem obtigerit natura imbecillior, eandem autem quã viri ostendant animi alacritatem, & à prima parente accepto dedecore genus liberauere. Maranæ autem & Cyræ meminero in præsentia, quæ tolerantia certaminibus omne alias vicere. His patria quidem est Berhoea: patriæ autem genus insigne: educatio auté generi conueniens. Sed his omnibus contemptis, cum exiguum quendam locum ante urbem comprehendissent, & intra eum fuissent, luto & lapidibus ostiũ obstruxere. Famulas autem quæ eiusdem vitæ volebant esse participes, extructo extra ambitum habitaculo, iusserunt in illo habitare. Ipsæ autem per quandam paruam fenestram respiciunt ea quæ ab illis fiunt, & eas frequenter excitat ad orationẽ, & accendunt ad diuinum amorem. Ipsæ verò cum neque domum habeant, nec tugurium, sub dio sua sponte vitam agunt. Pro ianua autem eis quædam parua extructa est fenestra, per quam necessarium alimentum accipiunt: & cum iis quæ ad ipsas veniunt colloquuntur mulieribus. Ad eam auté congressionẽ definitum est tẽpus pentecostes: alio autem tempore vitam amplectuntur quietam: sola auté Marana loquitur cum aduenientibus: alteram autem nemo audiuit vnquam loquentem. Ferrũ autem gestant, & tantum onus ferunt, vt Cyra, cui corpus obrigit imbecillius, ad terram vsque incuruetur, & corpus minimè possit erigere. Habent autem vela maxima, vt retro quidem trahãtur, & pedes omnino contegant, anterius autem vsque ad ipsam zonã demittãtur, vultũ simul & collũ

*Velamonia
lium.*

& pectus & manus occultantia penitus. Eas ego sæpe vidi, intra ianuam intromissus: iusserunt enim mihi aperiri, sacerdotij dignitatem honorantes. Vidi ergo illud ferri pondus quod nec à viro quidem forti & robusto ferri posset: & cum vehementer rogassem, tunc quidem auferre potui: postquam autem recessimus, id rursus suis mēbris imposuere: collo quidem, collare: lumbis autem zonam: manibus autem & pedibus ea quæ eis sunt attributa. Hoc modo autem viuunt, non quinque solum vel decem solis trãfactis annis, sed quadraginta duobus. Etcum tanto tẽpore decertauerint, tanquã quæ nuper certamina attigerint, delectantur sudoribus. Visione enim apprehendẽtes sponsi pulchritudinem, facillè ferunt cursus laborẽ, & properant peruenire ad finem certaminis: vidẽtes in illo stare delictum, & ostendẽtem coronam victorię. Ea de causa & imbris & niuis & solis excipiẽtes impetum, non cruciatũ nec dolorem sentiunt: sed ex iis quæ videntur molesta, animi gaudium percipiunt. Et diuini Mosis æmulate ieiunium, ter tanto tempore inedia sustinere. Quadraginta enim diebus exigui cibi fuisse participes. Ter quoque diuini Danielis à cibo abstinentiam sunt æmulate, tres dierum hebdomadas conficiẽtes, & cibum corpori suppeditantes. Cum autem aliquando desiderassent salutarium Christi passionum sancta loca contemplari, venerunt Æliam, cum in via nihil cibi sumpsissent. Sed postquam in illam urbem venerunt, & adorationem impleuerunt, cibum sumpserunt, & reuersæ sunt, rursus à ieiunis confecto itinere: est autem iter non pauciorum quàm viginti

*Terra sancta
Et visunt.*

dierum. Quinetiam cum victoria insignis Theclæ cupiissent videre ædem quæ est in Isauria, vt dilectionis in Deum flammam vndiquaque accenderent, sic profectæ sunt & reuersæ sunt ieiunæ. Tantum eas diuinum amatorium fecit diuino quodam furore debacchari. Tantum diuinus amor, earum in sponsum concitauit insaniam. Atque eæ quidem quæ tali vitæ instituto foemininum genus exornauere, vt quæ aliis fuerint exemplaria, coronabuntur à domino coronis victricibus. Ego autem proposira quæ hinc percipitur vtilitate, cum decepsero benedictionem, ad aliam trāsibo narrationem.

D O M N I N A.

xxx.

Diui Maronis cuius prius meminimus, vitam æmulata Domnina admirabilis, in orto maternæ domus paruum quoddam fixit tugurium. Ei autem tugurium efficit pannici stipula. Cōtinuis autem lachrymis non solum rigat genas, sed etiam vestimenta ex pilis. talibus enim indumētis tegit corpus. Circa gallo-
 rum autem cantum, ad diuinum templum quod non est procul, vadens cū aliis & foeminis & viris, vniuersorum domino offert laudes. Hoc autem facit, non solum die incipiente, sed etiam desinēte: quouis alio loco, locum Deo consecratum magis esse venerandum censens, & docens alios. Ea de causa & eius magnam curam gessit, matri persuadens, & fratribus vt facultates suas in id consumerent. Habet autem nutrimentum lentem aqua madefactam. Omnem autem hunc laborem sustinet, cum sit planè exiccato corpore & femimortuo. Pellis enim subtilissima, & quæ est in-
 star

star membranæ, est ossibus tenuibus circuniecta, adipe & carne consumpta à laboribus. Proponitur autem omnibus eam videre volentibus, & viris & mulieribus, neque vultum aspiciens, neque alij vultu spectandum exhibens, sed amictu quidem penitus coniecta, ad genua autem vsque incuruata, valde gracili autem voce & non satis expressa loquens, & eam quoque semper cum lachrymis proferens. Sæpe enim cum meam dexteram sumpsisset, & oculis imposuisset, eam dimisit aded madefactam, vt ex ipsa manu distillarent lachrymæ. Eam ergo cuius sunt tantæ opes philosophiæ, flentem lamentantem & ingemiscentem similiter atque eæ quæ sunt in extrema paupertate, quænam pro dignitate laudauerit oratio? Vehemens enim amor in Deum illas parit lachrymas, ad diuinam inflammans contemplationem, & pungens aculeis, & vrgens ad eum qui est hinc futurus excessum. Porrò autem quanuis in his diu noctuque versetur, ne aliorum quidem generum virtutis curam abiicit. Sed pro viribus quidem curat optimos Athletas, quorum meminimus, & quos prætermisimus: curat autem eos quoque qui ad ipsum veniunt: iubens quidem habitare apud vici pastorem, ipsa verò mittens omnia quæ sunt necessaria. Matris enim & fratrum facultates ei sunt propositæ ad sumptum faciendum, quæ per ipsum accipiunt benedictionem. Quinetiam mihi quoque venienti ad illam partem, est autem nostræ regioni ad austrum, mittit & panem & fructus & lentem madefactam. Sed quousque proluxa vtor oratione, studens omnem eius narrare virtutem, cum oportet

reat aliorū quoque proferre vitā, quæ imitatae sunt & hāc & illas quarū prius meminimus? Multae enim aliae partim quidē vitam amplexae sunt solitariā: partim autē viuere amarunt cū pluribus: adeò vt ducētæ & quinquaginta & plures, & pauciores simul viuāt, vno cibo vescentes, super solas stoeas ex instituto dormientes & manus quidem lanæ attribuentes, hymnis verò linguam consecrantes. Sunt autem eiusmodi innumera-bilia sapiētiae gymnasia, non solū in nostra regione, sed etiam per totum orientem. Iis autem plena est & Palaestina & Aegyptus, & Asia & Pontus, & tota Europa. Ex quo enim Christus Dominus honorauit virginitatem, vt qui natus sit ex virginitate, prata virginitatis natura germinauit, & hos suaue olētes, & qui nō marcescunt, flores offert Creatori: non virtutem in masculo & foemina discernens: nec in duas differentias diuidens philosophiam: est enim differentia corporum, sed non animorum. In Christo enim Iesu, vt ait diuinus Apostolus, non est masculus & foemina.

Galat. 3.
Ephes. 4. Vna autem mulieribus & viris est fides suppeditata.
“ Vnus enim Dominus, vna fides, vnum baptisma: vnus
“ Deus & pater omnium, Qui est super omnia, & per
“ omnia, & in omnibus nobis. Quinetiam vnum regnū
“ cœlorū Agonothera proposuit victoribus, hoc commune præmium definiens certaminibus. Sunt ergo, vt dixi multae & virorum & mulierum pietatis palæstræ, non apud nos solum, sed etiam in vniuersa Syria & Palaestina & Cilicia, & in ea quæ est media inter duos fluios. In Aegypto autem dicunt etiam plus quàm quinque millia virorū habere monasteria, qui operantur,

& interim Dominum laudant hymnisque celebrant: nec solū ex operibus necessarium alimentum comparant: sed etiam aduenientibus hospiti-bus & egen-tibus opē ferunt. Sed omnia narrare nō solū ego sed nec omnes scriptores potuerint: & vt maximè fieri posset, superuacaneum id esse existimo, & honoris cupiditatem quæ nihil habeat cōmodi. Iis enim qui volunt aliquam percipere vtilitatē, sufficiunt ea quæ dicta sunt ad præbēdum id quod desideratur. Ideo enim & vitæ diuersorum fecimus mentionem, & mulierum narrationes narrationibus virorum adiecimus, vt & senes & iuuenes & mulieres philosophiæ habeant exemplaria: & vnusquisque eam quæ sibi cordi est vitam exprimens, habeat suæ vitæ quandam regulam & gnomonem, qui est situs in narratione: & quomodo pictores ad exemplar respicientes, & oculos imitantur, & nasum, & os, & genas, & aures, & frontem, & ipsos capitis & barbæ pilos, & adhæc & sessionem & stationem: quinetiam ipsos oculorum intuitus, siue sint læti & alacres, siue seueri & truces: ita etiam oportet vnunquemque ex iis qui hæc scripta legunt, volentem vitam aliquam imitari, suam ad illam quam eligit componere: & quomodo fabri afferes rubrica dirigentes, eousque id quod est superfluum auferunt, donec apposita regula, videtint afferem esse æqualem: ita etiam eum qui velit vitam aliquā imitari, oportet eum seipsum ponere pro regula, & vitij refecare superflua, & virtutis replere ea quæ desunt. Ea enim de causa scriptiois laborem suscepi-

mus, vtilitatis occasionem proponentes volentibus. Rogo autem eos qui sunt lecturi, vt cum ex aliorum laboribus absque labore voluptatem capiunt, labores suis cōpensent precibus. Eos quoque obsecro quorū vitam conscripsi, ne me despiciant procul degentem ab illorum spiritali chorea: sed trahant infrā iacentem & ad virtutis tollant altitudinem, & suo choro coniungant: vt non solūm laudē alienas diuitias, sed ipse etiam habeam aliquā laudis occasionem, & factō & verbo & cogitatione glorificans seruatorem vniuersorum. Cum quo patri gloria, cum sancto spiritu, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

EIVSDEM ORATIO

De charitate.

Qvanti quidem sint virtutis athletæ, quam multisque & qualibus coronis decorentur, apertè docent quæ à nobis de eis scriptæ sunt narrationes. Nam etsi non continent omnia eorum certamina: sufficiunt tamen vel pauca ad ostendendā rotius vitæ formam. Etenim non totum aurum quod affertur consumens lapis, sed eius paululo affricatus, ostendit esse vel probum vel improbum: similiter quoque sagittarium, ex paucis quæ emittuntur telis, rectè didicerit quispiam, an rectè sagittet & ad scopum dirigat, an ab eo aberrat, in arte minimè exercitatus. Ita etiam alij artifices, ne dicā de singulis, possunt dignosci, & athletæ, & cursores, & tragœdiæ histriones & gubernatores, & nauium ædificatores, & medici, & agricolæ, & alij, vt semel dicam, qui artem tractant aliquam. Sufficit enim pauca experientiā & ad osten-

dendam artem eorum qui sunt præditi scientia, & ad conuincendam eorum inscitiam qui solo vtuntur nomine. Sufficiunt ergo, vt dixi, vel pauca quæ scripta sunt ex iis quæ rectè & ex virtute ab vnoquoque gesta sunt, ad vitæ vniuersum docendum institutum. Conuenit autem nos in præsentia scrutari & inquirere & perfectè discere, vndēnam incitati hoc vitæ institutum amplexi sunt, & quibusnam moti rationibus, ad hoc philosophiæ fastigiū peruenere. Quod enim non freti viribus corporis, ea quæ humanam naturam superant amauerint, & ei positos transgressi terminos, & pietatis Athletis fixa septa transilierint, apertè docet experientia. Nemo enim ex iis qui sunt expertes huius philosophiæ, ostendit vnquam eorum tolerantiam. Nam etiam si niuem patiantur pastores: at non semper: nam & vtuntur antris, & domos redeunt, & calceis pedes tegunt, & vestibibus calidioribus alias partes corporis amiciunt: & bis & ter in die & fortasse etiam quater cibum capiunt: quin etiam carniū esus & vini potus quouis foco melius corpora calefaciunt. Quando enim tale nutrimentum fuerit alteratum, & veluti quodam colo discretum, & ad iecur perueniens fuerit mutatum in sanguinem, ad cor quidem procedit per venam concauam: illinc autem excalesactum peruadit in omnes partes corporis. Quocumque autem venerit, non solūm irrigat, sed etiam ignis instar calefacit, & melius quàm molles vestes fouet corpus. Non enim, vt quidā arbitrantur, tunicæ indumenta & vestes calorem præbent corpori: lapides enim & ligna calefacerēt, quibus ea admo-

ta essent. Sed nemo vnquam vidit lignum vel lapidem vestibus euasisse calidiorē. Ergo nec corpori præbent ea calorem, sed seruant calorem corporis: & frigidi quidem aëris arcent incurſionem: suscipiētes autem vapores qui exeunt ex corpore, & iis calefiunt, & calorem exhibent corpori. Huius autem rei testis est experientia. Sæpe enim frigidum lectū ingredientes, corporis applicatione stragulum quod prius erat frigidum calidum efficimus. Cibis ergo corpus magis calefacit quàm vestis: Qui eum autem sumunt ad fatietatem, habent sufficiens propugnaculum aduersus impetus frigoris. Eo enim armant corpus, & parant ac instruunt vt possit resistere tali anni tempeſtati. Qui autem nec cibum nec potum quotidie sumunt, & quando sumunt, non expectant satietatem, sed adhuc acrem ac vehemētē refrenant appetitionem, & ea sumunt non quæ possunt corpus calefacere, sed vel vescuntur herbis non secus ac bruta animantia, vel folis madefactis vtuntur leguminibus: ex tali nutrimento quemnam calorem hauserint? Quanta hinc autem fuerit fluxio sanguinis? In nullo ergo sunt alij eorum studiis similes. Neque enim est eadem vestis & horum & illorum. Hæc est enim asperrima, & quæ minimè potest calefacere, neque similis cibus, sed qui repugnat ex diametro. Pastoribus enim & huiusmodi aliis comedendi tempus est omne tempus: metiuntur enim tempus appetitione, & si manè eos fames inuaſerit, statim cibum adhibent: & adhibent quidquid contigerit. non est enim eis definitum, vt hoc quidem vescantur, illo verò minimè: sed securè co-

medunt quæcunque voluerint. Hic autem & dies, & tempora, & cibi genera, & mensuræ: & est eius exclusa satietas. Nullus ergo ex iis qui delectantur aliorum reprehensione, agricolas & pastores & nauas adducens in medium, conetur horum maximorum Athletarum minuere certamina. Nam & Agricola laboras interdiu, domi noctu curatur, eam omni officio prosequente coniuge. Quinetiam pastor est similiter particeps omnium quæ prius diximus. Nauta autem corpore quidem solis radium excipit: sed aquis adhibitis curat corpus. Natat enim quantum lubet, & flammæ radij adhibet remedium, aquæ frigiditatem. Hos autem nemo est qui curet. Non enim simul habitant mulieres, quæ viros variis modis recreant & consolantur. Neque cum radius inuadit vehementius, aquarum adhibent solatium: nec hiberno tempore cibum opponunt frigori, neque noctis quietē, tanquam aliquod medicamentum, diurnis exhibent laboribus. Huius enim sunt plures & maiores sudores quàm ij qui fiunt interdiu. In hac enim & luctantur contra fomnum: nec patiuntur vinci ab illius dulcedine, sed dulcissimam superant tyrannidem, & tota nocte dominum hymnis perpetuò celebrant. Nullus ergo ex iis qui sunt extra horum philosophiam, horum ostendit tolerantiam. Si autem nullus ex aliis hominibus, potest talibus resistere laboribus, clarum est quòd amor in Deum, effecit vt naturæ terminos transilirent: & superna flamma accensi, lubenter ferunt impetum frigoris, & qui à superis descendit rore, flammam radiorum mitigant. Is eos & alit & ri-

gat & amicit: & dat pennas, & edocet volare: & efficit vt coelum transcendat: & eum qui amatur quoad eius fieri potest ostendit: & visione contemplationis incendit desiderium, & excitat amatorium, & flammam accendit ardentiolem. Quomodo enim ij qui amant corpora, & aspectu eorū qui amantur præbent amori materiam, & illud œstrum reddunt vehementius: ita ij qui accipiunt stimulos diuinæ dilectionis, diuinam illam, & quæ nūquam interit, visione apprehendētes pulchritudinem, efficiūt acutiores aculeos dilectionis: & quo magis frui desiderāt, eo magis expellunt satietatem. Voluptatem enim corporum consequitur repletio. Diuinus autem amor non accipit leges satietatis. Talis erat Moses magnus ille legislator, qui sæpe, quantum homini licuit, diuina contemplatione dignatus, cū beatam sæpe vocem excepisset, & fuisset intra caliginem quadraginta diebus, & accepisset leges diuinas, non solum eum vlla cepit satietas, sed etiam vehementius & ardētius fuit eius desiderium. Quadam enim veluti crapula accepta ab illius amoris temulentia, & amatorio furore supramodum percitus, propriam quidem ignorauit naturam, quæ autem non licet videre, ea videre concupiit. Nā veluti dominij oblitus, & solum amorem considerās, dixit Deo vniuersorum, Ecce tu dicis mihi, inuenisti gratiam apud me: & noui te præter omnes. Si ergo inueni gratiam coram te, ostende mihi te ipsum: ita te videam vt cognoscam. Tantam ex diuina dilectione accepit ebrietatem: nec ebrietas sedauit sitim, sed eā effecit vehementiolem. & additamentum cognitionis,

Exod. 33.

” gratiam apud me: & noui te præter omnes. Si ergo inueni gratiam coram te, ostende mihi te ipsum: ita te videam vt cognoscam. Tantam ex diuina dilectione accepit ebrietatem: nec ebrietas sedauit sitim, sed eā effecit vehementiolem. & additamentum cognitionis,

nis,

nis, effectū est incrementum desiderij: & in fruēdo aucta est apperitio: & quomodo ignis quò plus accipit nutrimenti, eò maiorem accipit operationē: ea enim accessione materiæ augetur, nō obtunditur: ita in Deū dilectio accenditur diuinarū rerum contēplatione, & operationē hinc suscipit maiorē & vehementiolem: & quò magis in rebus diuinis versatus quis fuerit, eò magis accendit flammā dilectionis. Nec nos hoc docuit solum magnus Moses, sed etiam sancta spōsa, de qua dicit beatus Paulus, Despondi vos vni viro virginem castā exhibere Christo. Ea enim in cantico canticorū cantat ad spōsum. Ostende mihi vultum tuū: & fac vt audiam vocem tuā: vox enim tua est suavis: & vultus tuus formosus. Nā cū ex iis quæ de eo dicūtur amore capta fuerit, non est contenta orationibus, sed vult etiam ipsam vocē audire: & cū alas accepisset, & sublime elata esset, iis quæ de eius specie feruntur narrationibus, desiderat ipsam quoque eōtemplationem: iis quæ dictæ sunt laudibus suum amorem significans. Ostēde, inquit, mihi vultum tuū: & fac vt ego audiam vocem tuā. Quoniam vox tua est suavis, & vultus tuus est formosus. Eius quoq; pulchritudinis amore captus pronubus & sponsæ deductor, Paulus, inquā, ille diuinus, amatoriam illā emisit vocem. Quis nos separabit à charitate Christi? afflictio an angustia: an fa- mes, an persecutio, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est. Propter te mortificamur tota die. Reputati sumus tanquā oues occisionis. Deinde ostendit etiā causam tolerantia. In his enim, inquit, omnibus superamus propter Deum qui dilexit nos.

2. Cor. 11.

Cant. 2.

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

KKK

Cōsiderantes enim quānam cūm simus, quānam bona accepimus: & quōd non nos primi dileximus, sed amati vicissim amauimus: & cūm haberemus odio, amati sumus: & cūm inimici essemus, fuimus recōciliati: cūm non ipsi supplices petiissemus vt fieret recōciliatio, sed ad nos legatus venisset vnigenitus: & qui iniuriam feceramus, inuitati sumus ab eo qui fuerat affectus iniuria: & prāter hāc reputātes susceptam pro nobis crucē: salutare passionem: mortis cessationem: datā nobis spē resurrectionis. Hāc & quæ sunt huiusmodi considerantes, superamus eas quæ in nos incurunt difficultates: & beneficiorū memoriam conferētes cū ea quæ est ad breue tempus afflictione corporis, lubenter ferimus rerū molestiarum impetus. Omnes enim vitæ molestias, cū amore in Dominum, tanquā in trutina cōferentes, eas valde leues inuenimus. Etsi omnia quæ videntur iucunda & delectabilia, simul collegerimus, si contrā diuinū expēdatur desiderium, ea vmbra magis euanida, & quæ vernis floribus facilius intereant, ostendit. Id autē & per ea quæ dicta sunt, & quæ dicēda, apertē significat. Persuasum enim, inquit, habeo quōd neque mors, neque vita, neque angelus, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque prēsētia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque aliqua alia creatura, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Quoniam enim cūm superius ea sola quæ sunt molesta posuisset, ad examen adduxit afflictionem, & angustias, & famem, & persecutionem, & nuditatem, & periculum, & gladium, hoc est, cædē vic-

lentam: meritō hic quoq; tristibus adiicit ea quæ sunt iucunda: morti, vitam: sensilibus ea quæ percipiuntur intelligentia: iis quæ videntur, eas quæ sub aspectum minimē cadunt virtutes: præsētib; & prætēreuntibus, ea quæ futura sunt & manent: & prætērea gehennæ profunditati, regni altitudinem. Hāc autē omnia cūm examinasset & cōparasset, & amor omnia cedere inuenisset, tam quæ sunt molesta quā quæ iucūda, & charitatis priuationē, eo quōd est in gehenna supplicio acerbiorē: & ostendisset quōd si fieri posset, mallet cū diuina dilectione supplicium cuius minæ intentantur, quā absq; ea, regnū quod est promissum: ebrius desiderio, ea quærit quæ nō constant: & ea cōtendit conferre cum diuino amore. Neq; altitudo enim, inquit, neq; profunditas, neque aliqua alia creatura, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Non solū enim, inquit, omnibus quæ simul videntur, & quæ sub aspectū non cadunt, prætēro amorem in Seruatorē & Creatorem, sed etiā si aliqua alia creatura, hac maior & pulchrior apparuerit, non persuadebit vt mutem charitatē. Sed etsi quis ea quæ sunt iucunda prætērerit, absque ea nō accipiam: etsi propter eam ea quæ sunt molesta intulerit, mihi amabilia videbuntur & valde expetenda: & quæ propter eam sustinetur, fames, est mihi quibusuis deliciis gratior: & pace persecutio iucundior: & nuditas, purpura & ex auro laboratis vestibus delectabilior: & periculū quauis securitate iucūdius: & violēta cædes quauis vita magis expetēda. Causa enim eorum quæ mihi eueniunt, efficitur mihi consolatio.

1. Cor. 5.

Nam propter amatorem simul & eum qui amatur, has
 » excipio procellas. Eum enim qui non nouit peccatum,
 » propter nos fecit peccatum, ut nos efficiamur Dei iusti-
 » tia in ipso. Qui cum esset diues, propter nos pauper
 factus est, ut nos paupertate illius direfcamus: & nos
 redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledi-
 ctum: & humiliavit seipsum factus obediens usque ad
 mortem, mortem autem crucis: & cum nos adhuc essemus
 peccatores, Christus pro nobis est mortuus. Hæc &
 quæ sunt eiusmodi reputans, non acceperim regnum
 coelorum, absque in ipsum charitate: non fugerim suppli-
 cium in gehenna, si consentaneum esset ut qui eam habet
 pateretur supplicium. Hoc autem alibi quoque docet a-
 pertè, dicens. Dei enim charitas non continet, cum
 » hoc iudicauerimus quod vnus mortuus est pro omni-
 » bus: ut qui viuunt, non amplius sibi viuant, sed ei qui pro
 » ipsis est mortuus & resurrexit. Qui ergo non amplius
 » sibi viuunt, sed ei qui pro ipsis est mortuus, & re-
 surrexit, omnia pro ipso & agere & pati libenter su-
 stinēt. Porro autem ea quoque quæ sunt natura magna
 & perpeffu difficilia, cum amore comparans, parua
 2. Cor. 4. dicit & ad ferendum facilia. Id enim quod in præfenti
 » est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra
 » modum, supra modum æternæ gloriæ pondus opera-
 » tur in nobis. Deinde etiam docet quomodo confer-
 » re oporteat. Non considerantibus nobis ea quæ vi-
 » dentur, sed ea quæ non videntur. Quæ enim viden-
 » tur, momentanea. Quæ autem non videntur, æter-
 na. Oportet enim, inquit, conferre futura cum præ-
 sentibus: æterna autem cum momentaneis, cum af-

flictione autem, gloriam. Illa enim habet id quod est
 momentaneum: hæc verò id quod est æternum. Ea de
 causa ipsa quidem est leuis, & ad ferendum facilis. Illa
 autem est magnifica & præclara & maximi pretij. Et
 ideo illud quoque supra modum, adiecit utrisque: nepe
 & lenitati afflictionis, & ponderi gloriæ. Nam & hæc,
 inquit, sunt insigniter parua & leuia & momentanea,
 & illa similiter insigniter & supra modum gloriosa,
 præclara & magnifica, & maximi pretij, & æterna.
 Quinetiam alibi quoque clamat similiter, Placeo mihi
 in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus
 in persecutionibus, in anxietatibus pro Christo. Quæ
 » do enim infirmior, tunc potens sum. Hoc magnus quo-
 » que Petrus fauciatus desiderio, nec cum prius quidem
 futuram didicisset negationem, latere voluit: sed satius
 duxit sequens negare, quam fugiens confiteri. Quod
 enim ab amore & non à temeritate proficisceretur hæc
 confectatio, res ipsa testatur. Neque enim post nega-
 tionem in animum induxit ut magistrum relinqueret:
 sed fleuit quidem amarè, ut docet historia, & quod vi-
 ctus esset suam defleuit imbecillitatem: affedit autem
 vinculis amoris irretitus. Quinetiam cum accepisset
 nuncium resurrectionis, primus venit ad sepulchrum.
 Iam verò cum in Galilæa quoque piscans, intellexisset
 ipsum esse dominum qui stabat & loquebatur in litto-
 re, non sustinuit quidem, cum cimba tardius proscin-
 deret terga maris: desiderauit autem sumptis pennis,
 per aërem occupare littus quam celerrimè. Quoniam
 autem pennis priuata est natura, aquis quidem utitur
 pro aëre: pro pennis autem, manibus. Natans autem

2 Cor. 12.

cc

cc

cc

IOANN. 21.

peruenit ad eum quem amabat: & accipit cursum præ mij, quòd in honore præponatur in aliis. Vbi enim eum sedere iussit, & cibos inuentos distribuit, protinus eum cœpit alloqui: percunctans quidem & interrogans quanta esset eius dilectio, aliis autem aperiens magni Petri amorem. Simon enim Petre, inquit, amas me plus his. Is autem ipsum citauit ad suum in eum amorem testificandum. Domine, inquit, tu scis quia amo te. In animis enim hominũ infides, & aperte scis motus cogitationis: nec te aliquid latet ex rebus humanis. Nosti enim omnia & antiqua & extrema. His subiunxit dominus, Pasce oues meas. Ego enim inquit, nullius rei egeo. Maximũ autẽ ducò beneficium mearum curam: & quæ in illas confertur diligentiam ac sollicitudinem, ego in me recipio. Oportet ergo te eam qua fruieris prouidentiam impertiri conferuis, & eos pascere vt pasceris, & quas mihi debes gratias, per illos exoluere. Hæc rursus iterum interrogauit dominus: & bis respondit magnus Petrus: & bis accepit factam pastoris electionem. Postquam autem tertia quoque fuit proposita interrogatio, non amplius æquè audacter & securè respondit Petrus: sed & timore impletur, & animo angitur & conturbatur: & timuit, suspicans ne alteram præuidens negationem dominus verba amoris irrideret. Prior enim reuocabat in memoriam, & ei veniebat in mentem, quòd iam prius quoque sæpe quidem vsque ad mortem non se esse relicturum magistrum affirmasset, audiisset autẽ quòd prius quàm gallus cantaret ter esset negaturus: & inuenisset suam promissionem non ac-

cepisse finem: sed fuisse confirmatam domini prædictionem. Horũ hæc ipsum terrebat memoria: & non sinebat eam quam conueniebat afferre responsionem: sed acutos quidem & molestos accepit aculeos, in cognitione tamen concessit domino: non resistens quidem, vt prius: nec dicens. Etiam si me oporteat tecum mori, non te relinquam: sed dicens se quidem habere dominum conscium suæ dilectionis: perfectam autem vniuersorum cognitionem esse apud ipsum solũ vniuersorum creatorem confitens. Domine enim, inquit, tu nosti omnia: tu scis quòd amo te. Quòd enim amo te, & nosti, & testaris. An autem sim in amore perseueraturus, ipse nosti apertius: ego enim nihil dico de futuris: neque de iis decertabo quæ nescio. Didici experientia non cõtradocere domino. Tu es fons veritatis. Tu es abyssus cognitionis: didici ego stare tuis decretis. Hunc eius timorem cum vidisset dominus, & rectè sciret eius amorem, prædictione mortis eius soluit timorem: & dat testimonium dilectioni: & Petri confirmat confessionem: & vlceri negationis confessionis adhibet medicamentũ. Propterea enim, vt existimo, hanc quoque exegit triplicem: vt tot numero vlceribus totidem exhiberet medicamenta: & præsentibus discipulis flammam aperiret charitatis. Mortis itaque prædictio & Petrum est consolata: & alios docuit diuini consilij & dispensationis fuisse negationem, non autem eius animi. Hoc quoque ipse innuit Seruator & dominus noster, quando dixit ad eum. Simon Simon, expetiuit te Satanas, vt te cribraret sicut triticum. Et

Luc. 22.

« ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: sed & tu
 « quoque aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Si-
 « cut enim, inquit, ego te non despexi cum fluctuares &
 labares: ita sis tu quoque sustentaculum fratribus qui
 circumaguntur: & id quod es affectus, imperti au-
 xilium: & ne eos pellas qui labuntur: sed erige eos qui
 periclitantur. Ea enim de causa concedo ut tu quoque
 labaris, sed te non sino cadere, procurans ut qui labantur,
 per te stent & erigantur. Ita orbem terrarum qui lababatur
 & agitabatur, magna hæc columna fulciit, & ut omnino
 caderet non permisit, sed erexit stabilemque reddidit,
 Dei oves pascere iussus: & cum pro eo probris affigeretur,
 sustinebat: & cum per ignominiam caderetur, gaudebat:
 & ex improbo exiens concilio, lætabatur cum socio, quod
 dignus esset habitus pro nomine domini pati contumeliam.
 Quinetiam cum coniciebatur in carcerem, gestiebat & exultabat,
 & cum à Nerone propter crucem est ad mortem crucis damnatus
 rogavit carnifices, ne similiter atque dominus trahi affigeretur,
 sed contrario modo: veritus, ut est verisimile, ne eadem passio,
 eundem sibi ab insipientibus honorem conciliaret. Et ideo
 rogavit ut manus superius, inferius autem pedes affigerentur.
 Extremum enim eligere, non in honore solum, sed etiam in ignominia,
 didicimus. Quod si etiam fieri potuisset ut hæc mortem decies
 vel etiam quinquagesies subiret, eam cum voluptate maxima
 sustinisset, ut qui esset diuino insensus desiderio. Hoc ipsum
 clamat quoque diuinus Paulus, nunc quidem dicens. Quotidie morior,
 per nostram gloriationem quam habeo in Christo Iesu:

nunc

nunc autem, Cum Christo sum crucifixus. Viuo autem non amplius ego: viuit autem in me Christus. Qui ergo diuinum accepit amorem, terrena quidem simul omnia contemnit: conculcat autem omnes voluptates corporis: despicit opes & gloriam, & hominum honorem: à telis aranearum nihil differre existimat purpuram Imperatoriam: pretiosas gemas assimilat calculis qui sunt in littoribus: non rem beatam ducit existimandam sanitatem corporis: neque morbum appellat calamitatem: neque infelicitatem vocat paupertatem, nec res suas male gerere dicit pauperem: nec diuitiis & delitiis metitur felicitatem: sed aquis fluuiorum, quæ in ripis plantatas arbores præterfluunt, & apud nullam ex iis consistunt, vnumquodque eorum semper esse simile rectè existimat. Similiter enim & paupertas, & diuitiæ, & sanitas, & morbus, honor & infamia, & quæcunque alia: naturam hominum prætercurrunt, non cernuntur semper apud eosdem manentia, sed eos qui possident mutantia, & ab aliis ad alios assidue transeuntia: multi enim à magnis opibus cadunt in extremam inopiam: multi autem ex pauperibus conscendunt in diuitum catalogum. Iam verò morbus quoque & sanitas, ingreditur per omnia, ut vno verbo dicam, corpora, & esurientia, & lautitiis ac deliciis fruuentia. Virtus autem & philosophia est bonum constans ac stabile. Vincit enim & manus latronis, & linguas Sycophantarum, & hostilium telorum, hastarumque procellas. A febre non consumitur: non perit obiter in fluctibus: nec patitur iacturam in naufragio. Eius vires non aufert tempus, sed

LLL

1. Cor. 15.
Galat. 15.«
«

auget. Eius autem materia est in Deum dilectio. Fieri enim non potest vt se rectè quis gerat in philosophia, qui non fuerit Dei amator vehemens: imo verò hoc ipsum vocatur philosophia. Sapiètia enim Deus & est & vocatur. De Deo enim vniuersorum dicit beatus Paulus. Immortali, inuisibili, soli sapièti Deo. De vniogenito autem dicit. Christi Dei virtus, & Dei sapiètia. Et rursus, Data est nobis sapiètia à Deo, iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Qui est ergo re vera philosophus, iure etiam vocari poterit pius & Dei amàs. Qui Deum autem amat, alia omnia despiciens, & eum solum qui amatur respiciès, illius curam & suam in eum seruitutem cæteris præfert omnibus: illa solum & dicens & faciens & cogitans, quæ ei quem amat placent & grata sunt: & abhorret omnia quæcunque ille prohibet. Hanc charitatem cum Adam contempsisset, & ingratus fuisset in benefactorè, ingrati sui animi mercedem, accepit spinas, labores, & ærúnas. Eam cum ei qui bona suppeditat Abel firmam conseruasset & stabilem, & ventris quidem voluptates contèpsisset, Deum autem colere & ei ex animo seruire instituisset, perpetuis, & in quas nõ cadit interius, coronis est ornatus: & per omnè procedit generationè, laudis fructum colligens per memoriã. Eam cum veram & germanã Enoch acquisisset, & bene plantauit, & messuit melius: & Dei cultus retulit mercedè, translationem, & vitam tunc immortalè, gloriosãque & illustrem per omnem vitam memoriã. Quid dixerit quispiam de Noë pietate & in Deum amore, quam nec retarda uit quidem iniquorum & sceleratorum impetus: sed

cum omnes declinassent, & via contraria ingredi constituisset, solus via recta est ingressus, omnibus simul præponens creatorè. Quocirca solus quoque cum filiis salutem est consecutus, & semen relictum est naturæ, & scintilla cõseruata est generi. Sic Melchisedech magnus ille pontifex, cum eorum qui simulachra colere instituisset, abhorreret amentiam, vniuersorum creatori suum dedicauit sacerdotiũ. Quamobrè magnam illam accepit mercedem, vt qui fuerit figura & umbra eius, qui re vera est sine patre & matre & absque genealogia, & neque habet principium dierum, nec vitæ finem. Sed enim recta via procedens oratio, venit ad eũ qui Dei dictus fuit amicus, qui amicitia leges diligèter & accuratè seruauit & docuit. Quis enim nescit ex iis qui in rebus diuinis sunt vt cumque eruditi quomodo magnus patriarcha Deo qui eum vocauit obedierit? quemadmodum domum paternam reliquerit, & patriæ regionem externam prætulit? quoniam eũ omnino amabat qui ipsum vocauerat, & visum est illi omnia posthabere illius amicitia? Qui cum in multas incidisset difficultates, nõ reliquit eum quem amabat, etsi promissis finem nõ imponeret. Sed licet & siti premeretur, & bibere aquam ex iis quos cupiebat puteis prohiberetur, neq; ei qui vocauit succèssit, neque eos qui iniuriã faciebant est vltus. Famis quoq; impetum sustinuit, & charitatis flammã minimè extinxit. Ei quoque fuit ablata coniux, quæ & insigni erat pulchritudine, & ornata pudicitia, & ei per omnia vitam præbebat delectabilem: & non vnã cum muliere simul etiam fuit priuatus charitate in Deum. Sed &

Deo ei opem ferente, & diuturna tolerantia exercente, & permittente eum accipere insultus iniustitiæ, perseueravit similiter in amore. Senex euaserat, & pater non erat factus: & in eum qui ipsum patrem facturum promiserat, nondum autem fecerat, erat similiter effectus. Postquam autem tandem & promissum est affectus, & Sarræ vicit naturam, & fines transiit senectutis, & effectus est pater Isaac, exiguo quidem tempore percepit fructum illius consolationis: puerum autem cum ad adolescentiæ ætatem peruenisset, iussus est Deo qui dederat offerre in sacrificium: & reddere ei donum qui id fuerat largitus: & effici sacrificus fructus promissionis: & offerre in sacrificium magnam fontem gentium: & manus cruetare sanguine vnigeniti filij. Sed tamen cum hæc omnia & his adhuc longè plura haberet sacrificium, non contradixit patriarcha, neque produxit iura naturæ: neque promissa adduxit in medium: neque quod is in senectute ipsum erat alturus & deinde sepulturus, reuocauit in memoriam: sed omni humana abiecta ratiocinatione, cum desiderium desiderio opposuisset, & legi legem obiecisset, legi naturæ, diuinam, profectus est ad sacrificium, plagam illaturus citra hæsitacionem, nisi citò munificus ac liberalis Deus, accepta eius animi alacritate, eadem prohibuisset. Sed nescio an vlla suffecerit oratio ad narrandam eius amoris magnitudinem. Qui enim ne filio quidem pepercit vnigenito, quoniam hoc iussit is quem amabat, quem non propter eum despexisset? Quinetiam ipse quoque magnus Isaac eandem Charitatem habuit in Dominum: & eius quo-

que filius Iacob patriarcha. Vtriusque autem in Deum amorem diuinæ scripturæ celebrant. Porro autem ipse quoque Deus vniuersorum, nusquam ramos separat à radice: sed seipsum Deum nominat Abraham, Isaac & Iacob. Horum pius fructus quoque est Ioseph: qui & inter iuuenes erat senex: & inter senes fortis & generosus: cuius amorem in Deum neque consumpsit inuidia: neque extinxit seruitus, neque dominæ dissoluerunt blanditiæ, neque minæ ac terrores vt marcesceret effecere: non calumnia & carcer & temporis longitudo prostrauit, non potestas, copiæ, opes & delitiæ ex animo expulere: sed similiter perseueravit & eum qui amabatur aspicere, & eius Leges implere. Hanc charitatem cum possedisset Moses, in regia viuere continens, maluit affligi cum populo Dei, quam ad tempus frui peccato. Et quid opus est ultra modum extendere orationem? Diuina enim charitate vniuersus ordo prophetarum vtens & exornatus, & perfectissimè se gessit ex virtute, & reliquit gloriam semper memorabilem. Iam verò chorus quoque apostolorum, & populi martyrum, hoc igne accepto, contempserunt quidem omnia que videbatur: cuius autem vitæ iucundissime mortis innumerabilia genera prætulerunt. Capti enim amore Dei pulchritudinis, cum Dei amorem in nos considerassent, & innumerabilia cum animis cogitassent beneficia, turpe duxerunt, neque illam quæ verbis explicari non potest desiderare pulchritudinem, & ingrati esse in benefactorem. Ea de causa ad mortem usque ea que fuerant cum eo pacta conuenta obseruauere. Huius quoque pulchritudinis amore capti noui Athletæ, quorum vi-

tam breuiter conscripsimus, ad magna illa, & quæ hu-
 manâ vincunt naturâ, profiliere certamina. Hoc autē
 eos apertè diuinæ docuere scripturæ. Canūt enim cū
 Ps. 103. magno Dauid. Domine Deus meus magnificatus es
 » vehementer. Cōfessionem & decorem induisti, ami-
 » ctus lumine sicut vestimento. Extendēs cœlum sicut
 » pellem: & alia quæcunque docent vim eius sapientiæ.
 » Et rursus, Dominus regnauit, decorem est indutus: in-
 » dutus est dominus virtutem, & pracinxit se. Etenim
 » direxit orbem terræ qui non commouebitur. Et hic
 » quoq; similiter fuit prædicata & sapientia & pulchri-
 » tudo & potentia: & alibi. Speciosus forma præ filiis
 » hominum. Hic autem humanam quoque Dei verbi
 » laudibus celebravit pulchritudinē. Laudat autem etiā
 » sapientiā. Diffusa est enim, inquit, gratia in labiis tuis.
 » Ostendit etiam potentiam, cū dicit, Accingere gla-
 » dio super fœmur tuum ô potens. Specie & pulchri-
 » tudine tua intende, prosperè procede, & regna. Pro-
 » pter veritatem, māsuetudinem & iustitiā. Hæc enim
 » sunt eius opes & pulchritudo & potentia. Porrò au-
 » tem Esaias quoque clamat. Quis est hic qui venit ex
 » Edom? Rubor vestimentorum eius ex Bosor. Hic est
 » speciosus in veste sua, nempe vi cum fortitudine. Ne-
 » que enim humana vestis diuinam operuit pulchritu-
 » dinem. Sed ea quoque indutus, splendorēs emittit ex
 » specie, ad eū vt vim afferat videntibus, & illiciat ad a-
 » morem. Hoc etiam ad eū dicit sancta sponsa, loquens
 » in cantico canticorum. Vnguentum effusum nomen
 » tuum. Ideo te dilexerunt adolescentulæ, traxerunt te
 » Cant. 1. retro. Ad odorem vnguentorum tuorum cucurrerūt.

Iuueniles enim animæ bonū tuum odorē participan-
 tes, currunt te desiderantes comprehendere: & odo-
 re, tanquam quadam catena, irretitæ, non inducunt in
 animum vt perfringant vinculum: est enim dulce, &
 quod voluntariè est eis illigatum. His consentiunt e-
 tiam verba diuini Pauli. Christi bonus odor sumus, in
 iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidem
 odor mortis ad mortem; aliis verò odor vitæ ad vi-
 tam. Cū ergo & eum esse pulchrum doceantur à
 diuina scriptura, & habere diuitias quæ verbis ex-
 plicari nequeunt, & esse fontem sapientiæ, & posse
 omnia quæ vult, esseque clementia & benignitate in-
 finita, & ex eo scaterere fontes māsuetudinis, & in om-
 nibus velle homines solū beneficio afficere, & in-
 numerabilia genera beneficiorum à viris diuinis do-
 ceantur, suauibus telis charitatis fuere vulnerati: &
 cū sint membra sponsæ, cum illa clamant. Vulne-
 rati nos à charitate. Clamat enim magnus Ioannes.
 Ecce agnus Dei, qui tollis peccatum mundi. Pro-
 pheta autem Esaias, tanquam facta quæ erant futura
 prædixit, dicens. Ipse vulneratus est propter iniqui-
 tates nostras, & infirmatus est propter peccata no-
 stra. Disciplina pacis nostræ super ipsum. Vibice eius
 fanati sumus, & alia quæ de salutaribus persequitur
 passionibus. Porrò autem Paulus quoq; prædicat cla-
 mans. Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis
 omnibus tradidit ipsum, quomodo non vnà quoque
 cū ipso nobis omnia largietur? Et rursus, Pro Christo
 legatione fungimur, tanquam Deo rogante per nos.
 Rogamus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum

2. Cor. 2.

Ioan. 1.
Esa. 52.μεμαλ-
α

Rom. 8.

2. Cor. 5.

enim qui non cognouit peccatum, Pro nobis peccatum fecit: vt nos efficiamur iustitia Dei in ipso. Hæc & quæ sunt huiusmodi inuenientes apud eos qui fuerunt diuini verbi ministri, diuinæ charitatis stimulos vndique accipiunt, & omnia despicientes, eum cuius amore tenentur visione apprehendunt: & ante eam quæ speratur incorruptionem, corpus spiritale redderunt. Hunc nos quoque amorem accipiamus, & à sponsi illecti pulchritudine, & bona quæ sunt promissa desiderantes & beneficiorum multitudinem cogitantes, & ingrati animi crimen reformidantes, amantes autem, eius leges custodiamus. Hæc est enim definitio amicitie eadem amare & eadē odisse. Propterea dicebat etiam Abrahæ, Benedicam benedicentibus te, & te execrantes execrabor. Et Dauid ait ad ipsum, Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus. Et rursus, Nunquid eos qui oderūt te domine, odio habui, & propter inimicos tuos liquecebam? Perfecto odio habui, & propter inimicos tuos liquecebam? Perfecto odio oderam illos, in inimicos mihi facti sunt. Et alibi, Iniquos odio habui, legem autem tuā dilexi. Et alibi, Quam dilexi legem tuā domine: tota die meditatio mea est. Est ergo signum euidens in Deū charitatis, diuinarum eius legum obseruatio. Qui enim me diligit, mādāta mea seruabit, dixit dominus Christus, cum quo Patri gloria, cum sancto spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

F I N I S.



SANCTI PATRIS NOSTRI, ET
CONFESSORIS THEODORI STV-
ditæ Oratio Funebris in sanctum Platonem
patrem spiritualem.



Ratorum quidem, & Sophistarum omne studium est, non vt ad scribendum se conferentes, quòd verum est assequantur, sed vt dictioni splendorem adhibeant, & poetarum versus concidentes, verbis illinc sumptis narrationem suam ornent, ac sublimem reddant, & eorum aures, à quibus audiuntur, orationis suauitate oblectent. Verborum enim concinnitate auditores demulcent, & probabilitate decipiunt, parum curantes, vt vera dicant, quippe qui opiniones captāt, & studio placendi hominibus omnino seruiunt. Quos verò amor veritatis tenet, illi vnum hoc curant, vt quæ sunt, ea dicant, & veritatem ipsam honorent, quanuis oratio concinnitatem, & elegantiam nō sit habitura. Cùm enim veritatis pulchritudinem expetant, comptis dictionibus, quæ stragulis quibusdam pictis similes sunt, multam salutem dicunt, id enim veræ sapientie proprium est.

Ita certè & ego, qui mente sum exigua, oratione, & spiritu valde tenui patrem meum laudabo, non vt illi hac laudatione gratum faciā. Quæ enim gratia illi

MMM

hæc esset, qui nulla re ex his, quæ hîc sût delectatur, cû
 cœlestē conditionē fortitus sit, cuius qui cōpos fuerit
 præsentia hæc irridet, cû nihil in eis stabile sit neque
 beatum, sed tanquam vmbrae prætereant, & vt verni
 flores corrumpantur? Ad hæc si, cû in terris es-
 set, indignum se arbitrabatur, qui vel in monacho-
 rum numero censeretur (quæ res summam eius mo-
 destiam atque humilitatē, sanctæque illius animæ præ-
 stantiã indicabat) quomodo nunc cû hinc ad ea mi-
 grauerit, quæ incorrupta sunt, quo loco falsæ gloriæ
 nulla est appetitio, hanc nostram laudationem ille ap-
 peteret? Sed hoc mihi faciendum proposui, quod iu-
 stissimè, vt quiuis alius, hoc illi debeo, tum pro aliis
 ipsius in me officiis, tum maximè pro oratione ipsa,
 quæ qualiscunque sit, illius labore, ac diligentia in me
 exorta est, vt tanquam mercedem quandam orationis
 parenti hanc referam.

Officium.

Quamuis autem intelligam paternam laudem ad
 filij gloriam redundare (vt est à Sapiente illo dictum:
 Gloria hominis ex honore patris ipsius) non ob id ta-
 men, vt aliquis opinari posset, illum laudabo, cû
 sciam, vnumquenque, si è domo, & ex se ipso gloriam
 habeat, gloriosiore quidem esse à Patre etiam ipso
 splendorem accipiētem, sin minus, paternos honores
 nihil prodesse illi, qui est inglorius, & honoris expers,
 qualis ego haberi possim: Sed quod fas non sit eius vi-
 tam cum virtute actam, velut lucernam quãdam sem-
 per lucentem, silentio, & tanquam sub modio aliquo
 occultari, immò in rationali candelabro effulgētem,
 nō vni, aut alteri, sed omnibus (hoc enim audeo dice-

re) qui sunt in Dei ecclesia, proponi debeat. Quoniã
 igitur ostensum est orationem ipsam conducibile esse
 ac nobis necessariam, quæ non veritatem solùm, sed
 vtilitatē etiam magnã in se contineat, agē illinc vnde
 conuenientissimum est, laudationem aggrediamur.

Beati Platonis parentes fuerunt Sergius & Euphe-
 mia, Auorum nobilitas insignis, & mores non igno-
 biles extiterunt, ita enim se gesserunt, & diligenti do-
 mus suæ gubernatione rem familiarē præter cæteros
 ita auxerunt, vt etiam cōsanguineis æmulationem sui
 cōcitarint. Quibus ad alias laudes ea quoque accessit,
 quod bonorum filiorum parentes esse datū illis fuerit.
 Post duas enim filias, velut germen quoddam rectissi-
 mum & illū genuerunt, quem nunc laudamus, quanuis
 neque filia ipsæ sine gloria vixerint, illarum enim res
 gestæ multæ, & præclaræ narrari possunt, è quibus vna
 in cōmuni vita, qua vsa est, ita se gessit, vt excelluerit,
 altera, ex qua & nos geniti sumus, monastico ordine
 illustrem se præstitit.

Narratio.

Pignora.

Quoniã verò illis tēporibus cœlestis ira inflictæ est
 (res enim me admonet, vt & de hac dicā, quippe, quæ
 publicā intulerit calamitatē, nō in paucis aliquibus re-
 gionibus, ac ciuitatibus versans, sed velut Ægyptiacū
 quoddam flagellū ex alia in aliã ciuitatē transiēs) ac vel
 maximè in Regia vrbe Bizatio malū illud fuit, hi viri,
 quos diximus, semper memorabiles è vita excesserūt.
 Nō alienū autē fortasse fuerit vtilitatis causa mortis e-
 tiã ipsius gen^o cōscribere. Narratio enim hæc talis est,
 quæ illorū animos terrere possit, q̄ prudēter eã intelle-
 xerint. Repente in singulorū vestibulis salutaris Crucis

*Per iram in-
 telligit ico-
 nomachiam
 à deo per-
 missam &
 tyrānidem
 Constantini*

*Crucis si-
 gnum in
 vestibulis.*

*Cruelitas
in amicos
crucis Christi.*

signum coeruleo colore velut à manu aliqua pulcherrimè pingente, vel Dei potius digito, & superna manu expressum cernebatur. Quicūque verò talis deprehensus fuerat, diuulgabatur, ac statim mors illi afferebatur. Eodémque die aliquis mortuū efferebat, & ipse mortuus efferebatur. Duo simul in feretro, quatuor in iumento portabantur, onera corporum miserabilium semper recens cumulata. Lamétationes vbique, & voces miserabiles vndique resonantes. Qui mortuorum cadauera efferebāt, tam multis oneribus sufficere non poterant, itaque deerant, qui tot mortuos sepelirent. Claudebantur domus, vrbis regiones inanes fiebant, sepulchra ipsa implebātur, cū intra duos mēses vrbis celeberrima, & multis millibus hominum habitata, iam deserta, & talis ferè sit facta, vt si à nullis habitaretur. Hæc illius impij Constantini temporibus acciderunt, à quo imago Christi contumeliosè spreta, & à nefariò illo homine, ac populi corruptore simulachrum erroris nominata, immò verò Christus ipse noster Deus ab eo despectus fuit. Siquidè honor imaginis ad eum refertur, cuius est ipsa imago, vt diuinus Basilius quodam loco ait. Hæc Dei virga, vt aliquis diceret, poena fuit iustissima, qua peccātes homines instruerētur, nōsque à summa nostra malitia reuocati emendaremur, ira, inquā illa, quæ ad salutis viā his viris dux est, qui eius correctionē prudēter, & æquo animo accipiunt. Sed ad Platonē ipsum nostra redeat oratio.

*Plato oribus
parentibus.*

Cū esset ille orbus parētibus, & fororibus in ætate valde puerili relictus, ab vno quodam consanguineo suo acceptus est, & ad ætatem vsque pubescentem

educatus. Ac statim quidem, vigentē illius iuuentute, tanquam rectum quoddam germen optima rerum intelligendarum perspicentia effloruit, quàm difficilè præstare possunt, qui sunt in orbitate educati, cū neminem habeant, qui tantū diligentia illis educandis, quantum parentes, adhibeat. Suo igitur studio, & honesta æmulatione notitiam eius artis, quæ notiorum dicitur, ita fuit affectus, vt nondum aliquis eorum, quibus de paterna diligentia prouisum fuit, illam assequi potuit. Cū enim ponderibus præfectus esset apud auunculum, qui regias pecunias custodiebat, & in ea re tam probatus extitisset, vt auunculus nomen tantū muneris illius haberet, ipse verò munus illud re ipsa exerceret, ob idque in conseruandis pecuniis regiis valde insignis esset, tam optimatibus, quàm Cæsari erat vir ille notus, atque optabilis.

Platonotarius.

Cū igitur talis esset, atque arbitrij libertate vteretur, non incontinentibus iuuentutis affectibus mentem tradidit, vt aliquis licentiosior, & fractæ mentis homo faceret, sed velut optimus quidam equorum domitor ipse sibi existens, ab insipientium virorum consuetudine se abstinebat, cum illis autem, qui eruditi erant, vnà versabatur, cum honoratioribus, non abiectioribus viris se coniungens, hīsque adhærens, qui ætate præstabant, non qui natu minores erant. Qua diligentia, & virtutis exercitatione, animi nobilitatem ab externis honoribus, ad honestam virtutis viam dirigebat. Non enim conuiuarum, & sodalium communibus comotationibus se ipsum tradens, vt aliquis eorum, qui adolescentes sunt, in epulis versari

*Quid Plato
in imperatoris aula.*

consuevit, neque in talorum ludo, & ebrietatibus pecuniam consumebat, vt luxuriosi homines faciunt, sed laboriosis vacationibus ponderandę pecunię dās operam, ex ea re diuitias sibi cumulauit, eāsque sic auxit, vt, præter paternam hæreditatem satis amplam, sibi alias etiam facultates comparauerit, quæ nunquā accedere potuissent, nisi vir ille continentia, & frugalitate in omni re vsus fuisset. Quare honesti appetēs iuuenis ille temperantię ornamentum assequebatur, & prudentia insignis erat, in quo morum comitas inerat. Iuueniles appetitus à se longius remouebat, quibus capti qui fuerint, tantum abest, vt bona, quæ non habent, adipiscantur, vt etiam illa, quæ habent, exinanire soliti sint.

Sed quidnam deinde consecutum est? Prudentia tam insignis vir ille, & in his bonis, quæ ad vitæ commoditates pertinent, talis euasit (quæ res ab eis appetitur, qui terrenis rebus delectantur, & ab his studiose quæritur qui filias viris collocant) vt alius aliunde vel ex eorum numero, qui nobiles, & locupletes erant, ad vitæ communionem illum ad se inuitaret. Sed diuinarum rerum appetitio, quam meliori consilio vsus in animo accensam habebat, non permisit, vt in multo vitæ huius coeno infigeretur. Etenim pro ludo diuinas lectiones, quibus attentus erat, pro theatris, & spectaculis Ecclesias frequentabat, pro inhonestis diuersoriis honesta collegia, quodque laudabilius est, occultas mentis cogitationes, & acta cuidam eorū, qui præerant, sæpius confitebatur. Quæ res magnum religionis illius erat indicium, idque cum per-

2. Vide hęc
cōfessionis
sacramenta
lis vsus,
qui in tota

fectè facere solitus esset, ei, qui cōfessionem ipsius audiebat, admirationem, ac stuporem afferebat.

*Ecclesia obseruatur.
Vnde nō est nouitū inuentum.*

Itaque factum est, vt cum ille mentis oculos ad sempiternarum rerum contemplationem erexisset, & earum desiderio allectus, atque alacrior factus, eorum, quæ in terris sunt, cupiditatem extinxisset, fecit vir ille admirabilis, quod diuinus Antonius ante fecerat. Cum enim omnia, & paternam etiam domū vendidisset, pauperibusque pecuniam distribuisset, ac seruos ipsos libertate donasset, & duabus sororibus pauca quædam reliquisset, exiit è loco, in quo erat, eo proposito, quo Abraham olim exierat, nō vt in villis, quæ prope erant, diuinam exercitationem obiret, sed longius aufugiens ad Olympi partes, ad eum peruenit locum, ac virum, qui diuinitus monstratus ei fuerat, ad quendam, inquam, Archimandritam ex eorum numero, qui erāt in regione illa. Locus, quem dicimus, Symbolus appellabatur, vir autem Theoctistus, cuius mores boni, genus perspicuum, & finis sanctus fuit.

Vt Plato omnia abdicauit.

Theoctistus

Sed qualem eius secessum fuisse putamus? Ille quidem, & mihi maximè memorabilis est, & auditoribus compunctionis occasionem afferre potest. Cum enim è patria migrasset, famulo quodam sibi gratissimo vsus comite, & ad eum locum venisset, qui Regū nomine appellatur, in densam quandam syluę partem ingressus, eius manu, qui eum sequebatur, comam sibi totondit, & pulla veste, tãquam purpurea quadam, se induit. Quod verò secutum est, quale spectaculum fuisse putamus, cum comes ille iussus fuisset ab eo dis-

Comam tōdere.

cedere, domumque vnà cum vestibus, quibus seipsum exuerat, redire, ob idque luctibus, quia domino priuatus erat, repleretur, ipse verò solus cum Deo tantum relictus esset, cuius causa, & propter quem id ille agebat? Talis est amor diuinus, qui sui amatorem ab omnibus aliis rebus seiungit, eiusque animum sui desiderio inflammatum ad se vnū contrahit.

Postea verò quàm ad magistrum veniens ab eo interrogatus est, quisnam esset, & vnde veniret, & quare de causa peregrinationem illam suscepisset, singulis interrogationibus apta quaedam, & iusta responsa reddebat. Ille autem cum patriam, genus, & educationem audiisset, Nondum, inquit, in hac loci regione, quæ non mediocrem vitæ duritiem in se habet, monachi laborem sustinere poteris. Cui respondit Christi pugil: Omnia tibi, pater, trado, mentem, voluntatem, & corpus, vtere famulo tuo, vt vis, in omnibus tibi obtemperante. O admirabilem propositi, & eius voluntatis demonstrationem, sed longè admirabiliorē monasticæ professionis materiam, quarum vna in eo apparuit, quòd in ipso ætatis flore, cum res prosperæ illi, & ex animo succedebant, ac meliores spes subiiciebantur, diuitiis propositis, gloria effulgente, corporis habitudine vigente, atque ad hæc omnia accedente propria voluntatis potestate, omnibus tamē his potiorem habuit Dei amorem, altera apparuit in eo quòd optimè de his rebus deliberauit, neque vt multi ex his, qui nunc in superficie, vel (vt veriùs dicā) aliter quàm professio requirit, profiteri soliti sunt, sed vt vera professionis ratio postulabat, ipse professus

*Propositum
monasticū.*

fessus est.

Isti enim nescio quomodo obliti, quod Dominus dicit: Qui non renunciauerit omnibus his, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: item alio loco: Vende omnia quæ possides, & habebis thesaurum in coelis, & veni, & sequere me: horum, inquam, omnium obliti erigunt sibi ipsis templa, & monasteria. Deinde professioni, quam susceperunt, multam salutem dicentes, proprijs bonis potiuntur, ac dominantur, seruos, & diuersas materias ad se attrahentes, heri, & nudiustertius professionis expertes, & hodie tantquam in ea veteres aliorum duces, heri tales, qui nescirent prudenter alijs ducendos se præbere, & hodie aliorum duces esse imperitè sibi proponentes, quibus non virtus, sed eorum, quæ habent, possessio principatum dedit, quique cum multos annos debuissent discere, quomodo primū rectè imperio parere, deinde sic ad imperandum alijs ascendere deberent, antequam illud, quod prius est, experti fuerint, quod posterius est, periculosè sibi assumunt, tales eos, quos sub manu habent, efficientes, quales nimirum & ipsi sunt.

Non autem sic ille fecit, sed posteaquàm verè terrenis rebus renunciauit, tunc & obedientiam non adulterinam, & legitimam præstitit. Illud enim antecedit, hoc sequitur, vt fulgur tonitruo, & vt sole oriente lucifer prius apparet. Nam qui optimè facultatibus, quas possidet, renunciauerit, optimè videlicet & obedientiam præstabit, at qui nõ rectè in alterutro se gesserit, in altero videlicet is claudicet necesse est. 3 Multa quidem sunt virtutis exercendæ studia, extenuatio

*Abusus in
monasteriis*

3.
*Ecce quæ
& qualia
sunt bonorum
virorum ex
ercitia.*

corporis, quæ continentia propria est: sobrietas in vigilando, macies, quæ à lachrymis proficiscitur, in precibus alacrem esse, humi cubando se affigere, tenui veste indui, propriis manibus operari, crebrò genua flectere, mortè meditari, Psalmos constanter canere, stationis tolerantia ferre, sed nihil tale viro illi, qui obedientiam profitetur, quale est cōfessionis studium, & obediētiæ munus perfectū præstare, quibus rebus anima illuminatur, & proprię volūtatis affectus extinguitur, perfectaq; eius, qui per spiritū nascitur, in eum, à quo gignitur, adoptio efficitur. Nam qui non hæc aliis rebus prætulit, is ad obedientiam præstandā imbecillis existet, & quibus rebus videtur salutem suā procurare, his deceptus perniciem, & exitiū patietur. Continentia enim, vigiliæ, & vnaquæque earum rerum, quas supradiximus, ipsa quidem per se laudabilia esse concedet aliquis, sed nihil tamen expedit, immò verò, & ruinæ causam illi esse affirmamus, qui suo arbitrio in his faciendis utitur, nisi eius, qui præest, ductu, & regula dirigatur. Quamobrem qui confessionem cum obedientia coniunctam exercuerit, aliis, quæ supra diximus, secundas partes tribuet duobus his, quæ paulò ante dicta sunt, omnia concludens.

Hæc cum beatus ille ita præstitisset, ut nescio si quis alius vnquam præstitit, bonum fundamentum sibi iecit, atque in eo firmum ædificium construxit, omnem cogitationem suam subiiciens, & in omnibus obedientem se præbens, ob idque (ut illud dicam, quod in literis diuinis scriptum est) dilectus erat

Vis obedientia.

in conspectu patris sui. Tanta enim fuit in viro illo tolerantia, ut adamantiferè similis videretur. Idem in ministeriis obeundis erat admodum dexter, & inter multos certaminum, & laborū socios valde insignis, atque illustris, à quibus non longè aberat, quòd ad cœnobij vitam pertineret, seorsum verò cum vno quodam iisdem moribus prædito quietè versabatur, cum Theoctisto, inquam, illo semper memorabili, modò exercitationi domi vacans, modò communiter versans, tum in Psalmis canendis, tum in cibo sumendo, & opere perficiendo, atque (ut ita dicam) promiscuè, communiterque, & in omnibus modestissimè se gerens. Non enim, quia genere insignis erat, quòd ad corpoream nobilitatem multorum antea ministerio utebatur, propterea ignobiliora officia tractare alienum à se putabat, aut ægreferebat. Quamobrem & fumum humeris portabat, prædiūque stercorare, atque irrigare iussus, id facere non grauabatur. Idem farinam patiēter subigebat, eaque omnia faciens multum studij, ac diligentia libris scribendis adhibebat.

Vultis dicam & alia illius obediētiæ egregia facinora? Increpabatur quidem à patre ipso præsentibus hospitibus, ille, inquam, qui ea, quæ supra diximus, optimè faciebat, sed increpationem ipsam velut laudem quandam accipiens laudatissimus ille vir nihil mouebatur. Ad hæc cum fratribus audientibus legeret, idque rectè faceret, increpatus, tanquam perperam legisset, vir prudentissimus verecundè, ac timi-

dè se gerebat, cùmque à seruili genere se ortum esse audiret, vrbano quodam more annuens patri assentiebatur, generosus ille tam animo, quàm corpore, qui cùm in manuum suarum opere faciendo esset tolerantissimus, & multum lucrifaceret, erat tamen ita modestus, & humilis, vt si nulla in re utilis fuisset, vir & disciplinæ acquirendæ cupidissimus, & diuinæ pietatis amator ardentissimus.

Cùm igitur aliquando ad patris pedes flexis genibus se deiecisset, ab illo ipso corrigebatur, quasi ad idem erratum relapsus fuisset, ille tamen non repugnabat, sed pergebat veniam petere. Itaque defessus erat, qui consuetò eum virum increpabat, & conuicia in eum coniciebat, quibus saturabatur, qui per voluntariam illam ignominiam gloriam sibi comparabat sempiternam. Dicam aliquid ex his, quæ professionis propria esse non videntur, consentanea tamen ei rei sunt, si rectè fiant. Idem ille tanto humilitatis desiderio tenebatur, vt precibus ab aliis peteret, vt pugnis, & alapis cæderetur. Cùmque id impetrasset, & à quodam viro, cui pater id præceperat, verberaretur, muneris loco accipiens verbera, lætabatur. Quæ res erat valde admirabilis, cùm alter inuitus id faceret, quod indecorum videbatur, alter læto animo id pateretur propter vtilitatem, quam ex ea percipiebat. Erat etiam id videntibus, & audientibus admodum vtile, vnum aliquem inueniri, qui voluntariè illa patiens, Christum imitaretur. Num igitur talis, ac tantus vir poterat non diligere, & amari? Quæso, quomodo rationi consentaneum fuisset,

eum, qui totum obedientiæ legibus, tanquam filium, se tradiderat, non patri optabile esse, & ex animo ab eo diligere? Propterea, vt dictum est, valde amabatur.

Itaque propter virtutis splendorem, eius fama peruagata vbique celebratur, quippe qui patri suo talem se præbebat, vt esset instar omnium rerum. Nam vt oculus dexter omnia videns, vt manus rectè operans, vt pes benè incedens, in omnibus denique bonus erat illi consiliarius, & socius admodum egregius, & in colloquendo suavis, eorum, quæ intus erant custos fidelissimus, quæ autem foris erant, ea diligentissimè obseruabat, partim discipuli, partim fratris faciès officium. Illud quoque addiderim, eum virum etiam patris munere functum fuisse. Denique tantus in vtraque re ille fuit, vt si quando aliqua de causa necesse fuisset laudatissimum illum Platonem aliquò proficisci, vir semper memorabilis Theoctistus ob eam rem tristis esset, neque recreationem haberet, vt Apostoli sententia vtar, propter eius hominis absentiam, qui tam optabilis illi erat. Quis enim illo ad res futuras prospiciendas, & coniectura colligendas prudentior? Quis ad tristitiam leniendam, curandamque accommodatior? Quis ad res necessarias comparandas expeditior? Quis ad honorem multifariam impartendū peritior? Talem ad perfectam, veramque in patre benevolentiam ostendendam se præstabat, vt cùm paterna quidem omnia officia in potestate haberet, animū ipsum à terrenarum rerum amore sic alienum seruaret, vt ne ^{pauertat.} oboli quidē vnus esset dominus. His autem ipsis quif-

nam finis, quodve præmium fuit? Paterna scilicet benedictio in spiritualem Iacob profecta, ex quo Patriarchæ sacrarum rerum, & gregis duces extiterunt, ex quibus multi Deo grati filij & nunc sunt, & plures erunt (certè scio) ex femine illo tanta benedictione præditi. Talis fuit vir ille, qui sanctitatem verè amavit, talémque finem habuit egregia illius obedientia, quàm, velut adumbratione quadam ad perfecti coloris characterem, & formam direxit.

Postea verò quàm ad coelestem Dominum Theoclitus eius dux transmissus est, ad illius locum, ac mores se transtulit, & quietem ipsam legitime amplexus fuit, non quemadmodum multi ex his, qui nunc sunt, periculosè illam agredientibus, quippe qui priusquam carnem spiritui subiecerint, audent cum nequitia spiritibus singulari certamine cõgredi, sed cum tempus vincendi est, palæstrâ meditantur. Nam qui nõ prius obediẽtiam dicit, quomodo ille hostiles affectus subiiciet? Quique obediendi regulam integram non servauerit, quomodo ille ad quietis montem ascendet? An non manifestum est eum, qui extra tempus eam rem attigerit, lapidibus feriendum, aut telo in se iacto percussum animæ interitu periturum, ut aiunt quodam loco diuinæ literæ? Sed non ita fecit is, de quo nunc sermo habetur. Cum enim obedientiam Deo placẽtem verbis ac moribus præstitisset, iure, atq; aptè ad quietem se contulit, & prope Deum accedens, mentem purgavit, eiusque contemplationibus delectabatur, mente ipsa in rebus sublimibus versans, quandoquidem nihil suavius est, quàm Deum contemplari, qui

cum sit suauitas ipsa, omni ex parte appetendus est his, qui eius gustum, & singularẽ charitatem aliquo modo fenserunt, cuius satietas nulla est, ita ut qui hæc ipsa gustauerunt, vel ipsius cibi appetitum ferè obliuiscantur. Hæc igitur in se ipsum attraxit, de virtute in virtutem transiens, & ascensiones in corde suo disponens.

Quoniam verò non satis illi erat res suas considerare, cum charitas ipsa & aliorum utilitatem requirat, patris loco, vel potius tanquam lumen quoddam fratrum, quos supra diximus, societati præfectus est, quæ virum hunc beati Theoclitus successorẽ, ac ducẽ habuit, quam societate vterque & spiritu, & corpore ad eam conditionem, & statum prouexerunt, ut mansio illa sanctissima & esset, & nominaretur. Duorum autem discipulorum dux separatim fuit, à quibus ministerium ei præstabatur, quosque cõtubernales quidẽ, sed nõ sodales habebat. Eorum verò vnus adhuc superest, Antonius nomine, qui nobiscum vnà vsque ad senectutem obedientia subiectus vixit. Ipse nobis suggerat, quæ hoc loco in his, quæ nõ dicemus, desiderabuntur. 4 Panis erat nostro illi patri esca, ut aiunt, & fabæ cum oleribus, & summis herbis. talis, inquã, erat illi quotidianus cibus olei expers, ac nona diei hora sumptus, nisi Dominico, & festo aliquo die, his enim diebus solitus erat vnà cum fratrum societate cõmuni mensa vti. Potus erat is quem fontes emittunt, & quo mens ipsa colligitur, non vinolentia copia dispergitur. Neque hic ipse quotidianus semper erat, sed interdum ultra diem vnum, interdum in tota hebdomada bis, vel decimo quoque die

*Vide parci-
tate victus
& potus
Sancti viri.*

5.
Vide etiam
tenuitatem
atque vilita-
tē vestitus.

6.
Nota quod
flectendorū
genuum cre-
britas à pa-
tribus est
tradita.
7.
Ecce opus
manuum in
monachis.

sumptus, potus sumendi tarditate, vel, vt ita dicā, bibendi ieiunitate cum tēperanti appetitu cōiuncta, vel ex naturali temperatione ad habitum redacta, atque constituta. Vestis erat tenuis, ac vilis, calefaciendi corporis causa tantūm adhibita, non tenuibus flis contexta, neque coloribus variis, ac florētibus elaborata, quam, qui nimia elegantia se ornant, non monastica vitæ cultores sectari student. Orationem, & lectiōnē laboriosius exercebat quas certis horis obire cōsueuerat, & pro deliciis, ac suauibus condimētis, eo cibo delectabatur. ⁶ Flectendorum genuum crebritas à patribus tradita, & callum, quod eius manus contraxerant, ac terra, in qua genua sua ponebat, huc vsque virtutē illius manifestē prædicant. Stratum, non molle, aut diffluens lectus, sed qui corpus affligere, & ad spiritalia ministeria firmū seruare posset. ⁷ Ad hæc manibus propriis aliquid operari studebat, hoc enim ex illius rectē factis, præter cæteros, ne dicam omnes homines, insigne admodū habebatur, vel, vt magis propriè loquar, cum sacro Apostolo illum id cōmune habuisse dixerim: Necessitatibus meis, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ: quoniā non gratis panem comedit.

Quis enim concinnius, aut rectius, quàm eius dextera, literarum figuras scribebat? Aut quis laboriosius, quàm ille alacrius, ac studiosius id, quod dixi vel quod uis aliud opus accidisset, tractabat? Quomodo posset aliquis eos enumerare, qui eius labores, hoc est libros ex diuersis Sāctorum patrum scriptis, tanquam flores quosdam collectos seruant? Quos qui possident, tantum

tum utilitatis percipiunt, quantum eis satis esse possit. Nostris autem monasteriis vnde nam tanta librorum abundantia suppeditata est? An non ex illius sanctis manibus, & laboribus? quos adcentes, & animo illustramur, & eius manum admiramur, cū eam talem fuisse perspiciamus. Sed orationis nostræ progressus quædam tacita præterit. Redeat igitur ad ea quæ prætermissa sunt, enarranda.

Erat temporibus illi summa quædā impietatis tempestas. Cōstantinus ille impiis cogitationibus feruens, malitiæ domicilium, multorum capitum draco, eius hæresis propugnator, quæ sanctis imaginibus bellū indixit, monastici ordinis acerbissimus persecutor tunc regnabat, à quo quisnā nostrorū Nazareorū non fuit exterminatus? aut quis latens nō in medium prolatus est? Quisve eorū, qui ei resistebāt, nō ad impietatis barathrū detractus? ita vt sicubi aliquis eorū, q̄ insignes erant relictus fuisset, tanquam scintilla quædam in occulto, & obscuro loco iacens, ita latuerit, vt pro mortuo haberetur apud eos, qui adhuc supererant. Talis fuit noster Elias à Domino ipso seruatus iis in locis, in quibus exercitationi monasticæ operā nauabat, nō eius manibus captus, qui nouus Achab dici poterat, neque eius impietatis particeps factus, vt post caliginis tanquam nocturnæ cuiusdam pugnæ tempora, velut lucifer quidā denuo nobis exoriretur: id quod factum vidimus. Dehinc enim necessariis quibusdam de rebus Byzantium ingressus est. Quo tempore videre licuit monachos ipsos, qui superfuerant, tanquam lumina quædam, ab iis, qui in vrbe Byzantio

Reddit ad
Constanti-
num Copro-
nymum.

erant, conspectos fuisse.

Tunc & beatus ille, qui mortuus antea putabatur, rediuius agnitus est, neque enim à cognitis superesse credebatur, ex eóq; nō solūm cōsanguineis hominibus, sed toti Byzantio celeberrimus factus est, aliis aliunde illum attrahentibus, ac iucundissimè amplexantibus, & benignè eius dexteram apprehendentibus, denique nobili ipsius doctrina libentissimè fruētibus. Erat enim vir ille oratione quidem suauis ac moribus lōgè suauioribus, formæque tali, qualē vitæ monasticæ exercitatio cōmendat. Habebat & multiplicē docendi viam omnibus omnia factus, vt, quod est ab Apostolo dictū, de illo etiam ipse dicam. Erat idem & coniugatorum hominum moderator, & earū quę virginitatem exercebant, propugnator. Quorum manibus imperia tenebantur, eos adhortationibus suis reprimebat. Infirmorum animos, tanquam bonus medicus, sustentabat. Patribus filios concordēs reddebat, patrēsque filiis recōciliabat. Precabatur seruos, vt dominis suis essent beneuoli: dominos verò, vt seruis se beneficos præberent. Alia denique omnia faciebat, quæ qui facit, ac dicit, diuinus esse cognoscitur.

Vnum illud addam ad ea comprobanda, quæ dicta sunt, vt orationi fides habeatur. Quādiu cum iis qui in Vrbe Byzantio erant, versatus fuit, domos totas in aliam vitæ formam mutauit, & ad virtutis statum conuertit. Quidnam hoc est, quod dico? Suæ, inquā, linguæ admonitionibus iurandi consuetudinem ab eius loci hominibus abstulit. Nimios ornādi corporis cultus modesta sua doctrina repressit. Sapius de morum

*Iurandi mos
impius sublatus.*

probitate differens, vt charitatem in pauperes exercebant, hominibus persuasit. Quare factum est, vt pecuniæ abundè conferrentur, & in ea loca, in quibus pietas exercebatur, publicè distribuere. Eosdem ad lectionem compositè exercendā instituit, & ad quoduis aliud bonum opus reduxit. Quæ omnia noctes, & dies, magno studio, labore, tolerantia, ac vigiliis perficiebat: pedibúsque iter faciens, amicorū, & consanguineorum illecebris labores, quos ipse patiebatur, libenter præferbat, re, ac factis illud apostoli dictum obseruans: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cū alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

Itaque in vrbe alia regia, tanquā vexillum quoddam erexit orationē spectatæ vitæ testimonio cōprobatā. Adde quòd tenui, ac modesto habitu indutus, aspectu ipso eos, qui eum videbāt, ad virtutem honorabatur. Quòd si cū politico aliquo viro negotium illi fuisset, orationē suauē adhibebat, ad eorum mores, qui eum audiebant, se componens. Neque quisquam hac in re ipsius institutum accuset, sed vtilitatem inde proficiscētē cōsideret. Et quænam, inquiunt, hæc est? Peccantiū hominū poenitentia, & vitæ rennantiū multitudo. Primus enim, & solus ferè (vt ita dicā) is apparuit, qui nostri generis homines, & alienigenas ad virtutis exercitationē suscipiendā alacres reddidit, primus inquam, nobis, vt sanctè viueremus, hortator diligens extitit. Quamobrem & monasterio cuidam, quod in Vrbe erat, præesse cogebatur quidē, sed noluit tamen. Quinetiam Nicomediensiu Ecclesiæ præsidere eum hortabatur, qui tunc præsidebat, sed assentiri noluit,

clerū fugiens is, qui clero erat dignus, & sacerdotij fastigiū metuens, qui virtute sublimis, & præstans erat. Itaque ad iucūdā sibi quietē reuersus est, vbi quædam memoratu digna constituit, pauperum se patronum præbens, & eorum, quibus iniuria fieret, propugnatores. Ad hæc consolabatur eos, qui arūnis præmebantur, & quibusuis angustiis afflictos subleuabat, partim lingua, partim scriptis, vbi non habebat, quo alio remedio posset se adentes iuuare (literæ enim ipsæ muneris loco erant, cum eius viri tanta esset reuerentia, vt ad misericordiam eos flecteret, qui posset misereri) partim verò quarum rerum facultas ei suppetebat, eas aliis impartiebatur, cum in eius potestate multa conferrent ij, qui bona sua benè exhauriebant, vt inexhausta, & sempiterna bona participarent. Quòd si eiusmodi rebus alijs iuuare nō poterat, consolatione saltem moerorem adimebat & longiore disquisitione ferocios animos eius, qui tristitia laborabat, mitiores efficiebat. Quid igitur mirum, si & ipse cum celeberrimo illo Iob hæc dicere poterat? Seruauī pauperem de manu potentis, & orphano, cui non erat adiutor opem tuli. Os verò viduę mihi benedixit: & causam, quam non nouerā, inuestigauī. Quibus de causis patris loco ab eis habebatur & vt eorum patronus magnificabat. Denique vt hominum curator beatus prædicabatur, à multis visebatur, eidē venienti homines occurrebāt, eundem hospitio tam monachi, quā coniugati accipiebāt, cum eius viri fama ultra eā, in qua versabatur, regionē peruagata esset, ac Platonem illum, velut magnū quempīā, & admirabilem

virum, omnes in ore haberēt, quem certò scio neque in posterum silentio, aut obliuioni traditum iri, si quidem virtus ipsa immortalis res est.

Postea verò quàm cœpit regnare Christi cultrix Irene, quæ pacem ipsam vt cognomento, ita & re attulit, in cuius regno cum alijs bonis, & monasticæ vitæ adendæ facultas, & ianua patefacta est, quæ olim ab impio Imperatore clausa fuerat, quemadmodum ab ijs Imperatoribus, qui Græcorum superstitionem sequebantur, Christianæ fidei aditus præcludebatur: ex eo, inquam, tempore, quo Irene ipsa regnare cœpit, nostra tota eorum, qui rebus terrenis renunciauerant, familia monasticæ vitæ obedientiam profitebatur, cui vno omnium ore laudatus pater ille post solitudinis quietem præfuit, non quòd vellet, aut cuperet dominari. (Quomodo enim rerum minimarum desiderio capi potuisset, maximos fugerat principatus?) sed partim à cognatis hominibus victus (dicam enim quòd verum est, etsi oratio ipsa inconcinnior videtur) partim sperans etiam in principatu ipso eandem seruatorum se quietem. Quod nequaquam fieri potuit: neque enim quòd quæsiuit, ac sperauit, illud affectus est. Ex quo multæ in eum tētationes allatę sunt, à quibus verò, & per quos homines id factum fuerit, dicere omittam, vt eorum, qui hoc fecerunt, honori consulam. Illud tamen dicam, quòd tristem, & inæqualem, suæque institutioni minimè consentaneam vitam ducebat.

Sed quidnam fecit generosus ille, & recti consilii vir? Cùm se captum ad præfecturam illam exercen-

dam vidisset, neque sine periculo eam se fugere posse animaduerneret, quāuis sæpe id cogitasset, tunc tamē vt prudens aliquis gubernator clauum tenens in media fluctuatione nimium æstuante, signitie omni ab animo remota, & mentis lumine in altū erecto, atq; intento, beatorū virorum res gestas, ac vitas inuestigare cœpit, non ad recentia exempla, quæ praua, & corrupta erant, sed ad exemplar, & Apostolicæ vitæ imaginem oculos erectos habens, id quod facere oportet omnes, qui virtutis sunt imitatores, si vitā patriis moribus conuenientem, ac salutarem ducere velint. Primū igitur dedit operam, vt studiose magni, & diuini Basilij cōstitutiones legeret, ex quibus sui temporis consuetudinem à monastica constitutione alienam esse didicit. Cū enim fœminarū cœnobia gubernarentur à seruis maribus, atque ex ea re multa absurda gignerentur, & magnæ animarum iacturæ fierent, audite, quæso quid ille vir egit. Cū bene peritorum hominum sentētiis antea quæsiuisset, vt, quod bonum erat, exploratum haberet (erat enim ab arrogantia studio satis abhorrens, neque quicquam sine aliorum consiliis faciebat) illegitimas traditiones abscidit, vt pestilentes hæreses, suūque monasterium cōstituit remotis seruis, ⁸ ac mulieribus, omnīq; alio mercaturæ censu, quæ cauponantium lucra idem diuinus Basilius appellans, fugienda esse præcepit. Id autem perfectum est non sine labore, cū difficile fuerit his, qui eiusmodi exercitationi assueti non erant, aliis etiam extrinsecus non paucis rebus proposito illi aduersantibus. Neque id mirum est, cū

⁸
Sanctus pater
mulierū
ministeria
à suis mona-
stio amouit..

consuetudo ipsa facilè, & sine labore auferri non possit, neque quicquam ex iis, quæ cum laude fiunt, inuidia careat. An non excelsæ, atque erectæ mentis est, à perniciofa consuetudine sese auellere, & rectum exemplar se illis proponere, qui non solum nomine, sed etiam re monasticam regulam sequuntur, & opus vitæ suæ consentaneum habere cupiunt? Quomodo enim fieri potest, vt ille sit verus monachus, qui seruos habeat, à quibus, tanquam dominus, timeatur? Quomodo non visu allectus, & captus fuerit is, qui exercitationi monasticæ addictus mulierem aliquam sibi ministrantem contempletur, cū illud euenire solitum sit, vt quamuis à muliere aliquis longè absit, intestino tamen bello vexetur, & aliquando capiatur? Quamobrem factum illud his, qui prope erant, desiderium attulit, vt idem & ipsi facerent, & diuinos homines pietatis studiosos ad eam rem imitandam prouocauit. Vnde sempiternam gloriam pater ipse assecutus est. Quod si alium quempiā adiutorem, & in ea re socium habuit, eum inquā, qui hæc dicit, & scribit, totum id patri nostro acceptum referendum est, decet enim filium in omni re patrem imitari, seque totum parenti tradere.

Iam verò à societate illorum, qui in vrbe versabantur, & cognatorum congressu, necnon Principū consuetudine se disiunxit, intra spiritualementem aulam se continens, & gregi rationali præsidens, doctrinæ cibo illū nutriens, & eruditionis potū abundè illi suppeditans. Ex quo factum est vt Lia ipsa floreret, & grex cresceret, ac celebrior fieret, Deusque gloriosius laudare-

tur, à quo in omnes omne opus perfectum proficiscitur. Sed quale illud est, quòd interea hoc dicēs imprudens ferè præterij?

Cùm iam regnaret pia illa foemina Irene, multaq; disceptatio de venerandarum imaginum argumento facta esset, idem pater ante multos alios, & cum paucis quibusdam libera oratione imagines prædicabat, cùmque iis qui contra eiusmodi venerationem bellù gerebant, quantum poterat, ipse pugnabat, quandoquidem ad disputandum de dogmatibus idoneus nõ erat. Nam simplicem quidem orationem habebat, at amplam tamen, & nomini suo congruentem, & auditoribus probabilem. Cuius rei argumentum illud fuit, quòd in cathedra vrbs metropolitanæ Epiphanius in synodo illa, quæ in Apostolorum templo habita fuit, à Præsidente, qui tempore illo erat, prouocatus est is, qui neque antea hæreticorum militaris ordinis impetum timuit. Quo tempore ad magnum illud templum festinauit, aduersus Præsidentem clamans, & fallacem illum cœtum contra venerandas imagines coactum vituperans. Et paulò post cùm concilium illud falsum dissolutum fuisset, tam cœtus ille veritatis propugnator, quàm Regina ipsa è mediis Leonibus erepta fuit. Tunc sine sanguine (vt ita dicam) Martyr apparuit noster præceptor, Pontificem ipsum sequens, neque quicquam ob ea, quæ ausus fuerat, veritus. Parum enim est, quòd in ea synodo, quæ iterum in vrbe Nicæa habita est, inuentus fuerit, eò quòd tunc immitis, & durus ille populus de medio sublatus fuerat.

Postea

Postea verò quàm hæc ita se habuerunt, & rectæ fidei trophæum erectum est, pater ipse in suum monasterium reuersus est, præsidendi munus exercēs. Quo tempore morbo detentus, qui vitæ desperationem significabat, idq; pro lucro ducens, atq; appetens, præsidendi officium in nos transtulit, qui neque digni eramus, quibus ille præsideret. Inuenit igitur humilitatē illam, quam optabat, & molestiarum velut inducias quasdam accepit, & à vexationibus, quæ illum detinebant, liberatus est, talis existens, qualis olim fuerat à pecuniæ, & possidendi cupiditate alienus, neque curiositatis amator. Nõ amplius autem aliquorum odia locum habebant ad eius virtutis splendorem contemendum. Nam & viri iusti affliguntur, vt cùm rebus aduersis, velut igne quodam, probati fuerint, eorum animi illustriores fiant, rectèque incedentes minimè delabantur, discantque benè agendi facultatem omnem à Deo se habere.

Tempus igitur, quo præsidendi munus pater exercuerat, iã absoluius. Orationē deinceps ad id, quod celebrius est, conuertemus. Sed in mentē mihi venit ingemiscere, quæ vera sunt dicere aggrediēti quidē, sed harū tamen rerum narrationē recusanti, eorū causa, qui ea fecerunt. Verùm cùm fieri nõ possit, vt aliter manifesta fiant, quæ occultari non debent, quamuis vbiq; ea vulgata sint, veniam tamē ad eorū narrationē, non quod velim his, qui hæc egerunt, obrectare, sed vt viri beatissimi virtutem monumentis literarum consignem. Væ tibi ciuitas (inquit Salomon) cuius Rex iunior est. Id quidem à literis diuinis olim au-

PPP

diueram, nunc etiam expertus sum.

Constantini iunioris imperatoris intemperantia.
 Constantinus Irenes filius, cuius fides quidē recta fuit ex materna pietate formata, vita verò peruersa ex imperii potestate, intemperantia, velut stimulo quodam excitabatur. Cū enim pubescente ætate nuper imperium habere cœpisset, partim maternę reuerentię, & custodię freno abiecto, partim diuinis legibus pro nihilo habitis, vxorem legitimē sibi copulatā eiecit, & Herodis exemplo mœchus factus est. Sed quorsumnam hæc spectat historia? Vt nostrum hunc magistrum præcursoris illius Ioannis imitatorē quodammodo fuisse intelligatis. Cū enim omnes ferē iniquo illi facto assentirentur, solus hic (vt ita dicam) cum suis pueris, hoc est discipulis, stabilis permanfit. Ob idq; quot, & qualia per totum annum certamina eum subiisse putamus? Nuncia nunciis, minæ minis addebantur, flagella, exilia, membrorū mutilationes proponebantur. Cū verò nihil eorum, quæ Cæsar ipse studebat perfici posset, aliam nam verbo quidem alij eū persequebātur, re autem vera Imperatoris manus illi erat infesta. Nostis monachos illōs, & literas ad eum missas. Postremò cū ea ipsa inania, atque infirma deprehensa essent, viro illo sancto, quod decebat, faciente, & contrarias literas mittente, tunc Imperatoris persona detecta fuit, cū non amplius ficta species locum habere potuisset. Rem enim aperte ostenderunt quæ à duobus illis exercitus ducibus ab eo, velut hostibus quibusdam, ad inermem Christi monachum sola diuina lege armatum missis facta sunt.

Plato arguit Imperatorem, vt olim Ioannes Herodem.

Pastor igitur è medio sublatus est, & oues gregis dispersæ sunt, aliis verberatis, aliis in exiliū missis, aliis persecutores fugiētibus. Quòdque miserabilius est, regiū edictum prohibebat, ne quis eorū, qui Dei causa persecutionē patiebantur, alicubi reciperetur. Eiusmodi edicto monasteriorum præfecti obtemperauerunt, ac quotusquisque inuentus est, qui virum illum accipere ausus fuerit. Interea Christus dormiebat obcam, quam ipse nouit, rationem, probans, & explorans aliorum animū, nū firmior esset, aliorum verò inhumanitatem patientia sua flectēs ad misericordiam, & ad poenitiā prouocans. Ille igitur Christi athleta sponte à propriis membris abscinditur, atq; omnino solus relinquitur, animā pro ouibus suis exponēs, verē bonus pastor, vt in Euangelio dicitur. Idem ad Cæsarē Briarei manu ductus, corā ipso stetit (audeo dicere) velut præcursor Domini Ioannes, nisi quòd ille vltro, hic ab alio ductus id fecit.

Christus dormiens.

O fortem illius viri mentem, & animum, qui non imperium formidauit, nō minis cessit, non illecebris fractus est, cū præsertim cognata illi esset foemina, quæ Herodiadis mentem habebat, quinimò intrepida oratione vsus, ac nihil veritus, id quod verum erat, confessus fuit. Non licet tibi, inquit Præcursor, habere vxorem Philippi fratris tui. His similia, & Præcursoris imitator ei dixit, qui Herodis erat similis. Non ille quidem fuit securi percussus, quoniam noluit Cæsar ipse martyrem eum virū esse, qui animo, & proposito iā fuerat, & iis, quæ dixerat antea, se certasse satis ostenderat, sed imprudens tamen Christi confessorē

PLATO CARCE
VI TRADITUR.

eum esse probavit, cum in cellula quadam, ut maleficum hominem, illum veritatis thesaurum conclusisset, clauibus aliis alias addens, ac cibum per foramen quoddam ei dari iubens, ut à nullo prorsus videri posset, qui à Deo ipso videbatur. Hæc unà cum Cæsare agebant monachorum præfecti quidam, quos pudet nominatim proferre, quodque miserabile est, carcer erat monasterium imperatoris palatio adherens, & eiusmodi custodiæ princeps erat is, qui adulteros coronauerat. Hei mihi (ut cum Propheta clamem) quoniam periit vir Deum timens à terra, & qui rectè faciat in hominibus non est.

Quid dicam de illo, qui sanctum virum custodiendum ei tradidit, qui adulteros ipsos coniugauit? Quid de illo, qui mandato Imperatoris virum nullis rationibus reddendis obnoxium, tanquam reum conquisiuit? Quid eos in medium afferam, quos Cæsar ipse factorum ministros insignes in carcerem misit ad persuadendum iusto illi viro, ut verbo tantum assentiretur iis, quæ fiebant si à carcere dimitti vellet, & omnibus suis dominari? Quid denique illos proferam, qui ei valde illudebant, atque obtrecebant, tam consanguinei, quam alieni, tam qui eodem, quam qui diuerso habitu induebantur? O rem absurdissimam, immò verò ô, factum contra veritatem iniuriosum. Insimulabant generosum hominem adulatorum comprobatores, quod mente delira esset. Falsæ gloriæ studiosum esse iactabant eum, qui pro Christi gloria certamen subierat. Illi nimirum homines hæc dicebant, qui cum ad Cæsaris voluntatem omnia loque-

rentur, & facerent, à Deo ipso Domino exciderant. Eius temporis calamitosam inhumanitatem, Christi cultor ferebat, veritatē ipsam solum propositam habens, & quæ veritatem defendendi retribuenda sunt secum cogitans. Itaque ærumnas illas ita transegit, ut si cum tranquillitate in aliquibus locis occultis requiesceret. Cuius enim viri studium Deus est, eius religionem, & in Deum Charitatem nihil superare potest.

Breue tempus intercessit, & adulterinum illud Imperium, quod noluit intelligere ut benè ageret, de medio sublatum fuit, ut & Imperatores ipsi discerent diuinas leges non violare, neque iniquas persecutiones, & carceres struere, quamuis purpura nimirum effeferantur. Tunc fidelissimus ille diuinarum legum custos, confessionis braui recepto, à carcere ipso tanquam victor, exiit: multisque laudationibus, & carminibus celebratus felix dicebatur, eorum testimoniis comprobatus, qui antea ipsi obtrecebant, atque illudebant. Solent enim (ut est à Gregorio Theologo dictum) hominis alicuius virtutem vel hostes ipsi admirari, cum, furore extincto, res ipsa per se probata fuerit. Licet hoc loco diuerso modo res se habeat, ac dici possit. Cum enim Regina illa, quæ pacis nomen habens Irene dicta est, rursus imperare cœpisset, & reuerentia virum hunc, tanquam Martyrem prosequeretur, tunc, instar fluuij retrofluentis, si quis inimicus antea fuerat, amicum, & laudatorem conuersus est, ita ut custos carceris in terra prostratus sibi veniam dari supplex petierit. Sed vir ille factis, aut dictis tam motus fuerat, quam lapis sensus expers.

Sublatum
diuinitus
Constantini
Imperium.

Postea verò quàm ab exilio reuerſi fumus, aliique ex aliis locis, tanquam volucres quidam, aduolassent, factum illud piis hominibus admirationi erat, & cum capite ipso membra copulabantur. Diceret fortasse & hoc loco (quamuis verbum hoc audax sit) clarissimus ille vates Esaias: Leua in circuitu oculos tuos, & vide congregatos filios tuos, veniunt omnes filij tui de longè: videbis, & gaudebis, & metues, atque obstupesces corde. Ille quidè Propheta hæc diceret, ego verò addiderim, illum etiam, qui sacris præsidebat, & in ea re principem locum tenebat, ita fuisse affectum, vt eum, de quo dicimus, reuerentia prosequeretur, qui cum se illi purgasset, ad concordiam etiam ipsum inuitauit. Quod factum fuit, eiectione illo, qui adulteros coniugatos coronauerat, vt dissidium remoueretur, quod beatus ille vir maximè fugiebat. Quo facto, victoriæ præmium apud vniuersos, qui conuenerant, affectus est. Quid enim aliud Deo ipsi concordia, & coniunctione charius, modo coniunctio ipsa hominem à diuinis præceptis non sciungat? Sed quidnam postea factum fuit?

E priore monasterio gentis illius causa Byzantium migrauimus. Quo loco pater ipse virtutis appetens, ne monasterij gubernationem sustineret, intra cellulam se claudens, eam vitam amplexus est. Sed vide etiam hæc admirabilis rei studium. Tam multa eius erat humilitas, vt cum fratrum societas sub duobus principibus esse non posset, se ipsum vir ille Dei studiosus, atque imitator, obediētia legibus subiecerit. Idque fecit, illis ipsis præsentibus & eius rei testibus, qui eo-

9
Ecce quanta
obediētia
virtus a-
pud præcos
monachos.

dem conuenerant. An non peregrinum, & alienum hoc est filiū dici, eum, qui antea pater dicebatur, eius, inquam, filium, quem ipse in spiritu genuerat. Quid quòd ei subiectus erat, cui olim imperauerat, cum præsertim tot essent illius egregia facta, vt satis illi ad laudem esse possit, si tantarum rerum gloria non elatus, modestè se gesserit? Sed admirabilis ille vir facillè & nullo negotio hoc perfecit, non fictè quodammodo, & adulterinè, vt verbo tantum imperanti subiectus esset, sed sincere, atque eo modo quo Deus postulat, id ipsum faciebat. Vbi enim confessio est, illic & fiducia, vbi fiducia illic propriæ volūtatē remotio: vbi volūtatē remotio, illic & obediētia profectio esse solet. Rectè factorum testes illi sunt, quorum causa petitiones aliquot extiterunt. Supplicabat pro aliquo propinquo, & cum petitionem affectus esset, eius causa, qui petitionem obtinuerat, ipse gaudebat. Quòd si petitionis compos non fuisset, sed re infecta discessisset, nequaquam id molestè ferebat, vnū illud propositum habens, vt re aliqua egenti vtilitatem afferret, non vt voluntatem suam expleret.

Hei mihi, pater (vt prophetæ voce utar) quem nā me genuisti? Patrem te vocare non erubescō, qui dignus nō sum qui filius tuus nominari possim. Quorsum me ad hanc dignitatem extulisti, qui neque imperio parere aptus sum? Nouit Deus, quemadmodum & tua sancta anima, huius rei rationē, quòd scilicet amicitia ipsa, vel obediētia potius etiā illa, quæ supra vires sunt ferre potest, vt breui oratione defensionē meā comprehendā, & hoc loco finem faciam: redeundū enim nobis est ad id, quod proposuimus. Clausus erat Pater

ipse in loco quidem augustissimo, qui ætate ita cale-
fieri solitus erat, vt alter Chaldaicus caminus esse vi-
deretur plumbei tecti inflammatione æstuans. At ille
non solum eam rem non molestè ferebat, sed etiam
talem in posterum sibi requiem reseruari votis expe-
tebat, desiderio ipso laborem leuante, & spe difficul-
tatem faciliorem reddente, ex quibus fit, vt magnæ
aliquæ virtutes, atque institutiones vires habeât. Ne-
que his rebus vir ille laboris studiosus, cõtentus erat,
sed constanter, ac diligenter manibus laborabat, mul-
tam vim adhibens, diuinæ verò meditationi multo di-
ligentior dans operam, vt vbique aduersus hostem
diabolum pugnans, & fratrum necessitati paratum se
præbens, alios tristes consolans, alios animo deficien-
tes recreans, ac sustentans, multos lapsos erigens, qui-
que acerbitate aliqua affecti erant, illorum mœrorem
leniens. Denique multiplex ille animarum medicus ad
eorum, qui aliquid patiebantur, habitus se accommo-
dabat, vt laborantes ipsos optimè curare posset.

*Ferrea cate-
na detine-
tur Plato.*

Non silentio prætereundum mihi videtur, quod est
admodum memorabile. Cùm ferrea quadam cathena
valde graui pedes circumdedisset, eiusmodi laborem
fortiter sustinebat. Quàm verò laboriosum fuerit ca-
thena illa indutū dormire, vigilare, & opus facere, li-
cet eam rem considerantem intelligere. Neque id fa-
ciebat, vt se clausum ostentaret, neque tanquam virtu-
tis officinā, instar Chironis illius in Thessalico antro
habitantis, factum illud iactitabat, ab eo enim affectu
athleta ille multū aberat, sed virtutem suam extenua-
bat, quasi eam non coleret, vt par erat: cathenam verò
illam

illam submissione quadam artificiosè ita occultabat,
vt omnibus ferè ignotum esset, quod diximus, quoad
à cella progressus rem ipsam vel inuitus patefecit. Sed
de his rebus satis diximus, cùm & auditor mediocri-
tatem amet, & scriptor copiosius res ipsas enarradi fa-
cultate non abundet.

Cùm verò è vita excessisset diuinus ille vir, qui tunc
Episcopatu præsidebat, quisnam Patriarcha futurus
esset, suffragiis quærebatur: quæ quidè de multis fere-
bātur, cùm plaríq; alius aliū cooptaret, prout beneuo-
létia, aut veritate ducebatur. Quæsitū est & patris no-
stri suffragiū nō solum ab his, qui sacerdotio insignes
erāt, sed ab ipso etiā imperatore. Quid igitur (vos quæ-
so) faciendū illi erat? An nō decebat eū, qui bonarū re-
rū causa certauerat, & accuratæ vitæ legem omnibus
se proposuerat, liberè, ac verè sententiā suā proferre,
id quod ad communē vtilitatē spectaret, consideran-
tem? Minimè, inquiunt eius irrisores, & obtrectato-
res, sed vel ignoracionem simulare, vel ambientibus
suffragium illud concedere oportebat, quorum alte-
rum mendacium habet, alterum simulationem, vtrun-
que certe respuèdum. Ille igitur suffragium suum mi-
sit. Cui autem illud detulerit, omitto dicere. Misit
tamen, Deo ipso teste. Quod & illi libenter acce-
perunt, nescio quomodo, quod scriptū fuerat, con-
firmantes. Qui cùm suffragium ipsum accepit, reuo-
luit calculos ipsos, ac peruertit. Et Plato quidem ipse
quoniam necesse erat, vt pro capite proponendo
singula membra suo fungerentur officio, ad quen-
dam eorum, qui eodem habitu induti erant, Cæsa-

QQQ

ris ipsius propinquum, cōmunis vtilitatis causa egredi ex eo loco, in quo erat, nequaquam veritus, nocte adiit, cui cūm ea dixisset, quæ decebant, in cellam celeriter rediit. Ille verò cūm hæc audiisset, in furorem versus est, ac paululum moratus, quantum ad id, quod consultauerat, perficiendum satis esset; sanctum illum virum, & nos vnà cum illo comprehendit, & quatuor, ac viginti dies munito quodam in carcere detentos domum postea redire permisit.

Quid opus est dicere quot iniuriis virum illum, vel potius veritatem ipsam affecerit, fratrum societatem furiosè oppugnans, atque conturbans, & alios quidem in carcere seruans, alios ad iudicia, tanquam reos trahens, quamuis in omnibus aliis rebus imbellis, & ridiculus existeret? Quæ omnia erant apparatus quidam malitiæ, quam ille meditabatur, & velut iniquitatis cuiusdam exordium, nec non eius hominis nugarum, & apertæ petulantiae significatio. Propediè vexatio ipsa illata est, eiusque causa fuit Ioseph ille, qui adulteros, quos diximus, coniugauerat, clandestinum inquam, malum illud, & Ecclesiæ ipsius perturbatio. Cuius quoniam, tanquam serpentis cuiusdam venenum, canonicè communionem effugimus, à Cæsare ipso minè nobis proponebatur: quinque instabāt, parati erant. Sed quī possum paucis verbis cōprehendere, quàm multos terrores, quot certamina, & tentationes nobis attulerit, quàm sæpe nos abducendo vexarit? Scit hæc tam qui ea passus fuit, quàm qui prope illum, qui hæc patiebatur, tunc erat. Profecto

militaris phalanx locum, in quo manebamus ita cinxit, vt neque aliquem hircere, aut omnino caput efferre permetteret. Intus timores, foris terror, ac minæ proponebantur. A quibus autem hæc proposita fuerint, nō dicam, eorum, qui hæc fecerunt, personam reueritus. Heu quanta fuit tēporis illius calamitas. Nemo ferè impetum illum ferre potuit, nemo fuit qui recta consuleret, & diuinas partes sustineret. Quin imò oprabile erat, ne quis iracundiam Principū magis excitaret. Hęc, & his miserabiliora faciebant, qui eiusdē ordinis erāt participes. Postremo (vt summatim rem perstringam) fratrum societas noctu abrepta est, & in carcere conclusa. Quo facto, synodi constitutus fuit dies, in quo vir ille sanctissimus à militari manu vnà cū tribus aliis, velut malificus quispiam, ad ipsam synodum ductus fuit. Miserabile certè spectaculum erat, senem videre propter imbecillitatem ingredi non valentem, sublatum portari cathena vinctum, qua ipsius pedes circundabantur, & ab aliis humeris in alios velut piaculum quoddā indecora traiectione trāsmitti. Hei mihi, hæc ne fuit ordinationis synodo cōgruentis ratio? Hęc ne Imperij Christiani existimatio? Quæso, qua in re sunt hæc illis inferiora, quæ latrocinantium insidiis, & tyrannicè imperantiū violentia olim patrata sunt?

Sed, vt quæ in medio sunt, ea velut ludicra quædam prætermittam (illa enim historiæ modum implere possunt) exilium iam decretum fuit, & pater ipse circumscriptus est in vna quadam insula ex his, quæ ante urbē sunt, quemadmodū & frater noster in alia quadā

valde aspera, munitio quodam carcere ad exilium accedente. O rerum mutationem? Monachus ipsis humaniores extiterunt hi, qui communi vita vtuntur, & priuati homines veriti non sunt iustum ferre iudicium quod iudices debuissent, manifestum enim erat iniquum illud facinus. Missum facio balneum illud, in quo Imperator ipse militari acie omnium fratrum societatem inuadens, cum ex monasterio illo singulos suae voluntati subiicere conatus esset, spe deceptus est, suo enim imperio valentiores illos esse cognouit, qui diuina lege nitebatur. Missos facio carceres in monasteriis constitutos, & monasteriorum Praefectos carceris duces factos, hisque quos clausos tenebant, plura quam iussi fuerant, tormenta inferentes. Praeterea quae postea consecuta sunt, quo tempore multi abducti, & in alium locum translati persecutiones, inquisitiones disiunctiones, atque exterminationes pertulerunt, quo tempore multae, atque ingentes minae, irae, interrogationes & responsa, multaque per omnes vrbes inuestigatio facta est, nec ubi aliquis fratrum lateret, adeo ut nonnulli timore persequentium in terrae foraminibus sese abderint, quod seruari possent. Haec autem omnia eius rei causa facta sunt (rursus enim praedmiracione eadem tractare cogor) ut qui adulteros illos contra euangelium, & praecursorem Ioannem coronauerat, quasi salutarem aliquam dispensationem Ecclesiae attulisset, impunè rebus sacris praesse posset, quique illum Euangelicis praecipis obtemperantes non admitterent, exleges, & à Deo alieni haberentur. O diuinas leges contemptas: O persecutorem acerbissimum, Christiani hominis appellationem habentem, & Christi leges concu-

care gestientem. Quid ita insanus factus es, stolidus, atque immitis vna cum Leone tibi comparare? An non vides contra inuictas Dei leges te armari, quas nemo ex his Imperatoribus, qui vnquam fuerunt, superare potuit? Quinimo quicumque se, ut tu nunc, his ipsis legibus aduersarium ostendit, iure optimo perit.

Sed quonam modo Dei seruus abductus est? Ad illum enim ipsum redeo. Rursus translatus, rursus distractus, & à duobus hominibus huc, atque illuc protrusus, eò quod non amplius progredi posset, trahebatur, & ita distractus vexebatur, ut iniquum illud facinus vel ipsis lapidibus sensus expertibus lachrymas mouere posset. Huius rei testis est celebris illius martyris Mamantis regio, testis est & abrupta illa insula, quae post primam fratris iam dicti custodiam pietatis hunc custodem detinuit. O immites, & doloris sensu carentes illorum animos. Sed nescio certè, quo nomine ipsius congruente illos appellem, qui eadem opera monachi, & milites, & carceris erant custodes, qui iustum illum virum omnino desertum, tanquam in lacu profundissimo, in cella quadam concluderunt, hominemque iam senio confectum, & morbo vexatum, sub vnus cuiusdam serui potestate, illi rerum terrenarum, & Caesaris serui reliquerunt, ut sanctus vir semel in die, vel bis in ministro viseretur. Quo tempore senex eum rogabat, ut ad necessarium usum corporis duceretur, & iniquus ille seruus id ei exprobrabat. Petebat aliquid imbecillitati suae consentaneum, & peruersus ille fores claudebat. Cumque haec pateretur, nihilominus tamen stabilis permansit, quodque

coram Deo, & hominibus confessus fuerat, nūquam denegauit.

Postea verò quàm eius carceris causa eum in lethalem morbum incidisse Cæsar audiuit, animi duritiam leniorem faciens, in urbem Byzantium ipsum transtulit: cūque illum eò transtulisset, parabat se ad id, quod malefactum fuerat, corrigendum. Sed quoniam non recto proposito, ac sententia mouebatur, quod proposuerat, ad finem non perduxit. Illū enim diutius arrogātia, ac temeritate suspensum cū foris Dei manus ad Scythas exterminasset, illic cum toto exercitu perdidit, vt posteris narratio quædā terribilis, & dictu horrenda, Deiq; iudiciorum, quæ cōprehendi non possunt, eiusdemq; sapientissimæ prouidentię exemplū relinqueretur. Eū verò, qui antea nobiscum vnā clausus tenebatur, cū eorū, qui tunc Imperio potiebantur, & piè se gerebant, gratia proprio gregi restituisset, Confessorem ille se ipsum esse probauit, idque quomodo factum sit, dicemus, neque enim hoc præterire consentaneum est.

Eorum cura, qui res nostras beneuolo potius, quā inimico animo disponebant, de medio sublatum fuit scandalum, quo remoto, & diffidium, quod illi cum Episcopo intercesserat, sublatum fuit, cū Principes ipsi hoc ei persuasissent. Itaq; sanctissimus Patriarcha se purgauit, quòd quæcunq; acciderant, Imperatoris violentia facta fuissent. Tunc igitur vnā conuenerunt, & vicissim sibi satisfecerunt (quandoquidem Deo ipsi nihil ita charum est, vt pax, & concordia, modò concordia¹⁰ ipsa non sit fidei dissentio, neque

10.
Nota III,

diuini præcepti violatio, non denique Canonis alii- ^{qui cupis} cuius reprobatio, quemadmodum præfens coniun- ^{concordare} ctio se habuit) quantum ad nos pertinebat ea, quæ in- ^{res, super} terea facta fuerant, prætermittentes, vt illis similia, ^{quibus di-} quæ diuinorum patrum memoria facta, & similiter ^{putatur in} dispensatione quadam neglecta fuerant, immò verò ^{ter catholi-} perfecta earum rerum examinatione in futuro illo ^{cos, & Ha-} seculo illi iusto, atque incorrupto iudici reseruata.

Sed quidnam consecutum postea fuit! Non amplius pater ipse clausum se detinebat, quoniam propter infirmitatem non amplius corporis necessarium vsum per se ipsum explere poterat, sed modò in lectulo recumbens superioris exercitationis, & certaminis, atque laboris relaxatione, modò in humili aliqua sede requiescens, Davidis Psalmos pronunciabat, & mente Deum ipsum precabatur, quæque ad fratrum societatem adiuuandum pertinebant, omnia conferebat, salutaria consilia, admonitiones, correctiones, adhortationes pro vetere, & paterna beneuolentia, qua vti in eos consueuerat. Non tamen valebat opus facere, neque genua flectere, neque lectionibus vacare, nisi quantum ministri alicuius prope se legentis opera utebatur, nihilominus his rebus dolebat, & tristis erat, quasi animam perdidisset, eò quod diuina, & sacra ministeria non obiret, sed à corporis laboribus vacaret. Ac si quæ cibū sumebat morbo cōgruentē, vel lauachro, vt iussis pareret, utebatur, Deo quidē ipsi gratias agebat, sed ægreferebat tamē, quòd remissius viueret. Itaq; verè stadiū ip-

sum celeberrimus ille vir, & diuinum cursum exigit, quod dicitur, cum obedientia exoriens, & in obedientia desinens, duodecimo enim, ac diuino horarum ambitui cum parem annorum circulum in singulis certaminibus perfecisset, vitam illam sempiternam, & perenne lumen habiturus hinc migravit. Numerata certamina ipsa, & inuenies annos octo, & quadraginta, adde duodecim illos antequam terrenis rebus renunciasset, ad illa quatuor certamina, quæ in persecutionibus, decem item & nouem annos, quos in infirmitate corporis transegit, & celebrem virum vnde octogesimo anno hinc migrasse inuenies.

Sed quomodo sine lachrymis eius viri finem enarrabo? Iacebat senex ille senio admodum honorato, ad migrationem ipsam animum habens paratissimum. Illic & fratrum societas circumfusa sanctarum eius orationum donum postulabat. Cum igitur singulis benedixisset, eosdem amplexatus ad sepulchrum abiit admodum lætus, quod iam pridem videre concupiuerat, quamuis voti compos antea factus non fuisset, cum non pridem affecutus esset, quod volebat. Cum igitur valde hilaris sepulchrum suum vidisset, Deo gratias agens, Hæc, inquit, requies mea in seculum seculi, eamque vocem adiunxit: voluntatem timentium ipsum faciet Dominus. Mouit & eorum, qui foris erant, non paucos, qui nullam temporis rationem habentes (erat enim sacrorum ieiuniorum periodus) concursu ad eum venerunt tam monachi, quam in cõmuni vita versantes. Quibus cum ille benedixisset, reuersi sunt sanctam illius commendationem,

nem, velut bonum quoddam viaticum, accipientes. Quinetiam sanctissimus ille Patriarcha cum ad eum venisset, eius orationem se participem fieri postulauit, quarum compos factus, amplexus illum fuit. Itaque omnis discordiæ suspitio remota est, cum olim tristitia illa, quæ inter eos acciderant, impedimento fuissent, quominus id credi posset. Omnes igitur admonuit, pro omnibus Deum orauit, vniuersis veniam dedit, qui minimè se in illum gesserant, qui eum persecuti fuerant, & molestiis affecerant. Hæc fecit diuinus ille vir, qui Christum ipsum etiam moriens imitatus est.

Quoniam verò & testamentum disponi oportebat, dicam, quòdnam hoc fuerit: Orthodoxa, inquã, fides, & legitima vitæ institutio, hæc enim & viuens, & moriens seruauit. Hoc autem, vel illud distribuere ad eum minimè pertinebat, quoniam neque de amictu ipso quicquam disponere in potestate habebat. Tunc & à me miserabili homine rogatus, an aliquid haberet, quod diceret, manu vestem meam apprehendit, eamque concussit, symbolum quoddam, hoc est obedientiæ omnino liberæ, ac promptæ iudicium relinquens, vocemque valde summissam emittens, dixit, se nihil habere. Quo dicto ad humilitatem meam omnia referebat. Minimè autem illud prætermittam, quod prædictionis apertam habet significationem. Ipse funebre canticum sibi ante mortem modulatus est. Cum enim thoracis morbo teneretur, & assiduo anhelitu laboraret, labia ipsa ex consueta diuinorum eloquiorum meditatione commouebat, summissaq;

voce illam præcipuè cantici partem canebat: Resurgent mortui, & exurgent qui sunt in monumentis, & lætabuntur qui sunt in terra. Quem versum hortabatur, vt secum vnà canerent, qui præsto erant, quoad loqui potuit, & vocem tenuissimam emittere. Canticum autem illud eius obitus consecutus est, qui iusti Lazari, eiúsque diei festi memoriam aduentantem antecessit, ad quem Lazarum canticum illud referebatur, quo cum partem habiturus erat pater hic, cuius vitam scribimus. Postremò cùm infusurrasset, & Deū precatus esset, vt saluus fieret, decoro habitu iacens, caputq; ad dexteram inclinans ita leni, & tacito corporis motu, tanquam in proprium locum migrandū sibi proponeret, cùm oculos ea hora clausisset, qua sol occidit, sanctam animam Angelis tradidit, qui eam ad iustitiæ solem perducerent.

11.
Vide animas Sanctorum post hanc vitam esse in celo.

Et nunc ille quidem in ¹¹ coelis est nō solūm eo ordine, ac statu (audeo hoc dicere) dignus habitus, qui viris exercitatione præstantibus assignatus est, sed in eorum choro numeratus, qui Confessores extiterūt. Quorum enim certamina perpeffus est, eorundem fortis manifestum est participem factū fuisse. Vel, si placet, cum iis, qui terrenis rebus renunciarunt, numeretur, qui ea re probatissimus fuit & multæ obediētiæ causa coronatus, cum his, qui vitam quietem egerunt, ille, qui legitimam quietem exercuit, cum doctōribus doctor modestus, atque compositus, cū iis, qui latentem vitam exercuerunt, ille, qui non solūm clausus mansit, sed tunc etiam obediētiæ subiectus fuit, quodque admodū honorandū est cum Confessori-

bus certus confessor, re ipsa orationē comprobante.

Ego verò miser bono illo patre orbatus, & animo fluctuans, vbinam consistam? Quem admonitorē inueniam extra rationem me gerens? Quo modo prauidæmonis impetum fugiam, cū eius admonitoris, ac doctoris copia mihi non adsit? Sed ô ¹² diuinum, & factrū caput, tu me ex alto propitius respicias, & cadentem erigas, gradientem dirigas, incolumen cōserues, & vnà mecum gregem hūc agas, & pascas, quem multis laboribus, & solitudinibus cōstituisisti, vt vestigia tua sequatur, vt diuinorum mandatorum semitas teneat. Protegas, foueas, & tam magnos, quàm paruos greges tuos defendēs, eorum esto propugnator, sicut tuæ migrationis tempore pollicitus es (Tui enim greges sunt omnes, quorū duces sunt filij tui, & filiorum progenies) vt te propugnatorem, ac defensorem vniuersi coram Deo, & ad Deum habentes, incolumes permanere possimus, nullis hostibus corporeis, aut incorporeis nobis nocentibus, vt neque timoris causa nos à recta fide vel paululum subtrahamus, neque à diuinis mandatis deuiemus, neque ignauix, aut perniciosis affectibus aditum patefaciamus, non denique exercitationem ipsam, cui studemus, vllō vnquam tēpore negligamus, in Christo Iesu Domino nostro: Cui sit gloria, honor, & imperium cum omnipotente patre, & vitæ auctore, ac sanctissimo Spiritu, nunc & semper, in secula seculorum. Amen.

FINIS.

F. P.

12
Ecce quomodo sanctum patrem inuocat, & quomodo ostendit eum curam habere de monachis suis & tam multa posse post mortem.